IMPERATORIS
CAESARIS AUGUSTI
SCRIPTORUM RELIQIAE.

VOLUMEN I.

Bei **J. M. Gebhardt** in *Grimma* erschienen und sind durch alle Buchhandlungen zu beziehen:

Bose, C. v., **Ueber arabisch-byzantinische Münzen.** Sendschreiben an F. de Saulcy in Metz. Mit 1 Titelvign. gr. 8. br. . . . . . . à 10 Ngr.

— **Wendisch-deutsches Handwörterbuch nach dem oberlausitzer** Dialekte. Nebst einem grammatischen Vorworte mit besonderer Rücksicht auf Aussprache und Wortbildung. kl. 4. br. . . . . à 1 Rthlr.

Catalogus librorum manuscriptorum qui in bibliotheca Senatoria civitatis Lipsiensis asservantur. Ed. **Dr. Naumann.**

Codd. occident. lingg. descrips. Dr. Naumann. — Diplomata collegit notisque instruxit C. de Bose. — Codd. hebr. ac syriac. adjectis aliquot slavicis descrips. Dr. Delitzsch et additamentis locupletavit Dr. Zunz. — Codd. arab.. pers., turc., descrips. Prof. Dr. Fleischer.

c. tabb. lithogr. XV. gr. 4. 1840. cart. à 22 Rthlr.

Delitzsch, Dr. F., Wissenschaft, Kunst, Judenthum. Schilderungen und Kritiken. 8. broch. à 1 Rthlr. 15 Ngr.

— **Jesurun** sive **Prolegomenôn in Concordantias veteris Testamenti** a Julio Fürstio editas libri tres.

etiam sub hoc titulo:

שפת ישורון **Isagoge in Grammaticam et Lexicographiam linguae hebr.** contra Gesenium et Ewaldum. Vel. gr. 8. br. . . . . à 2 Rthlr.

— **De Habacuci Prophetae vita atque aetate.** Comment. hist. isagogica c. diatriba de Pseudorothei et Pseudepiphanii vitis prophetarum. 8. . à 25 Ngr.

Drumann, W., Historisch-antiquarische Untersuchungen über Aegypten, oder: die Inschrift von Rosette. gr. 8. . . . . à 20 Ngr.

Kutzen, Prof. Dr. J. A., Perikles als Staatsmann während der gefahrvollsten Zeit seines Wirkens. gr. 8. . . . . à 22½ Ngr.

— **De Atheniensiam imperio Cimanis atque Periclis tempore constituto.** Comment. geogr. et hist. c. tabb. lith. geogr. 8. . . . . à 5 Ngr.

Lorenz, Pr. Dr., De Dictatoribus latinis et municipalibus. Comment. I. 4. . . . à 20 Ngr.

Martialis, M. Val., Epigrammaton libri. Ed. **Dr. Schneidewin,** Pr. Gotting., 2 Voll. gr. 8. Vel. broch. . . . . à 5 Rthlr.

Der **Apparatus criticus** enthält die Collationen von 62 Codd. und Editt. und zwar:

5 Vossiani saec. IX. XI. XIV. XV. XV.; Anglicanus Junii; Aldina a. 1501.; Arundellianus Gronovii; Berolinensis saec. XV.; Var. lectt. Beverlandi; Veneta Vindelini Spirensis, Veneta a. 1480., Merulae Veneta a. 1475.; Bodleianus Farnabii; Bongarsianus, Margo Bongarsii; Bononiensis Amadutii; Florilegium Dietzianum saec. XIV.; Cod. Oudendorpii, Cod. Oudendorpii chart., Oudendorpii editio vetustissima; Pontani Danicus prior; Edinburgensis saec. X.; Excerpta Erfortina; Exc. Frisingensia saec. XI.; 2 Florentini saec. XV., Florentinus Beverlandi; Editio Ferrariensis a. 1471.; Gudianus saec. XII.; Editio vetustissima s. l. et a.; Hannoveranus saec. XV.; Helmstadiensis saec. XV.; 2 Neapolitani saec. XV.; Lemmata Domitii Calderini; Modianus saec. XV.; Margo Gryphii; Margo Juntinae Lemairii; Romana a. 1473.; 2 Palatini saec. XV.; Palatinus ex testimonio Gruteri; 2 Parisini saec. XV.; Cod. Pulmanni; 2 Bruxellenses saec. XII. et XV.; 2 Wolfenbuttelani saec XV.; Thuaneus saec. X.; Vaticanus saec. X. vel XI. et 3 Vatic. saec. XV.; 3 Vindobonenses saec. XV.; Hauptii Vindobonensis saec. X.; Viennensis Gruteri saec. XII.; Fragm. Perusinum Wittii saec. XII.; Puteaneus saec. X.; Leidensis saec. XV. —

In den **Prolegomenis** gibt der Verf. 1.) eine historia critica Epigr. Mart.; — 2.) einen recensus codicum, — 3.) weist er die cognatio vel singulorum vel universorum librorum nach und theilt dieselben demnach in Familien ein, — 4.) spricht er über die Spectacula des Martial.

Volkslieder der Wenden in der Ober- und Nieder-Lausitz. Aus Volksmunde aufgezeichnet und mit den Sangweisen, deutscher Uebersetzung, den nöthigen Erläuterungen, einer Abhandlung über die Sitten und Gebräuche der Wenden und einem Anhunge ihrer Märchen, Legenden und Sprüchwörter, herausgegeben von **Leop. Haupt** und **J. E. Schmaler.** Mit 4 color. Abbildungen d. Trachten und 1 Special-Charte. 2 Bde. gr. 4. Vel. à 11 Rthlr. 20 Ngr.

Weichert, Prof. M. Aug., De L. Varii et Cassii Parmensis vita et carminibus. gr. 8. br. à 3 Thlr.

Conspectus: Diss. I.: **De L. Vario Poeta.**

Excurs. I. De diversis, qui Caesaris Augusti aetate vixerunt, Variis.
„ II. De Bassis quibusdam Romanis ingenio scriptisque illustribus.
„ III. De C. Asinio Pollione, Tragoediarum scriptore.
„ IV. De Rabirio et Pedone Poetis.
„ V. De anno, quo Horatii Epistola ad Augustum scripta sit.
„ VI. De Graccho et Proculo Poetis.

Diss. II.: **De Cassio Parmensi Poeta.**

Excurs. I. De C. Nonio Asprenate.
„ II. De T. Labieno Oratore et Historico.
„ III. De loco Horatii Libr. I. Sat. I. v. 9. sqq.
„ IV. De M. Tullio Cicerone, M. Cos. filio, Horatii commilitone.
„ V. De Julo Antonio, Triumviri filio.

— **Lectionum Venusinarum libellus.** gr. 8. broch. à 20 Ngr.

Wunder, Prof. Dr., De Scholiorum in Sophoclis tragoedias auctoritate. Part. I. gr. 4. à 10 Ngr.

— **Emendationes in Sophoclis Trachinias.** gr. 8. broch. . . . . à 1 Rthlr. 10 Ngr.

IMPERATORIS
CAESARIS AUGUSTI
SCRIPTORUM RELIQUIAE.

POST JAN. RUTGERSIUM ET JO. ALB. FABRICIUM COLLEGIT, ILLUSTRAVIT ET CUM ALIORUM TUM SUIS ADNOTATIONIBUS

INSTRUXIT

M. AUGUSTUS WEICHERT.

VOLUMEN PRIUS.

GRIMAE,
IMPENSIS J. M. GEBHARDT.
1846.

1862, Aug. 12.
82.1.3
Gray Fund.

SCHOLIS SAXONIAE PROVINCIALIBUS

AFRANAE

IN QUA PER QUINQUENNIUM DIDICIT ET PER QUINQUENNIUM DOCUIT

ET

GRIMENSI

IN QUA PER XXIV. ANNOS RECTORIS ET PROFESSORIS I. MUNERE FUNCTUS EST

HUNC LIBRUM

SACRUM

ESSE VOLUIT

EDITOR.

1862, Aug. 12,
32.13
Gray Fund.

PRAEFATIO BIBLIOPOLAE.

Constituerat Weichertus abhinc undecim annis Caesaris Augusti scriptorum reliquias eodem modo, quo complurium poetarum Latinorum reliquias collegit et illustravit, libellis scholasticis quotannis scribendis alias deinceps post alias edere et explicare, eoque consilio Commentationem I. (de Caesaris Augusti juventute, magistris ac studiis) anno MDCCCXXXV. et Commentationem II. (de Caesaris Augusti apophthegmatis, jocis et strategematis) a. MDCCCXXXVI. ad indicenda Illustris Moldani sollemnia emiserat. Sed paulo post quum munus programmatum scribendorum etiam caeteris scholae illius praeceptoribus impositum esset, mutato consilio has C. Augusti reliquias, in quibus colligendis et explanandis haud paucos annos occupatus fuisset, conjunctim duobus Voluminibus edere instituit. Quorum Voluminum prius quum anno MDCCCXXXIX. praelo subjici coeptum esset, adversa editoris valetudine extractum est, et antequam perfectum et typis exaratum esset, Vir Doctissimus repentina morte his studiis ereptus est aliisque operis pertexendi officium reliquit.

De totius operis consilio quum ipse Weichertus planius quam ab aliis explicari possit sententiam suam in Praefatione Commentationi I. praemissa aperuerit, illam ipsam Praefationem hic repetere haud abs re duximus.

„Decennium est, inquit ille, et amplius, quo, quidquid otii mihi tribuit officii ac muneris scholastici ratio, ad illustranda Poetarum cum omnium, quos aurea, quae dicitur, litterarum

Latinarum aetas tulit, monumenta, tum imprimis ad eorum, quae temporis vetustate absumpta et dissipata essent, reliquias investigandas colligendasque contuli. Idque feci, non quia hocce modo de litteris antiquis insignitius mereri nomenque assequi sperarem, sed ut ego, Scholae Programmatarius, materiem scribendi haberem et copiosam satis et vero etiam novitatis gratia quadam sese commendantem.

In hoc studiorum meorum cursu, in quo mentem negotiorum saepe illitteratissimorum multitudine districtam continere me oporteret, fieri non poterat quin aliquoties ad Caesarem Augustum deducerer, per quem summa litterarum et artium cum omnium, tum maxime Poesis elegantia Romae effloruisse et per omnes imperii fines diffusa esse vulgo existimatur. Jure an injuria, non vacat hic quaerere. Illud autem certum est et optimorum scriptorum auctoritate ac fide comprobatum, illum Imperatorem bonas artes et utriusque linguae litteras non tantum studiosissime coluisse, sed in utroque etiam eloquentiae genere aliquot litterarum monumenta reliquisse. Verum haec quoque omnia tempus edax rerum ita consumpsit, ut ne unum quidem ad nostram aetatem pervenerit integrum indelibatumque et haud pauca titulis tantum fragmentisve tenuibus ac minutis nobis innotuerint. At istae operum a Caesare Augusto scriptorum reliquiae, quantumvis paucae ac lacerae, animum tamen nostrum mira quadam vi in se convertunt ac studio nescio quo imbuunt. Quapropter nolui committere, ut, qui in aequalium Imperatoris illius scriptis colligendisque eorum fragmentis multum studii industriaeque posuissem, negligens fuisse arguerer in eo, cujus nomen prae omnibus, quicumque illa aetate vel aliquo ingenii doctrinaeque opere vel insignioribus in litteras meritis inclaruerunt, enitere et praefulgere solet. Quae igitur primus ille Romanorum Imperator scripsisse et publice privatimve chartis mandasse traditur, ea statui apud animum meum denuo ac diligentius, quam antehac factum est, inquirere et operum illorum reliquias quantulascumque certo quodam propositas ordine cum aliorum Virorum Doctorum, tum meis qualibuscumque adnotationibus illustrare. Neque mihi videtur verendum esse, ne actum in ea re egisse dicar, imo sperandum potius, futurum esse, ut operae pretium faciam et aliquam gratiam, si non apud homines eruditos, certe apud adolescentes litterarum antiquarum amantes ineam.

Primus omnium, quod sciam, colligendis et explicandis Scriptorum Caesaris Augusti fragmentis singularem curam impendit *Janus Rutgersius* in Variarum Lectionum Libr. II. c. 14. p. 135—180., Lugduni B. 1618. 4. — Rutgersium saeculo et amplius post secutus est *Jo. Albertus Fabricius,* qui, quotquot ab illo collecta fuerant, fragmenta repetiit, eaque auctiora et passim emendatiora edidit hoc titulo: *Imp. Caes. Augusti Temporum Notatio, Genus et Scriptorum Fragmenta.* Hamburgi 1727. 4. Inde ab eo tempore non compertum habeo, num quis alius hac in re studii quidquam ac laboris posuerit praeter Abbatem illum, *Vitum Mariam*

Giovenazzium, a quo novae editionis Fragmentorum illorum agitatum esse consilium refert Jo. Aug. Ernestius in Praefat. ad T. Livii Histor. Libri XCI. Fragment. in Opusc. Var. Arg. p. 428. cf. Fabricii Biblioth. Lat. Libr. IV. c. 3. §. 5. Tom. III. p. 308. Ern. Quod consilium habueritne exitum, necne, fateor me ignorare.

Magna fuit et laudabilis cum Rutgersii tum Fabricii in suscipiendo hoc profligandoque labore industria. Ac Fabricius quidem, quae erat ejus lectio multa ac paene immensa, nonnulla alia in illum librum recepit, quae ad Augustum pertinerent. Praemisit enim *Nicolai Damasceni* libellum περὶ τῆς Καίσαρος ἀγωγῆς cum versione Hug. Grotii et Henr. Valesii Notis p. 1—20. Hunc libellum sequitur *Chronologia Augusti*, sive Vita ejus et res gestae annorum serie dispositae a p. 21—61., cui subjectus est *Elenchus Brevis* selectorum de Augusto rebusque ejus scriptorum a p. 62—64. Hunc excipit *Genus Augusti*, addito *Godofridi de Peschwitz* in familiam Caesarum Augustam commentario a p. 65—140. Haec omnia, quibus opusculum Fabricianum, ne dicam, saburratum, certe spissatum amplificatumque est, omittere neque in eis retractandis corrigendisque operae quidquam consumere placet. Ipsa autem *Fragmenta Scriptorum Caesaris Augusti* inde a p. 141—239. subsequuntur hoc deinceps ordine proposita: I. *Epistolae*; II. *Codicilli ad Liviam et Pollionem*; III. *Libelli ad Senatum*; IV. *Libelli seu Edicta et Decreta*; V. *Rescripta Bruto de Catone*; VI. *Hortationes ad philosophiam*; VII. *Orationes*; VIII. *Liber de Sicilia, hexametris versibus scriptus*; IX. *Tragoedia*; X. *Fescennini in Pollionem*; XI. *Epigrammata*; XII. *et* XIII. *Elogium Drusi, scriptum versibus, et aliud prosa oratione*; XIV. *Versus Graeci*; XV. *De vita sua Commentariorum Libri XIII. ad Agrippam et Maecenatem*; XVI. *Leges et de re militari Constitutiones*; XVII. *Descriptio orbis terrarum et Breviarium sive Rationarium imperii*; XVIII. *Index rerum a se gestarum sive Monumentum Ancyranum*; XIX. *Testamentum*; XX. *Mandata de suo funere*; XXI. *Mandata de administranda republica Reipublicae et Tiberio data*. In ordinandis Augusti Scriptis ne transversum quidem unguem discessit Fabricius a Rutgersio; sed adjecit, tamquam πάρεργα, XXII. *Augusti Dicta et Apophthegmata*; XXIII. *Jocos*; XXIV. *Strategemata*; XXV. *Versus Ovidii de laudibus Augusti jam defuncti* ex Libr. IV. e Pont. Eleg. 6. v. 15—20. et Eleg. 13. v. 19—36., et XXVI. *Selecta Augusti Elogia* allegantur, quae leguntur 1) apud Dionem Cass. Libr. LVI. c. 35 sqq.; 2) apud Philonem de Legat. ad Gajum p. 784. (p. 1012. ed. Francof. 1691.) et 3) apud Imp. Julianum in Caesarib. p. 309. et 325 sq. ed. Sp.

Non ego hercle is sum, qui elevanda invidiose detrectandaque aliorum, quos omnis posteritas haud immerito suspiciet, doctrina industriaque, mea studia operamque ambitiose extollam ac commendem. At vere mihi videor hoc esse dicturus, in libro Fabriciano inveniri

nonnulla, quae in tanta, quantam nostra aetas vidit, literarum antiquarum luce minime possint probari. Nihil ut dicam de Indice isto, quem Fabricius in fronte posuit, sane quam splendido et multa promittente, qui cuique, cognitis operum ab Augusto scriptorum reliquiis, vanus perque ridiculus videbitur, primum illud minus probandum duco, quod hic in ordinem recepti sunt ejusmodi veterum utriusque populi scriptorum loci, et Graeci quidem apposita interpretatione Latina, in quibus non tam propria ipsius Augusti verba continentur, quam operis alicujus mentio tantum injicitur aut ejus argumentum summatim indicatur. Hi loci omnes, si quid judico, neutiquam inter ipsa Fragmenta ponendi erant, sed proferendi tantummodo tamquam testes in disputatione de Caesaris Augusti studiis litterariis eorumque ratione. Hujuscemodi autem disputationem quamvis necessariam utilemque lectoribus suo in opusculo desiderari passus est Fabricius. Deinde de ordine, quem Rutgersius ac Fabricius in afferendis Caesaris Augusti Scriptis secuti sint, si quaerimus, tantum abest ut ulla appareat ratio ac norma idonea, ut, quaecunque de illis a scriptoribus prodita reperiuntur, in unam molem temere congesta videantur.

Itaque mihi hanc inire placuit viam, ut revocatis illius Imperatoris Scriptis ad certa quaedam genera, cuique generi, adhibitis scriptorum veterum testimoniis, breviter et universe praefarer et tum ipsas, si quae supersunt, operis cujusque reliquias, necessaria instructas adnotatione, subjicerem. In digerendis autem Scriptis illis ipse diu dubius haesi, ad quam regulam mea opera dirigenda esset in re, quae ejusmodi est, ut facilius possis aliorum errores notare, quam quid verum sit, ipse praestare. Scripta Augusti si ad nostram memoriam mansissent, ad triplex genus poterant commode reduci, ita ut, praeter *Privata* et *Publica*, nomine *Miscellorum* reliqua omnia comprehenderentur. At cum aliorum ejus operum nihil nisi frustula perpauca et misere discerpta supersint, aliorum nomina tantum ac tituli commemorentur, ita ut ne de partibus quidem argumenti et de modo, quo tractatae erant, nedum de totius operis consilio et ambitu certi quid conjectura probabili sumi queat, tripartita hac distributione nihil magnopere lucraremur. Quam ob caussam mihi rem huc illuc diu multumque pensitanti potior visa est ea ratio, qua Augusti aetas potissimum spectaretur et, quae a scriptoribus memorata inveniuntur, Scripta ejus in *Juvenilia, Virilia* et *Senilia* quodam modo dividerentur et hocce ordine percenserentur. Neque tamen, id quod per se intelligitur, in tanta testimoniorum vel paucitate vel ambiguitate fines hujus rationis ubique a me constanter ac religiose observari poterant.

Jam omnis haec materies quo uberior reddatur lectuque jucundior, non alienum fuerit hinc illinc disputando exspatiari eaque simul complecti, quae Caesaris Augusti vitam, mores,

ingenii animique indolem propius spectent, praesertim cum inde Scriptorum ejus Reliquiis plurimum lucis afferatur. Expositurus igitur sum Cap. I. de *Caesaris Augusti juventute, magistris* ac *studiis;* — Cap. II. de ejus *Apophthegmatis, Jocis et Strategematis;* — Cap. III. de ejus *Poematis, Latinis* et *Graecis;* — Cap. IV. de ejus *Rescriptis Bruto de Catone;* — Cap. V. de ejus *Epistolis* itemque *Codicillis;* — Cap. VI. de ejus *Sermonibus* et *Orationibus;* — Cap. VII. de ejus *Edictis;* — Cap. VIII. de ejus *Legibus* ac *Constitutionibus;* — Cap. IX. de ejus *Descriptione orbis terrarum;* — Cap. X. de ejus *Hortationibus ad Philosophiam;* — Cap. XI. de ejus *Commentariis, quos de vita sua scripsit;* — Cap. XII. de ejus operibus postremis, ad quae pertinent: 1) *Index rerum a se gestarum* sive *Monumentum Ancyranum;* 2) *Rationarium* et *Breviarium Imperii;* 3) *Mandata de administranda Republica;* 4) *Mandata de funere suo.* — Cap. XIII. de ejus *Testamento,* et Cap. XIV. de ejus *in litteras artesque liberales meritis.*

Caeterum in tractando hoc argumento curabo, ut, quae a Rutgersio Fabricioque bene utiliterque adnotata fuerint, hic ne frustra quaerantur, et qualicumque mea opera efficere studebo, ut una atque item altera pars vitae Caesaris Augusti rerumque ab eo gestarum et illustretur magis ac certiore fide confirmetur."

Descriptionem totius operis, quae hic proposita est, postea quum harum reliquiarum conjunctim edendarum consilium cepisset, ita immutavit editor, ut omnem materiem in XII. libros distribueret. Quorum librorum ambitum et ordinem ita definivit, ut ageretur Libr. I. *de C. Augusti pueritia, magistris ac studiis,* Libr. II. *de C. Aug. poematis Latinis et Graecis,* Libr. III. *de C. Aug. orationibus et sermonibus,* Libr. IV. *de C. Aug. epistolis, codicillis et libellis,* Libr. V. *de C. Aug. libris de vita sua,* Libr. VI. *de C. Aug. rescriptis Bruto de Catone,* Libr. VII. *de C. Aug. hortationibus ad philosophiam,* Libr. VIII. *de C. Aug. legibus, constitutionibus, edictis et decretis,* Libr. IX. *de C. Aug. testamento,* Libr. X. *de C. Aug. operibus postremis,* quae sunt 1) *mandata de funere suo,* 2) *index rerum a se gestarum* sive *monumentum Ancyranum,* 3) *rationarium, breviarium imperii, descriptio orbis terrarum,* 4) *mandata de administranda republica;* Libr. XI. *de C. Aug. apophthegmatis, jocis et strategematis,* Libr. XII *de C. Aug. in litteras artesque liberales meritis.* Horum librorum quinque primos Volumini priori assignavit, eosque compluribus Excursibus auxit; septem reliquos libros Volumini posteriori reservavit.

Caeterum lectores ut qua benevolentia alios ejusdem Viri eruditissimi libellos exceperunt, eadem hoc novissimum opus, in quod dici vix potest quantum ille studii operaeque contulerit, ornare velint, etiam atque etiam rogamus.

Scholis Saxoniae provincialibus librum inscripsimus, ut voluntati editoris obsequeremur, qui scholis illis, in quibus vitam paene totam consumsisset, pietatem suam se eo dicando declarare velle identidem professus erat, neve tam egregio pietatis discipuli et praeceptoris quondam sui documento scholae illae illustres defraudarentur.

LIBER PRIMUS

DE

CAESARIS AUGUSTI

PUERITIA, MAGISTRIS AC STUDIIS.

---

§. 1.

Caesaris Augusti vitam enatrare ejusque res gestas singulatim per tempora exsequi, neque propositum mihi est hoc loco neque necessarium. Ego hic summatim tantum ac velut per capita decurrens eas vitae ejus puerilis ac juvenilis partes attingam, quibus quae fuerint ejus ingenii dotes, quantamque habuerit in juventute doctrinae commendationem sive disciplina seu studio partam, distinctius possit intelligi. Omnem igitur scriptionem meam in eis continebo vitae ejus annis, quos, antequam sese rerum capessendarum curis turbisque inferret, vel in domo sinuque parentum vel magistris in disciplinam traditus, ad excolendas corporis animique vires exegit. Quo facto planius futurum esse spero, qui fieri potuerit, ut, qualem eum posthac fuisse novimus, talis institutione puerili ac juvenili evaderet.

Qua in re est profecto quod doleamus, nobis injuria temporis interceptam esse operam et auctoritatem nonnullorum antiquitatis scriptorum, quos de Augusti vita rebusque singulares libros composuisse scimus. Eorum in numero non tam illi ponendi sunt, quibus Suetonius usus est auctoribus, quam Plutarchus, a quo *Αὐγέστε βίον* scriptum esse refert Lamprias filius in Indice operum patris sui apud Jo. A. Fabricium in Bibl. Graec. V. p. 160. ed. Harl. Porro etiam Amyntianus quidam, quem sub Antonino Pio vixisse ferunt, teste Photio in Biblioth. c. 131. Tom. I. p. 97. B. inter alia, quae scripsit, *καὶ παραλλήλους συνέθηκε βίους, ὥσπερ Διονυσίου καὶ Δομιτιανοῦ ἐν δυσὶ λόγοις, Φιλίππου τε Μακεδόνων καὶ Αὐγύστου ἐν ἑτέροις δυσίν.* Ac dubium non est quin uterque rerum scriptor, pro suo quisque ingenio librique consilio, de Augusti pueritia ac juventute plura commemoraverit et scitu jucunda et vero etiam necessaria ad illum Imperatorem pernoscendum. Sunt haud pauca, quae cognita habere plurimum referat, et quae apud ipsum Suetonium, quamvis diligentem copiosumque hujuscemodi rerum narratorem, frustra quaerantur.

Exstat quidem libellus *περὶ τῆς Καίσαρος (Σεβαστοῦ) ἀγωγῆς,* a Nicolao Damasceno scriptus, qui istam, quam deperditis illorum operibus fecimus jacturam videri possit abunde resarcire. Nicolaus enim ille fuit aequalis Augusti adeoque Romae, ut quidam suspicantur, ejus contubernalis. Is jussu Herodis, Judaeorum regis, composuit *ἱστοριῶν* opus, quod libris CXLIV. constitisse auctor est Athenaeus Libr. VI. p. 248. C. Tom. II. p. 454. Schw. Quae supersunt

Nicolai Damasceni Excerpta et Fragmenta Historiarum, ea post Grotium et Valesium separatim edidit Jo. Conr. Orelli, Lips. 1804. 8., cui editioni accessit Supplementum, Lips. 1811. 8. In hac, qua usus sum, editione legitur ille *de Augusti Institutione* libellus a p. 84—112., qui, mancus cum sit ac fine mutilatus, fueritne pars operis illius historici an separatim editus, decernere non ausim [1]). Insunt in eo utique multa, quae ab aliis scriptoribus non tradita inveniantur, quibus tamen quo minus certam adjungamus fidem, obstat ipsius Nicolai jam a veteribus in suspicionem vocata auctoritas. Nam Josephus Antiqq. Jud. Libr. XVI. c. 7. §. 1. Tom. I. p. 802. Hav. admonuit, pleraque a Nicolao scripta esse in gratiam potentium, quibus uteretur amicis; quae in illis culpari possent, ea silentio praeterita esse ab eo, et quae laudis aliquid reciperent, ea liberalissime et ultra historiae legem praedicata. Atqui constat, Nicolaum gratiosissimum fuisse apud Augustum [2]). Quare quae ab illo de Augusti institutione memoriae prodita sunt, ea manifestum est summa cum circumspectione esse amplectenda. Neque quisquam erit, perlecto isto opusculo, quin sentiat cum Grotio in Epistola ad Nicol. Peirescium ap. Orellium p. 264. ita scribente: „Sane tale est hoc, quod de prima Octaviani, qui postea imperavit, institutione habemus, vere non historicum, sed declamatorium opus, quo cuncta in illum contulit, quae de recte formandis adolescentibus excogitari possunt, quaeque valent exprimere felicem indolem. Quo minus mirari convenit, si eorum, quae memorat, apud Suetonium tantae diligentiae scriptorem et alios nihil pene aut minimum exstat. Ita tamen sibi temperavit, ut nihil diceret, quod rebus cognitis repugnaret, aut personae temporibusque discongrueret.“ Hanc quidem laudem postremis verbis Nicolao impertitam a Grotio aliquantulum circumscribendam esse illustrioribus *ἀνιστορησίας*, cujus manifestum eum tenemus, exemplis mox demonstrabimus. Quodsi Jo. Conr. Orellius in Praefat. ad Supplem. p. XI. ab ista adulationis criminatione Nicolaum ita purgare connititur, ut dicat, scelera Augusti, quum primum evectus fuisset ad populi Romani principatum, penitus esse abolita, imo locum dedisse contrariis virtutibus, mansuetudini et clementiae eximiae, adeo ut nomen honorificentissimum Patris Patriae meruisset, ideoque condonandum esse Nicolao bona fide Augustum laudanti, ut scilicet in illo veri honoris in virtute positi cupiditatem accenderet eumque impediret, ne iterum ad vitae anteactae scelera reverteretur, id magnopere dubito num satisfacere possit cuiquam, res, tempora et personas ex vero aestimanti. Primum enim hoc in libello agitur de Augusto puero ac juvene, qui nullisdum sceleribus vitam suam contaminasset. At quidquid Nicolaus de illius pueritia et juventute in medium profert, ad laudem ejus spectat verborum lenociniis exornatam et admirationis faciendae caussa ambitiose exaggeratam.

---

1) Suidas: *Νικόλαος Δαμασκηνὸς — ἔγραψεν Ἱστορίαν καθολικὴν — καὶ τοῦ βίου Καίσαρος ἀγωγήν*: ubi vv. *τοῦ βίου* tollenda esse merito censet G. Bernhardyus Vol. II. p. 986. Vitiosa lectione ista in fraudem inductus est A. Krausius *de C. Suetonii Tranq. Fontib. et Auctor.* (Berolin. 1831.) p. 45. No. 16. — De *Nicolao Damasceno* videatur Fabricius Bibl. Gr. Vol. III. p. 500. H. et de opere isto historico, ejus ratione, virtutibus vitiisque docte et scite egit Herm. Ulrici in libr. *Charakteristik der antiken Historiographie* (Berl. 1833.) p. 187 sqq.

2) In tanto apud Augustum honore fuisse traditur *Nicolaus Damascenus*, ut ille *Nicolaorum* nomen imponeret sive *palmulis*, quae praecipuae essent amplitudinis et pulchritudinis, ut testantur Athenaeus Libr. XIV. p. 652. C. Tom. V. p. 372. Schw. et Plutarchus Symp. Libr. VIII. Q. 4. p. 836. Vol. VIII. R., sive *placentae* generi, ut referunt alii, quos producit G. J. Vossius de Histor. Graec. Libr. II. c. 4. p. 110. Tom. IV. Opp. cf. Casaubonus ad Athen. l. c. Tom. VII. p. 604. Schw. et G. Bernhardyus ad Suidam l. c. — Nicolaus enim Augusto missitaverat *φοίνικας* i. e. palmularum fructus, et hic, ut Plutarchi verbis utar, *ἀγαπήσας διαφερόντως τὸν Περιπατητικὸν φιλόσοφον, Νικόλαον, γλυκὺν ὄντα τῷ ἤθει, ῥαδινὸν δὲ τῷ μήκει τοῦ σώματος, διάπλεων δὲ τὸ πρόσωπον ἐπιφοινίσσοντος ἐρυθήματος, τὰς μεγίστας καὶ καλλίστας τῶν φοινικοβαλάνων Νικολάους ὠνόμασεν.*,

Deinde cum Nicolaus historiam scribere institueret, non παραίνεσιν, nequaquam potest ejus consilium comparari cum Platone hujusque cum Dionysio necessitudine, quam rei illustrandae gratia infert Orellius. Denique valde dubium mihi est, num Nicolaus in postrema opusculi sui parte, quam mihi quoque veri simillimum est intercidisse, aperte ac libere narraverit famosissimi triumviratus scelera, cum totius scriptionis ratio et consilium ipsiusque orationis color luculenter demonstrent, illum id modo egisse, ut Augustum laudaret et cuivis admirationem illius pueri injiceret.

Quae cum ita sint, equidem amplexus Josephi et Grotii de Nicolao Damasceno judicium non nisi caute ac circumspecte ea quae in hoc libello de Augusti juventute memoriae prodita leguntur et memoratu digna videntur, proferam et ad suos revocata annos narratione mea complectar 3).

§. 2.

Natus est *Caesar Augustus* Romae, M. Tullio Cicerone et C. Antonio Coss. d. IX. Kal. Octobr. (h. e. die 23. Septembris) a. U. C. 691., a. Chr. n. 63., paulo ante Solis exortum regione Palatii ad Capita Bubula, ubi aliquanto post, quam excesserat, sacrarium constitutum est, ut auctor est Suetonius c. 5. Consulatui Ciceronis non mediocre adjecit decus, ut ait Vellejus Paterc. Libr. II. c. 36. §. 1., natus eo anno Augustus, omnibus omnium gentium viris magnitudine sua inducturus caliginem 4).

---

3) Huc pertinet Dissertatio Philologica *de Studiis litterariis Caesaris Augusti*, quam scripsit ac defendit Corn. Wilh. de Rhoer, Daventriensis. Groeningae 1770. 4. Quo quidem juvenilis ingenii opusculo, cujus nuper demum mihi diu multumque quaerenti facta est copia, nihil fere ad rem meam profeci. Multo plura eo nomine accepta refero Guil. Drumanno, V. Cl., qui in opere egregio et multi studii accurataeque doctrinae plenissimo, cui titulum fecit: *Geschichte Roms in seinem Uebergange von der republikanischen zur monarchischen Verfassung, oder Pompejus, Caesar, Cicero und ihre Zeitgenossen. Nach Geschlechtern und mit genealogischen Tabellen.* Königsberg 1834. sqq., etiam de Augusti institutione, etsi strictim, tamen subtiliter exposuit Volum. I. et IV.

4) De anno Augusti natali nulla umquam fuit controversia, non item de die ejus natali, licet Suetonii fides, Kalendaria vetera ut omittam, confirmetur ipsius Augusti testimonio ap. Gellium N. A. Libr. XV. c. 7. Incertum enim est, utrum ille dies ex ratione Kalendarii Pompiliani an Juliani intelligendus sit. Discrepantes VV. DD. ea de re sententias, quas post Burmannum ad Sueton. Aug. c. 5. Tom. I. p. 203 sqq., diligenter collectas dederunt Editores Thes. Numism. Imperat. Morelliani Tom. I. p. 138. et p. 194 sqq., examinavit L. Idelerus in libr. *Handbuch der mathem. u. technischen Chronologie.* Tom. II. p. 112 sqq. Is argumentationem suam exorsus a narratione Suetonii c. 94., ex qua Augustus, consulto Apolloniae Theogene Mathematico, genituram suam vulgavisset, numumque nota sideris Capricorni, quo natus esset, percussisset, probatum ivit, Augustum die 23. Septembris ex Kalendarii veteris ratione natum esse, sed verum illius natalem diem esse d. 28. Novembr. Jul. a. 691. s. 63. Cum Idelero facere videtur Drumannus in Hist. Rom. Vol. IV. p. 246 sqq. At Guil. Ferd. Korbius nuperrime in Praefat. ad Tabulas Kalend. Rom. Vet. in Orellii et Baiteri Onomast. Tull. P. I. p. 136 sqq., progressus a loco Suetonii c. 94. de P. Nigidio Figulo ea, qua pollet, judicii subtilitate et doctrina docet, Augustum natum esse Nonis Decembribus a. U. C. 691. s. 63., quo potissimum die de Catilinae conjuratione in Senatu actum esse constat; Nonas autem Decembres illius anni ex forma anni Juliana incidere in diem 7. Februarii a. Chr. 62. eumque diem verum esse Augusti natalem. Huic rationi apprime convenire ea, quae Suetonius de horoscopo Augusti et de eo ante solis exortum nato narraverit, apertum est: mense enim Februario Sole Aquarium obtinente Capricornus paulo ante Solem exoritur. Iam qui diem natalem Augusti a Nonis Decembribus veteris Kalendarii (s. Decembr. a. U. C. 691. s. 63.) in diem 23. Septembris ej. a. Juliani transtulerit, eum, cum diebus 73. a Nonis Decembribus retro numeratis, tum nulla ratione veteris mensium formae habita, duplici modo errasse, evidenter ostendit Korbius. Verum tamen hunc errorem in suo natali ipse Augustus admisit, eundemque secutos esse Suetonium c. 100. et Dionem Cassium Libr. LVI. c. 30. manifestum fit ex annorum, mensium dierumque numero, quo Augusti vitam et aetatem definiverint. — Romae Augustum natum esse, certum est. Recte jam Fabricius in Chronol. Aug. ad an. U. C. 691. admonuit, falli videri eos, qui illum Velitris natum esse scribant. Ejus opinionis falsae fontem aperit Suetonius c. 6. et c. 94., qui tamen gentem modo Octaviam Velitris oriundam dicit c. 1., quocum consentit Dio Cass. Libr. XLV. c. 1. ibid. v. Intpp. N. 3. Vol. V. p. 442. Strz. Nihilo tamen secius istam opinionem amplexi sunt Eckhelius in D. N. P. II. Vol. VI. p. 69. et nuperrime Müllerus

Parentes ei fuerunt *C. Octavius* et *Atia*. Pater ut non patricia, ita admodum speciosa equestri genitus familia, gravis, sanctus, innocens, dives, ut ait Vellejus Paterc. Libr. II. c. 59. §. 2. Mater fuit filia *M. Atii Balbi* et *Juliae*, quae erat C. Julii Caesaris soror natu minor et altera uxor Octavii. Is enim ex Ancharia, priore conjuge, Octaviam majorem, ex Atia Octaviam minorem susceperat et Augustum, qui ab initio nominatus est *C. Octavius* 5). Futura ejus magnitudo et perpetua felicitas sperari animadvertique poterat multis, quae prius, quam nasceretur, et ipso die natali ac deinceps ei evenerunt. Ea omnia diligenter enarrant Suetonius c. 94. et Dio Cass. Libr. XLV. c. 1. et 2.

Patrem amisit, teste Suetonio c. 8., *quadrimus* h. e. anno U. C. 695. a. 59., redeuntem ex Macedonia provincia, quam a. U. C. 693. a. 61. ex Praetura sortitus post C. Antonium non minore justitia quam fortitudine pro Consule administraverat, eum ut Quinto fratri imitandum proponeret M. Tullius Cicero Libr. I. Epist. 1. §. 21. Or. cf. Suetonius c. 3. Ad eum spectat Inscriptio marmoris in aedibus Colotianis Romae reperti ap. Gruterum p. CCXXV. N. 7. et ap. Orellium N. 592.:

C. OCTAVIUS C. F. C. N. C. PR.
PATER AUGUSTI
TR. MIL. BIS Q. AED. PL. CUM
C. TORANIO JUDEX QUAESTIONUM
PR. PRO COS. IMPERATOR APPELLATUS EX PROVINCIA MACEDONIA 6).

Macedoniae enim praefectus, Bessis et Thracibus magno proelio fusis, Imperator appellatus est, ac decedens ex provincia ad Consulatus petitionem, priusquam candidatum se profiteri posset, Nolae obiit eodem in cubiculo, in quo filius duobus et septuaginta annis post vita excessit, auctore Suetonio c. 100. cl. Tacit. Ann. Libr. I. c. 9. Ab Augusto quadrigam currumque et Apollinem et Dianam ex uno lapide, opus quoddam Lysiae, sculptoris aequalis, in magno honore habitum, honori Octavii patris sui in Palatio super arcum dicatum esse in aedicula columnis adornata, narrat Plinius N. H. Libr. XXXVI. c. 4. §. 36. S. Veri simile est, id factum esse intra annos U. C. 718—726., quum in monte Palatino habitans complures domos, quo laxior fieret ipsius, coemisset in eaque parte Palatinae domus, quam fulmine ictam desiderari a deo haruspices pronuntiarant, templum Apollinis et circa porticus singulari munificentia exstruxisset 7).

Atia, Augusti mater, non multo post Octavii mariti obitum nupsit *L. Marcio Philippo*, L. Marcii Philippi, oratoris clarissimi, filio. Quae de vita ejus publica ac privata a scriptoribus passim tradita reperimus, admodum pauca sunt nec satis certa. Anno U. C. 695. ille M. Scauro, quem Cn. Pompejus M. Proquaestorem ad regendam Syriam reliquerat, a Senatu missus est ex

---

in libr. *Roma Campagna* Tom. II. p. 214. — De domo Augusti natali, quam in regione Palatii sitam fuisse ait Suetonius, scripsit Carol. Sachsius in libr. *Geschichte u. Beschreibung d. St. Rom.* T. II. p. 13 sqq., eamque ad Capita Bubula dictam, docuit Handius in Tursellin. Vol. I. p. 92 sq.

5) Non vereor, ne quis me reprehendat, quod in omni hac scriptione de *C. Octavio*, Octavii et Atiae filio, per prolepsin usus sum *Augusti* nomine, utpote cum clarissimo omnium, tum etiam brevitati et perspicuitati accommodato. De diversis ejus nominibus et titulis videsis quae collegi Excurs. I.

6) In hac Inscriptione Hagenbuchius et Morcellius egregie correxerunt *Tribunus Militum Bis*. Quaestor. *Aedilis Plebis*. Inde simul firmatur hujus Octavii praenomen *Gaji*, de quo dubitatum est: v. Ernestii Ind. Histor. Cicer. p. 293. et Orellii Onom. Tull. Vol. VII. P. 2. p. 426. Adde quae de illa Inscriptione scripsit Drumannus in Hist. Rom. Vol. IV. p. 230 sq.

7) Maxime huc pertinent loci ap. Vellej. Paterc. Libr. II. c. 81. §. 3. Sueton. c. 72. cl. c. 29. et Dion. Cass. Libr. XLIX. c. 15., quos copiose illustravit Sachsius in G. u. B. d. St. Rom. Tom. II. p. 13—25.

Praetura successor: v. Appianus de Reb. Syriac. c. 51. Idem fuit Consul cum Cn. Cornelio Lentulo Marcellino a. U. C. 698. ac biennio post inter novem illos Consulares, qui M. Scaurum, repetundarum reum, laudarent, teste Asconio in Cicer. Orat. Scaur. Fragm. p. 222. ed. Beier. Cum Philippus Atiae nuptiis, quas veri simillimum est conciliatas fuisse ab ipso Julio Caesare, hujus affinis factus esset, haud dubie evenit, ut a. U. C. 705. in provinciarum sortitione a Senatu privato consilio, ut ait Caesar de B. C. Libr. I. c. 6., praeteriretur. In bello civili Pompejum inter et Julium Caesarem orto Philippus petiverat ab hoc et impetraverat, ut sibi medio esse liceret ac neutrarum partium, ut Attico scribit Cicero Libr. X. Ep. 4. §. 10. Quod utrum consilio fecerit et moderatione, an jam invalidus senio bellique laboribus impar, incertum est. Per tempora illius belli videtur plerumque in villis vixisse, quas cum piscinis patris hereditate acceptas in Campaniae ora possidebat [8]). Illae villae cum vicinae essent Ciceronis Cumano et Puteolano, haud infrequens erat utriusque Consularis congressus. Erat autem Cicero per totum illud tempus stomacho tam languente, ut quidquid Julium Caesarem Dictatorem redoleret, vehementer nausearet. Quare non est quod miremur, si ille Philippum quoque, Dictatoris affinem, quem nuperrime hospitem habuisset, cum aliquo aculeo *Amyntae filium* [9]) nominat, eumque absentem ἀπειραντολογίας ἀηδοῦς crimine insectatur Libri XII. ad Attic. Epist. 9., quae a. U. C. 707. s. 47. scripta est. At quanta ille Philippus auctoritate, dignatione, fide ac prudentiae laude apud aequales floruerit, vel ex eo licet cognosci, quod legatis adscriptus est, qui initio anni U. C. 711. s. 43. ex Senatus sententia M. Antonio certas res denuntiarent. Jam, Serv. Sulpicio Rufo in itinere mortuo, Philippus et L. Piso soli convenerant M. Antonium, et cum hic nulli illarum rerum paruisset, ultro ad Senatum postulata ab illo retulerant. Ea cum Ciceroni intolerabilia viderentur, nihil foedius Philippo et Pisone legatis, nihil flagitiosius esse scribit ad C. Cassium Libr. XII. ad Divers. Ep. 4. §. 1., eosdemque, quos in Senatu Philipp. VIII. c. 10. *principes civitatis* salutaverat, turpissimis, quos respublica habeat, Consularibus adnumerat. Quibus vocibus neutrius laudi et existimationi quidquam detrahi, nemo ignorat qui Ciceronem noverit. Ac de L. Philippo, Augusti vitrico, scriptorum veterum testimoniis recte perpensis, ita sentiemus, eum ut virum fuisse statuamus nobilitate, dignitate, honestate ac consilio spectatum et in privignum suum studio et amore vere paterno affectum, utqui eum, licet consiliis monitisque suis non obedientem, ortis inter eum et M. Antonium Cos. discordiis, Ciceroni commendaret, et, si fides

8) M. Varro de R. R. Libr. III. c. 3. §. 10.: „Quis enim propter nobilitatem ignorat piscinas Philippi, Hortensii, Lucullorum?“ cl. Libr. III. c. 17. §. 5 sqq. Quo spectat locus Macrobii Sat. Libr. II. c. 11. p. 365. Bip.: „Piscinas autem quam refertas habuerint Romani illi nobilissimi principes *Lucullus*, Philippus et Hortensius, quos Cicero piscinarios appellat, etiam illud indicium est, quod M. Varro in libro de agri cultura refert, M. Catonem, qui post Uticae periit, cum heres testamento *Luculli* esset relictus, pisces de piscina ejus quadraginta millibus vendidisse.“ Quo in loco pro vulg. *Lucilius* et *Lucilii* cum Ellendtio in Histor. Eloq. Rom. ad Ciceronis Brut. p. LXXVIII. confidenter scripsimus: *Lucullus* et *Luculli*, licet *Lucilii* nomen agnoscere videatur Drumannus in Hist. Rom. Vol. III. p. 106. N. 87. Vide tamen Vol. IV. p. 167. N. 41. et p. 170. N. 68. Eadem nomina confusa etiam sunt ap. Cicer. pro Quint. c. 16. §. 53. et c. 17. §. 54. ibiq. v. Orellius.

9) In hac denominatione plus inest inurbanae indignationis quam festivitatis et acuminis. Nihil enim Augusti vitricus commune habebat cum Philippo Macedone, Amyntae filio, nisi nomen. — Ad quam turpes autem ridiculosque errores abripiat Principum adulatio, magno documento est Nicolaus Damascenus, exornaturus Philippum, Atiae maritum, c. 3. addit: ὃς *ἦν ἀπόγονος τῶν τὸν Μακεδόνα Φίλιππον κεχειρωμένων*. Quo in loco conjecit H. Valesius rescribendum esse *Περσέα*: nam Q. Marcius Philippus Cos. II. a. U. C. 585. bellum cum Perseo, Macedonum rege, gessit quidem sed non profligavit, utqui facilem tantum victoriam tradiderit L. Aemilio Paullo successori, illiusque regis apud Pydnam d. III. Non. Septembr. a. U. C. 586. victori. At error hic non imputandus est librariis, sed ipsi scriptori, ex nominum similitudine nescio quid laudis et honoris captanti et ad vitricum Augusti derivanti!

est Pseudo-Ciceroni ad Brut. Epist. 15., initio anni U. C. 711. s. 43. in Senatu equestrem illam statuam decerneret, qua juvenem honoratum fuisse legimus apud Vellejum Paterc. Libr. II. c. 61. §. 3. et Appianum B. C. Libr. III. c. 51. Quo anno Atiam in matrimonium duxerit, non constat; nam J. A. Fabricius in *Chronologia Augusti* quum ad annum U. C. 698. notavit: „*Marcium Philippum, hoc anno Consulem, vitricum accipit:*" id sine ullo auctore scripsisse existimandus est. Atia autem quin altera certe Philippi uxor fuerit, cum alia dubitare nos non sinunt, tum inprimis liberi adulti, quos Philippo jam secundarum nuptiarum tempore fuisse, paene certum est. Num Philippus ille, qui, ut narrat Julius Caesar de B. C. Libr. I. c. 6. tribunus pl. a. U. C. 705. s. 49. intercesserat, quo minus Faustus Sulla, uti ad Senatum relatum erat, in Mauretaniam mitteretur, hujus, de quo agimus, L. Philippi filius fuerit, in medio relinquam[10]). At vix dubium esse potest, quin Augusti vitricus fuerit pater illius L. Philippi, qui a Cicerone Philipp. III. c. 10. magna cum laude commemoratur. Nam a. U. C. 710. M. Antonius Cos. ex Urbe profecturus vocato Senatu per vim et contra leges effecerat, ut hujus anni magistratus provincias sortirentur. L. Philippus ille, quem hoc anno Praetorem fuisse recte censet Pighius Annal. Tom. III. p. 465., provinciam, quae sibi ex ista sortitione obvenerat, ultro deposuerat. Hinc appellatur a Cicerone „*vir patre, avo, majoribus suis dignissimus.*" Quibus verbis quid est manifestius, quam *patre* significari Augusti vitricum et *avo* summum illum oratorem, virum consularem ac censorium?[11]) Gens autem Marcia plebeja quidem, sed perantiqua et multorum imaginibus nobilitata. Philippo igitur, Augusti vitrico, jam anno U. C. 710. filius erat, cui non est credibile Praeturam ante annum aetatis tricesimum mandatam esse. Sed eidem filia quoque erat, quae cum viro nupta esse videtur, priusquam pater in secundas cum Atia nuptias transiret. Dico *Marciam* illam, quam cum M. Porcius Cato Uticensis virginem duxisset, tres jam sibi enixam liberos et gravidam Q. Hortensio postulanti per aliquot annos, socero non dissentiente, cessit et Hortensio a. U. C. 704. mortuo, in domum suam recepit. Rem illam fusius enarrant Plutarchus in Vit. Catonis c. 24. et 25. cl. 52. et Appianus B. Civ. Libr. II. c. 99. cf. Scholiast. ad Lucani Pharsal. Libr. II. v. 328 sqq.[12]). Etsi a Plutarcho et Appiano ista *Marcia* simpliciter *Philippi filia* vocatur, tamen, si L. Philippi et M. Catonis aetatem specto[13]), facile adducor, ut sententiam Glandorpii in Onomast. p. 578. et Havercampii ad Morellii Thesaur. p. 262. amplectar et Augusti vitricum etiam Catonis socerum fuisse statuam.

Ex his, quae disputavimus, consequens etiam est dicere, L. Marcium Philippum duxisse Atiam, Augusti matrem, cum jam aetate profectior esset et senectuti proximus. Accedit, quod

---

10) Id affirmat Orellius in Onomast. Tull. Vol. VII. P. II. p. 383. monetque, a Pighio ad an. U. C. 704. Philippum tribunum falso appellari *Q. F. Q. N.* — Caesarianae factionis illum fuisse, in aprico est: inde nonnihil probabilitatis accipit Orellii sententia.

11) Illa Ciceronis verba sic accipienda esse, Ferratius Libr. VI. Epist. I. p. 379 sq. (Venet. 1738. 4.) contra Manutium, de Augusti vitrico cogitantem, mihi quidem videtur evidentissime probasse, et miror, Manutio assensum praebuisse Drumannum in Hist. Rom. Vol. IV. p. 234. N. 73.

12) In rhetorum scholis propositam esse thesin: *an Cato recte Marciam Hortensio tradiderit?* discimus ex Quintil. I. Or. Libr. III. c. 5. §. 11. et X. c. 5. §. 13. Verissime ait Plutarchus Cat. c. 25.: *περὶ ἧς (Μαρκίας) ὁ πλεῖστος λόγος καὶ καθάπερ ἐν δράματι τῷ βίῳ τοῦτο τὸ μέρος προβληματῶδες γέγονε καὶ ἄπορον!* Scriptorum de famigeratissimo isto matrimonio testimonia subtiliter examinavit Drumannus in Hist. Rom. Vol. III. p. 107 sq.

13) L. Marcius Philippus, qui Praetor fuerat a. U. C. 694. et Consul a. U. C. 698., multum aetate antecessisse putandus est M. Catonem, qui, teste Plutarcho c. 73., annos 48. natus Uticae manum sibi intulit, ergo quadrienno post, quam Marciam, illius filiam, receperat uxorem!

ille non multo post, quam privignus nomen et invidiosam Julii Caesaris fortunam, se invito, adiisset, diem supremum videtur obiisse sive senectute sive curis confectus. Nam post annum U. C. 711. s. 43. nusquam ulla, quod sciam, ejus mentio apud scriptores injecta invenitur[14]. Qua in re illud inprimis mirum me habet, quod de exsequiis in honorem ejus a privigno institutis aliisve pii gratique in eum animi documentis nihil traditum legimus. Ac reputanti mihi, quam diligenter Augustus per totam vitam hoc pietatis adversus suos officium solitus sit obire, subit suspicari, num forte privignus a vitrico, acri et constanti potentiae affectandae dissuasore, magis in dies magisque abalienatus, huic vita defuncto justa funebria facere neglexerit, praesertim matre prius, ut videtur, mortua[15]. Nam *Atia* post pugnam Mutinensem, primo filii Consulatu, mortua est a. U. C. 711. s. 43., ut narrat Suetonius c. 61., eamque *ταφῇ δημοσίᾳ* honoratam esse ab Augusto, auctor est Dio Cass. Libr. XLVII. c. 17.

§. 3.

Etsi apud Romanos in educandis filiis magna curae ac laboris pars matribus fuit, teste Auct. Dial. de Oratt. c. 28., tamen Augustus post patris obitum non tam a matre quam ab Julia avia videtur educatus fuisse. Id quidem jure mihi videor colligere ex verbis Nicolai Damasc. c. 3.: *ἀποθανούσης δ' αὐτῷ τῆς τηθῆς, παρὰ τῇ μητρὶ ἐτρέφετο Ἀττίᾳ καὶ τῷ ταύτης ἀνδρὶ Φιλίππῳ Λευκίῳ κ. τ. λ.* Non erat quod adderet, Augustum post aviae mortem educatum esse in domo parentum, nisi antea apud illam vixisset. Julia haud dubie domi suae receperat unicum nepotulum, quem de more aviarum impense amaret, nutriendum educandumque, ut matrem viduam pueri educandi curis levaret, aut electa fuerat tamquam propinqua natu major, cujus probatis spectatisque moribus omnis ejusdem familiae suboles committeretur, coram qua neque dicere fas erat quod turpe dictu, neque facere, quod inhonestum factu videretur, ac quae non studia modo curasque, sed remissiones etiam lususque sanctitate quadam ac verecundia temperaret[16]. Neque dubitari potest quin Augustus in aviae, matronae eximiae, sinu ac gremio mature cum praeclaris honestisque praeceptis, tum exemplis egregiis excitatus bonam ingenii animique indolem feliciter excoluerit. Nam idem Nicolaus c. 3. testatur: *ὅτι Καῖσαρ (Σεβαςὸς) περὶ ἐννέα ἔτη μάλιςα γεγονὼς, θαῦμά τε οὐ μικρὸν παρέσχε Ῥωμαίοις, φύσεως ἀκρότητα δηλώσας ἐν τοιᾷδε ἡλικίᾳ,*

---

14) Qui L. Marcium Philippum, Augusti vitricum, instaurasse dicunt *Aedem Herculis Musarum*, eorum opinionem examinavi et refellere studui Excurs. II.

15) Talis tamque ingrata Augusti in vitricum agendi ratio quadamtenus confirmatur funesta caede *C. Toranii* sive, ut hoc nomen scribendum censet Orellius in Onomast. Tull. P. II., p. 584., *Thoranii*, quem tutorem suum eundemque collegam patris in aedilitate proscripsit, ut planissime narrat Suetonius c. 27. probaturus, quam acerbe exercuerit proscriptionem, collegis per gratiam et preces in multorum saepe personam exorabilibus. Qui ab Appiano B. C. Libr. IV. c. 18. memoratur *Θουράνιος*, rogatu filii dissoluti ac perditi ab Antonio proscriptus et interfectus, mihi videtur diversus esse ab Augusti tutore, de quo Appianus Libr. IV. c. 12.: *ἦν δὲ καὶ Θουράνιος ἐν τοῖς προγεγραμμένοις, λεγόμενος ὑπό τινων ἐπιτροπεῦσαι Καίσαρος.* In eadem sententia est Schweighäuserus Vol. III. p. 829., sed dissentiunt, qui ab Orellio in Onomast. Tull. l. c. afferuntur Bimardus et Brossius itemque Drumannus in Hist. Rom. Vol. IV. p. 248. cl. p. 230. N. 25. In hujus Thoranii tutela Augustus a patris obitu usque ad secundas Atiae cum Philippo nuptias fuisse existimandus est. Nicolaus Damascenus c. 2. de Augusti tutoribus loquitur, quos ille noluisset jure persequi, licet patrimonium suum intervertissent. Sed totus iste locus tam obscure et perplexe scriptus est, ut mirum non sit, Jo. Conr. Orellium p. 201. cogitare potuisse cum Grotio et Valesio de C. Octavii patris tutoribus. At huic umquam fuisse tutores, redarguit Suetonius c. 2. narrans, Augusti avum municipalibus magisteriis contentum, abundante patrimonio, tranquillissime senuisse.

16) Sunt verba Auctoris Dial. de Oratt. c. 28. Drumannus num recte suspicatus sit in Hist. Rom. Vol. IV. p. 248 et p. 286. blandiore aviae et matris cura et educatione nativam corporis infirmitatem Augusti auctam potius esse quam imminutam, decernere non ausim.

καὶ τοῖς ἀνδράσι πολὺς ἐγγίνεται θόρυβος ἐν πολλῷ ὁμίλῳ δημηγοροῦντος[17]. Quae verba, cum statim aviae vita defunctae mentio subjiciatur, aperte accipienda sunt de oratione funebri, qua aviam ab Augusto puero laudatam esse testantur Suetonius c. 8.: *duodecimum annum agens aviam Juliam defunctam pro concione laudavit,*" et Quintilianus Inst. Or. Libr. XII. c. 6. §. 1.: „*Caesar Augustus duodecim natus annos aviam pro Rostris laudavit.*" Nicolaus igitur Augustum dixit laudasse aviam *περὶ ἐννέα ἔτη μάλιςα γεγονότα* h. e. novem admodum annos natum[18], ejusque testimonium, utpote profectum ab scriptore aequali, hanc habuit vim, ut H. Valesius ad h. l. p. 202. ed. Or., Ferrarius de Re Vest. Libr. II. c. 1. p. 699. in Graevii Thes. Antiq. Rom. Tom. VI., Ryckius et Gronovius ad Taciti Ann. Libr. XII. c. 41., apud Suetonium, assentiente Graevio, legendum censerent: *decimum annum agens*, itemque Quintiliani locum de numeri corruptela suspectum haberent. Verum tamen, cum Nicolaus in toto hoc opusculo aperte laudatoris potius partes susceperit, quam veri ac simplicis rerum scriptoris, ejus auctoritas magnam habeat necesse est suspicionem. Nihil impedit quo minus suspicemur, eum prudentem scientemque, quo cumulatiorem faceret omni laude Augustum puerum, scripsisse, istam concionem funebrem a puero vixdum decenni habitam esse maximis audientium clamoribus et plausu. Sed quidquid est hujus suspicionis, consultius erit acquiescere in auctoritate Suetonii et Quintiliani, ita ut Juliam, Augusti aviam, anno U. C. 702. sive 703. vita defunctam et a nepote duodecim vix annos nato pro concione laudatam esse dicamus[19].

Augustum in domo Philippi vitrici educatum esse, contestantur Vellejus Paterc. Libr. II. c. 59. §. 1. et Dio Cass. Libr. XLV. c. 1. Ac Nicolaus Damascenus c. 3. multis verbis narrat, quam curiose Atia mater et vitricus invigilaverint ejus pueritiae, nullo intermittentes die quaerere ex praeceptoribus et custodibus, quos ipsi apposuerant, quid egisset, quo ivisset, quibus in rebus et quibuscum sodalibus diem trivisset. Praecipuam laudem eo nomine Atiae tribuit etiam Auctor Dial. de Oratt. c. 28., qui, laudata majorum disciplina, quae eo pertineret, ut sincera et integra et nullis pravitatibus detorta uniuscujusque pueri natura toto statim pectore arriperet artes honestas et sive ad rem militarem, sive ad juris scientiam sive ad eloquentiae studium inclinasset, id solum ageret, id universum hauriret, ait: „Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Caesaris, sic Atiam Augusti matrem praefuisse educationibus ac produxisse principes liberos accepimus." His igitur tamque sapientibus parentibus Augustus *ἤσκει*, ut Nicolaus ait, *καὶ τὴν ψυχὴν τοῖς καλλίςοις ἐπιτηδεύμασι, καὶ τὸ σῶμα ταῖς γενναίαις καὶ πολεμικαῖς, καὶ τῶν διδασκόντων θᾶττον αὐτὸς τὴν μάθησιν ἐπὶ τῶν ἔργων ἀπεδείκνυτο, ὥστε ἀπὸ τοῦδε καὶ ἐν τῇ πατρίδι πολὺν ζῆλον ἐνέγκασθαι.* Quae quidem postrema verba non minori scripta esse arbitror studio ac cupiditate, quam illa: *ἤδη τε ἀξιότιμος καὶ τοῖς ἥλιξιν ἐφαίνετο τοῖς εὐγενεστάτοις παισὶ, καὶ συνήεσαν πρὸς αὐτὸν παμπληθεῖς, οὐκ ὀλίγοι τε καὶ τῶν νεανίσκων, οἷς τὸ πράττειν δι' ἐλπίδος ἦν. Προὔπεμπον δὲ αὐτὸν πάμπολλοι ὁσημέραι καὶ μειρακίσκοι καὶ ἄνδρες καὶ ἥλικες παῖδες, εἴτε ἐφ' ἱππασίαν ἔξω τοῦ ἄςεος προσήει, εἴτε παρὰ συγγενεῖς*

17) Pro lectione vulg. *δημηγοροῦντι*, quam mendosam esse cuivis patet, recepi Baumgarten-Crusii ad Sueton. Aug. c. 8. emendationem minus violentam quam H. Valesii corrigentis: *καὶ ὅπου τοῖς ἀνδράσιν — δημηγορήσας.*

18) Perperam ista verba latine reddit H. Valesius: „*Annum aetatis circiter nonum agens.*" De vi et significatione particulae *μάλιςα* numeris adjectae conferri jubet Orellius p. 202., praeter Vigerum de Idiot. Cap. VII. Sect. 8. p. 416. H., Wesselingii Adnot. ad Herodot. Libr. VIII. c. 65. Tom. VI. P. 2. p. 135. Schw.

19) Mecum facit Drumannus in Hist. Rom. Vol. III. p. 767. N. 41. De ista Juliae aviae laudatione fusius dicetur infra Libr. III. §. 2.

ἢ ἄλλους τινάς. Nemo enim non in his agnoscet rhetoris ἐγκωμιαστικοῦ pigmenta et veritatis superlationem trajectionemque, ut lectores in admirationem stuporemque rapiantur. Neque tamen negaverim, Augustum puerum, tam faustis in penetralibus natum educatumque, cum aliis rebus, tum maxime affinitate Julii Caesaris multorum oculos et attentionem ad se convertisse. Id quidem vel ex eis colligi potest, quae de somniis Q. Catuli et M. Ciceronis apud Suetonium c. 94., Dionem Cass. Libr. XLV. c. 2., Plutarchum in Vit. Ciceron. c. 44. et Zonaram Libr. X. c. 13. relata legimus. Ac Plutarchus refert, Ciceronem, ex quo intellexisset, puerum, cujus imago secundum quietem ipsi fuisset obversata, esse Julii Caesaris ex sorore nepotem, ad hoc usque tempus sibi incognitum et tum in Capitolium ab avunculo magno ad sacra facienda accitum, τῷ παιδὶ κατὰ τὰς ἀπαντήσεις ἐντυγχάνειν ἐπιμελῶς. Accedebat fortasse pueri facies honesta ac liberalis et forma admodum venusta, quam ei per omnes aetatis gradus fuisse, narrat Suetonius c. 79.[20]).

Praeter Philippum et Atiam dubitari nequit quin etiam Julius Caesar Augusto vel puero praetextato peramanter prospexerit ac curaverit, ut mature communium litterarum et politioris humanitatis compos fieret et ab unguiculis, ut Graeci dicunt, teneris magna spectare ad eaque rectis studiis contendere disceret.

§. 4.

De anno, quo togam virilem Augustus sumpserit, magna est controversia, cujus auctor habendus est Nicolaus Damascenus c. 4. Is enim, cum memorasset, Augustum in primo belli civilis, quod inter Pompejum et Julium Caesarem exarsit, terrore h. e. mense Januario exeunte sive ineunte Februario a. U. C. 705 s. 49., a parentibus in villam avitam subductum esse, sic pergit: *κατέβαινε δὲ εἰς τὴν ἀγορὰν περὶ ἔτη μάλιςα γεγονὼς τεσσαρεσκαίδεκα, ὥστε ἀποθέσθαι μὲν αὐτὸν ἤδη τὴν περιπόρφυρον ἐσθῆτα, ἀναλαβεῖν δὲ τὴν καθαράν, σύμβολον οὖσαν τῆς εἰς ἄνδρας ἐγγραφῆς.* Nicolao igitur auctore, Augustus, posita praetexta, togam puram sumpsit annos vixdum quatuordecim natus: quocum pugnat Suetonius c. 8.: „*duodecimum annum agens aviam Juliam defunctam pro concione laudavit. Quadriennio post virili toga sumta, militaribus donis triumpho Caesaris Africano donatus est, quamquam expers belli propter aetatem.*“ Suetonius, licet hic brevitatis studio res diversi temporis complexus toti loco ambiguitatem quamdam intulerit, tamen perspicue significat, Augustum ad viros transeuntem jam quintum decimum absolvisse annum[21]). Qui de aetate togae virili sumendae sollemni scripsere Viri Docti, eos nominavit Beierus ad Ciceronem de Amic. c. 10. §. 4. p. 56. (Lips. 1828.) et recte admonuit, annum togae mutationi de more praefinitum XVI. aetatis non adeo sancte a Romanis servatum esse, quin ab eo, praesertim Imperatorum aetate, interdum recessum sit. Adde Fogginium ad Fastos Praenest. p. 134., Boettigerum in Prolus. de originibus tirocinii ap. Romanos Opusc. Latin. p. 207. et G. A. Beckerum in Gallo, Tom. I. p. 29 sq. Jam ut concedamus, fieri potuisse, ut in Augusto ad viros traducendo legitimus tirocinii annus violaretur, eique quartum decimum agenti annum toga virilis daretur, tamen falsum esse, quod Nicolaus tradat, evi-

20) Lectu digna sunt quae ea de re scripsit Anselm. Feuerbachius in libr. *Der Vaticanische Apollo* (Nürnberg 1833.) p. 281.

21) Fabricius in Chronolog. Aug. nihil dubitat sequi Nicolaum Damascenum, et ex ejus fide a. U. C. 704. ponit, Augustum rure avito Romam reversum togam virilem sumpsisse, allegato insuper Suetonii loco c. 8., qui eum, si attendisset, alia docere potuisset. Et H. Valesius ad Nicolaum l. c. p. 203. ed. Or. locum de corruptione suspectum habet eumque corrigendum censet.

denter docuit H. Norisius ad Cenotaph. Pisan. Dissert. II. c. 8. p. 115 sqq. errorisque eum convicit ipsius testimonio usus. Scribit enim ille: *περιβλεπόμενος δ' ὑπὸ παντὸς τȣ δήμȣ διά τε εὐγένειαν καὶ λαμπρότητα εὐγενείας, ἔθυε τοῖς θεοῖς, καὶ ἐνεγράφη εἰς τὴν ἱερωσύνην εἰς τὸν Λευκίου Δομιτίȣ τόπον τετελευτηκότος. Καὶ ὁ δῆμος μάλα προθύμως ἐχειροτόνησε. Καὶ ὁ μὲν ἅμα τῇ μεταλλαγῇ τῆς ἐσθῆτος καὶ τῇ καλλίστῃ τιμῇ κοσμηθεὶς ἔθυεν.* Non discrepat, si rem propius spectamus, a Nicolao Vellejus, qui Augustum puerum ab Julio Caesare pontificatus sacerdotio honoratum esse scribit Libr. II. c. 59. §. 3. Populus, volente scilicet Dictatore, subrogavit illum puerum *μάλα προθύμως*, ut ait Nicolaus, in locum L. Domitii, qui, partium Pompejanarum dux, post cladem Pharsalicam ex castris in montem refugiens, cum vires eum lassitudine defecissent, ab equitibus interfectus fuerat[22]). Pugnatum est ad Pharsalum, ut attestantur Kalendaria Amiterninum et Antiatinum in Verrii Flacci Fast. p. 112. ed. Foggin., die V. Idus Sextil. h. e. die 9. Augusti a. U. C. 706 a. Chr. 48.[23]). Porro in Kalendario Antiatino ap. Fogginium p. 114. adnotatum legitur ad d. 18. Octobris: „*Divus Aug. tog. — rilem sum.*“ Cf. Orellii Inscriptt. Vol. II. p. 401. Jam cum Nicolaus scribat, Augustum eodem, quo Pontifex in Domitii locum cooptatus fuisset, die etiam deposuisse praetextam; sequitur, ut togam virilem ab eo sumptam esse pro certo statuamus non ante annum U. C. 706. Atqui Augustus anno U. C. 691. natus, annum aetatis quintum decimum expleverat d. 23. Sept. a. U. C. 706. Ergo togam virilem, si fides est Kalendario Antiatino, die 18. Octobris a. U. C. 706. sumpsit nuper ingressus annum aetatis sextum decimum: atque credibile est, ipsum maturasse *τὴν εἰς ἄνδρας ἐγγραφήν*, ut quam primum sequi posset avunculi castra. Ex eis autem, quae disputavimus, denuo intelligitur, Suetonio integram hac in caussa constare fidem, et Nicolaum magno in errore convictum teneri[24]).

Quae his subjicit Nicolaus Damascenus narrans, Augustum ab hoc inde tempore inter viros quidem habitum, sed a matre vetitum esse prodire foras, nisi iturum, quo ante soleret, coactumque eisdem institutis vivere et in eodem quo ante cubiculo cubare, ita ut lege tantum vir esset, caetera pueri in modum regeretur; ea profecto ejusmodi sunt, ut, cur memoriae prodita fuerint utpote levia admodum et ne honorifica quidem adolescenti, haud facile assequar. Non minus ille ineptit c. 5., ubi, ut videlicet in Augusto eximiae indolis juvene lectores stu-

---

22) Rem enarrat Julius Caesar de B. C. Libr. III. c. 99. A Cicerone Philipp. II. c. 29. caedes Domitii, invidiae faciendae caussa, M. Antonio impingitur.

23) Cruentissimum illum Romano nomini diem in Fastis non fuisse peculiariter signatum, fuerunt qui colligerent ex verbis Lucani Phars. Libr. VII. v. 411.: „*Tempora signavit leviorum Roma malorum: Hunc voluit nescire diem!*“ Cf. Fabricius ad Dion. Cass, Libr. XLV. c. 7. N. 44. At quae sit Lucani mens, docuit jam Fogginius ad Verrii Flacci Fastos p. 126. Dies ille, quo ad Pharsalum pugnatum esse testantur Kalendaria, si ex anni Pompiliani ratione signatus est, ut praeter alios statuunt Idelerus in Chronolog. Tom. I. p. 467. N. 2. et Drumannus in Hist. Rom. Vol. III. p. 510. N. 4., quaeritur, in quem diem Kalendarii Juliani illa pugna inciderit? Norisius in Epoch. Syromaced. p. 163. conjecit, Pharsalicam pugnam Junio exeunte commissam esse, eamque *de la Nauze* assignat diei 29. Junii proleptici, v. *Mémoires de l'Academ. des Inscriptt. Tom.* XXVI. p. 254. At Usserius, ut Eckhelius D. N. P. I. Vol. IV. p. 400. a. monet, eam in diem 6. Junii retrahit, quocum facit Korbius.

24) Nicolao Damasceno fidem hac in caussa neque habet Eckhelius D. N. P. II. Vol. VI. p. 73. a., ubi probat, *Pontificis* nomen Augusto tributum in Numis inde ab anno U. C. 711. frequenter obvium esse. Caeterum Augustus etiam Collegio *Septemvirorum Epulonum* adscriptus erat, ut ex vet. Lapide ap. Muratorium p. CCXX. ostendit Fogginius ad Fast. Praenest. p. 6. Idem porro in Numis inde ab anno U. C. 711. appellatur *Augur*, ut docet Eckhelius D. N. P. II. Vol. VI. p. 73. a., suspicatus, Augustum postquam *Pontifex* factus esset, etiam in collegium Augurum lectum esse. Id sine dubio factum est anno U. C. 707. a. 47. quo anno collegia sacerdotum ab Julio Caesare aucta esse scimus: v. Livii Epit. Libr. 89. et Dio Cass. Libr. XLII. c. 51. ibiq. Fabricius. N. 294. Strz.

peant, commemorat, illum Pontificem recens factum sacrificia legitima noctu obiisse, ne formae decore ac splendore generis multas mulieres in sui amorem pelliceret; illum saepe ab eis tentatum quidem esse, sed partim sollicitudine matris, quae eum custodiret neque evagari longius sineret, partim sua ipsius prudentia munitum nullis umquam earum artibus cessisse. Haec quam ridicula sint atque insulsa, nemo est quin intelligat, praesertim si legerit quae bona fide scripta reliquit Suetonius c. 71. Multo saniora sunt et ad morum illius juvenis notationem plurimum faciunt, quae et Suetonius c. 94. et Dio Cassius Libr. XLV. c. 2. memoriae produnt scribentes, Augusto togam virilem sumenti tunicam lati clavi ex utraque parte resutam ad pedes decidisse, idque ostentum, sollicitis qui aderant caeteris metuque perculsis, ab aliis sive, ut Dio ait, ab ipso ita acceptum esse, ut is ordo, cujus insigne id esset, quandoque ipsi subjiceretur. Inde videmus, quantos spiritus jam tum aluerit imberbis iste juvenis et qua flagraverit dominandi cupiditate. Neque a vero alienum est, quod ibidem Dio Cassius addit: *ἐξ οὖν τούτων ὁ Καῖσαρ* (i. e. Julius Caesar) *μεγάλα ἐπ' αὐτῷ ἐλπίσας ἔς τε τοὺς εὐπατρίδας αὐτὸν ἐσήγαγε καὶ ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ἤσκει, καὶ πάνθ' ὅσα προσήκει, τῷ μέλλοντι καλῶς καὶ κατ' ἀξίαν τηλικοῦτον κράτος διοικήσειν, ὑπάρχειν, ἀκριβῶς ἐξεπαίδευσε. Λόγοις τε γὰρ ῥητορικοῖς, οὐχ ὅτι τῇ τῶν Λατίνων, ἀλλὰ καὶ τῇδε τῇ γλώττῃ, ἠσκεῖτο· καὶ ἐν ταῖς στρατείαις ἐῤῥωμένως ἐξεπονεῖτο, τά τε πολιτικὰ καὶ τὰ ἀρχικὰ ἰσχυρῶς ἐδιδάσκετο.* Quo tamen in loco id modo perperam scriptum est, Augustum jam tum, posita praetexta, ab avunculo inter Patricios allectum esse: id enim triennio post factum esse, infra §. 6. demonstrabimus. Caetera, quae Dio de Julio Caesare, in magnam de suae sororis nepote spem adducto, illiusque singulari, qua eum ad omne civilis rationis ac prudentiae genus instituerit, diligentia universe monet, ea veri sunt simillima.

Nusquam relatum legimus, quem ex principibus in civitate viris, qui tum vivebant, de more assectatus sit. De Cicerone non licet cogitari, utqui tum ab Urbe remotus negotiis publicis abstineret ac maximam anni partem in villis inter spem metumque suspensus ac stomachabundus delitesceret. Julius Caesar tum pariter Roma aberat, ut, quod reliquum in Asia esset bellum, conficeret, atque in Urbem reversus ibique vix aliquot menses in componendis rebus occupatus in Africam properabat. Nihilo tamen secius vel absens curasse videtur, ut propinquus sibi optimae spei juvenis mature rerum domi forisque gerendarum artes addisceret et quam primum fieri posset rempublicam capesseret. Sic, ut hoc utar, Nicolaus Damascenus c. 5. narrat, Augustum, cum Feriae Latinae celebrarentur, posita medio in foro sella curuli consedisse ingenti cinctum corona hominum, qui partim juris consequendi caussa, partim ad spectandum duntaxat eum adiissent, utpote qui *ἀξιοθέατος ἦν καὶ μάλιϛα ἐν τῷ τότε σεμνότητα καὶ ἀξίωμα προσειληφώς*, ut Nicolaus ait. Id autem nemo dubitabit quin ab Julio Caesare institutum fuerit, ut Augustus ab hac Urbis praefectura et jurisdictione quodammodo honores et rerum publicarum administrationem auspicaretur[25]). Idem ut foro et eloquentiae pararetur, ab avunculo vi-

25) Nicolao si ea in caussa fides est habenda, simul discimus, morem illum, quo Feriarum Latinarum diebus Urbi, absentibus Consulibus, praeficeretur *τῶν γνωρίμων τις νέων*, ut ait Strabo Libr. V. c. 3. §. 2. p. 229. C. Tom. II. p. 150. Tz., non ab Augusto, ut indicare videntur Strabo et Dio Cassius Libr. XLIX. c. 42., sed ab Julio Caesare introductum esse. Sequenti tempore Imperatorum liberos et nepotes ab hac Urbis praefectura auspicari solitos esse honores, constat: v. praeter Lipsium et Ernestium ad Taciti Ann. Libr. IV. c. 36. Ed. Corsinius de Praefectis Urbis (Pisis 1766.) Praefat. p. XVII. et p. 21. 23. 30. et 40.

detur jussus esse assidere magistratibus pro tribunali jus dicentibus, et frequens essé auditor et spectator certaminum, ex quibus ei velut in media luce studenti magnus usus, multum constantiae ac plurimum judicii contingeret, ut verbis utar Auct. Dial. de Oratt. c. 34. Qua in re haud scio an Julius Caesar voluerit simul honori juvenis et dignationi publicae eo consulere, quod permiserat, ut magistratibus in tribunali sedentibus loco aeque sublimi ac conspicuo assideret. Id honoris Augusto juveni datum esse, planum est ex Dion. Cass. Libr. XLV. c. 7. Is enim memoriae tradit, M. Antonio a. U. C. 710. magnam apud milites invidiam factam esse, *ὅτι αὐτὸν* (i. e. Augustum modo Apollonia reversum) *ἐν τῷ δικαστηρίῳ ἀπὸ μετεώρου καὶ ἀπὸ περιόπτου τινὸς, καθάπερ ἐπὶ τοῦ πατρὸς εἰώθει ποιεῖν, ἐντυχεῖν τι ἐθελήσαντα οὐ προσεδέξατο, ἀλλὰ καὶ κατέσπασε καὶ ἐξήλασε διὰ τῶν ῥαβδούχων.*

Augustus in forum tiro deductus est in medio omnium rerum discrimine. Eloquentia, libertatis alumna, subinde obmutescere et e fori luce in umbram scholarum recedere coepit. Etiam mos ille assectandi post tirocinium viros ingenio, doctrina rerumque usu praestantes, quorum consuetudine quotidiana juvenes formarentur, immutata jam pridem juventutis educandae ratione, tum eviluisse videtur ac paene obsolevisse. Quapropter veri est simillimum, Augustum inde a tirocinii tempore, avunculi auspiciis, rhetoribus Latinis et Graecis plurimum operae dedisse.

§. 5.

Belli Africani quantumvis cuperet socius fieri, tamen Romae retentus est, ut Suetonius c. 8. ait, propter aetatem [26]), sive, ut Nicolaus c. 6. refert, quia mater huic consilio adversa esset atque avunculus corporis ejus parum firmi valetudini vehementer timeret. In illud bellum, ad opprimendas partium Pompejanarum reliquias, profectus est Julius Caesar anno U. C. 707. s. 47. ad finem vergente et Romae M. Lepidum, Magistrum Equitum, reliquit [27]).

Julius Caesar postquam ex bello Africano, in quo primum varia fortuna mox sua pugnaverat, ut scite ait Vellejus Paterc. Libr. II. c. 55. §. 1., elapsis sex mensibus, in Urbem redierat, quater triumphavit eodem mense, sed interjectis diebus. Reditum ejus diei 26. Quintilis anni U. C. 708. s. 46. assignat Oudendorpius ad Sueton. J. C. c. 37. Jam cum illi reduci facto tot a Senatu decretae sint supplicationes, tantique apparatus in triumphos facti, non videtur Oudendorpio credibile, eum prius triumphos illos agere potuisse, quam mense Octobri sive Novembri ineunte. Hos triumphos Augustus juvenis, quamvis belli expers, ab avunculo jussus est equo sequi, idemque donis militaribus donatus est [28]).

Anno U. C. 708. s. 46. exeunte Julius Caesar in Hispanias contra Pompeji M. filios profectus est: quo tempore Augustus d. 23. Septembris septimum decimum aetatis annum ex-

---

26) Intellige *aetatem militarem*, quae apud Romanos ab anno vitae septimo decimo initium habebat, quo anno in *Juniorum* centuriam recepti juvenes militiam capessere coeperunt: v. Lipsius de Milit. Roman. Libr. I. Dial. II. p. 19. Tom. III. Opp.

27) J. A. Fabricius, qui repulsam, quam Augustus in Magisterio Equitum apud avunculum tulisse fertur, praelato M. Lepido, in Chronolog. Aug. a. U. C. 707. assignat, in errorem se induci passus est, ut alias planum faciam.

28) Rem contestatur Nicolaus Damascenus c. 8., ubi pro *κόσμοις αὐτὸν στρατηγικοῖς ἀσκήσας* probabiliter *κοσμήσας* conjecit Baumgarten-Crusius ad Sueton. Aug. c. 8. — De donis militaribus copiose egit Lipsius de Milit. Roman. Libr. V. Dial. XVII. p. 365. sqq. Tom. III. Opp., et de more triumphantium, liberos cognatosque utriusque sexus, si quidem praetextati adhuc essent, in curru juxta se habendi, et, si grandiores essent, equis jugalibus funalibusque imponendi, videatur praeter Valesium ad Nicolaum Damasc. l. c. p. 206. Or., Fabricius ad Dionem Cass. Libr. LXIII. c. 20. N. 101. Vol. VI. p. 494. Strz.

tius rem enarrat Dio Cassius Libr. XLIII. c. 41. Is enim, commemorato eodem palmae ostento, quod Julio Caesari post partam de Pompejanis victoriam oblatum non tam victori aliquid fausti portendisse ait, quam *τῷ τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ ἐγγόνῳ τῷ Ὀκταουΐῳ*, his pergit verbis: *συνεστρατεύετό τε γὰρ αὐτῷ καὶ ἐκ τῶν πόνων τῶν τε κινδύνων αὐτοῦ ἐκλάμψειν ἔμελλεν:* quibus simul attestatur, hunc in avunculi apud Mundam castris praesentem fuisse. Id Dionis testimonium mihi neutiquam videtur rejiciendum esse, quippe ex antiquiorum, qui periere, scriptorum fide et auctoritate proditum. Sunt enim, quae, quam verum illud sit, comprobent. Nam primum veri dissimillimum est, Augustum juvenem per septem mensium spatium aegrotasse. Deinde non est credibile, eum, quem jam expeditionis Africanae societatem vehementer cupivisse vidimus, tam diu Romae haerere potuisse imbellem, otiosum et sollicite exspectantem verni temporis adventum. Porro si ille, juvenis nulliusdum stipendii, comperta demum Pompejanorum ad Mundam clade [31]), in avunculi castra properasset, non, credo, victorem magnopere demeruisset, ejusque gratiam sibi conciliasset: haud dubie hominum quorumdam rumusculi de avunculi rebus minus prospere in Hispania gestis eum impulerunt, ut vixdum firmus a gravi valetudine iter maturaret. Denique itineris pericula ac tempestates, naufragii effectrices, monent, ut de hibernis potius, quam de vernis cogitemus mensibus. Quae cum ita sint, potior mihi videtur Dionis Cassii ea in re auctoritas quam Nicolai Damasceni [32]), atque in eam facile adducor sententiam, ut Augustum certe brevi ante pugnam Mundensem in avunculi castra pervenisse putem.

Inde ab hoc tempore manebat in Hispania apud avunculum, qui, ut Nicolaus c. 11. ait, eum *οὐδαμῇ μεθίει, ὁμοδίαιτόν τε εἶχε*, sive, ut Velleji Paterc. Libr. II. c. 59. §. 3. verbis utar, comitem habebat, numquam aut alio usum hospitio aut alio vectum vehiculo. Cujus rei exemplum profert Nicolaus. Cum enim Julio Caesari rerum in Hispania constituendarum caussa navigandum esset Carthaginem novam, jussus est Augustus eamdem, quam avunculus, navem conscendere, ibique cum multorum aliorum eo confluentium hominum, tum maxime Saguntinorum graviter accusatorum caussam tam dextre apud avunculum egisse traditur, ut illi absolverentur dimissique domum hilares summis laudibus tollerent juvenem, salutis suae auctorem [33]). Pergit Nicolaus c. 12.: *ἐντεῦθεν πολλοὶ συνέῤῥεον προστασίας δεόμενοι, οἷς πλείστου ἄξιος γενόμενος, τῶν μὲν διέλυε τὰ ἐγκλήματα, οἷς δ' ᾐτεῖτο δωρεάς, οὓς δ' εἰς ἀρχὰς προῆγεν. Πάντες τε ἀνὰ στόμα εἶχον τήν τε ἡμερότητα καὶ φιλανθρωπίαν καὶ τὴν ἐν ταῖς ἐντεύξεσι φρόνησιν.* Ea si ex fide memoriae prodita sunt, subit mirari, qui fieri potuerit,

---

31) Nuntius de hac Julii Caesaris victoria Romam allatus est sub vesperam pridie ejus diei, quo *Palilia* celebrabantur i. e. d. XI. Kalend. Majas, ergo d. 20. Aprilis a. 709: v. Dio Cass. Libr. XLIII. c. 42.

32) Drumannus in Hist. Rom. Vol. IV. p. 252. negat, Augustum adfuisse avunculo suo apud Mundam cum Pompejanis decertanti, secutus maxime Nicolaum Damascenum, sublestae fidei testem. Vim et significationem v. *διαπολεμεῖν* non esse premendam, nemo non intelligit. Gravius est illud, quod Nicolaus c. 11. narrat, Augustum in Hispania primum convenisse avunculum ad Calpen promontorium. Atqui Julius Caesar, ut accurate docuit Drumannus in Hist. Rom. Vol. III. p. 640 sq. cl. Vol. IV. p. 252., illum Hispaniae australis tractum non prius cum legionibus ingressus est quam devictis dispersisque ad Mundam Pompejanis. Ergo Augustus illo in proelio nondum praesens aderat, si Nicolai mentem ac judicium sequimur. Verum enim vero reputanti mihi, quam negligens rerum ille scriptor sit quamque ignarus temporum locorumque, nequaquam dubium est, quin, ubi aliae eaeque potiores rationes aliud suadeant, id, repudiata ejus, quamvis aequalis scriptoris, auctoritate, amplectendum esse ducam.

33) Non multum abest quin suspicer, ea, quae Nicolaus acta esse ait Carthagine nova, accidisse in urbe Hispali: v. Auct. d. B. Hisp. c. 35. et 42. Cf. Drumannus in Hist. Rom. Vol. IV. p. 252. N. 92. et 93.

ut, qui juvenis nondum duodeviginti annos natus laudatissimas avunculi sui virtutes tam feliciter aemulari coepisset, is biennio post ferarum ritu in cives saeviret? At vereor, ne Nicolaus suo more potentium potius favori quam rerum veritati obsecutus adolescentiam Augusti, tum, quum haec scribebantur, orbis terrarum domini, virtutibus cumulatiorem et perfectiorem stylo expresserit. Majorem fidem invenient ea, quae idem Nicolaus c. 11. narrat de Julio Caesare, qui, quo certius ingenium ejus exploraret, eum de multis rebus inter colloquendum percunctabatur, *ὁρῶν δὲ εὔστοχον καὶ εὐσύνετον καὶ βραχυλόγον αὐτά τε ἀποκρινόμενον τὰ καιριώτατα, ἔστεργε καὶ ὑπερησπάζετο.* Qui cum per bellum Hispaniense, in quo sororis suae nepos suo contubernio prima stipendia fecerat, in eo permulta magnarum virtutum signa si non expressa, certe adumbrata animadvertisset, videtur adductus esse, ut, quod ad hoc usque tempus tacito animo agitaverat consilium, facto exsequeretur. Mihi enim persuasum est, Julium Caesarem, cum sine stirpe mascula esset, jam dudum cogitasse de aliquo affine in nomen suum familiamque adoptando, qui, si quid sibi accidisset, susceptum a se opus ad finem adduceret. Jam optio ei data erat inter Q. Pedium et L. Pinarium, nepotes Juliae sororis majoris, et C. Octavium, Juliae minoris nepotem [34]). Hunc cur illis praetulerit, quamvis variae cogitari possint caussae, nulla tamen videtur verior esse existimanda, quam quae repetatur ex majoribus ingenii animique facultatibus, quae avunculo magno, qua erat perspicacitate, certiorem et futurae magnitudinis spem et successionis fidem facerent [35]). Atqui eae facultates, licet mature sine dubio animadversae et a teneris curatissime nutritae explicataeque, non prius recte perspici poterant quam Augustus, posita praetexta, rebus gerendis interesse coepisset. Itaque Julius Caesar, quod jam pridem animo propositum fuisset, id prudens adhuc suppresserat celaveratque cum alios, tum ipsum Augustum juvenem, donec ab eo in militia Hispaniensi tam manifesta ac certa virtutum experimenta edita essent, ut adoptare eum apud animum statueret. Neque, si Romanorum sensum ac superstitionem spectamus, a vero abhorret, quod de ostenti illius apud Mundam vi in Julii Caesaris animum monet Suetonius c. 94. Ejus rei testis etiam est Nicolaus c. 13., ubi de Julio Caesare ex Hispania reverso: *ἔγνω μὲν καὶ πρότερον παῖδα ἀποδεῖξαι, δεδιὼς δὲ, μὴ ἐλπίδι τοσαύτης τύχης ἐπαρθεὶς, ὃ φιλεῖ τοῖς εὐδαιμόνως τρεφομένοις ἕπεσθαι, ἐκλάθοιτο ἀρετῆς καὶ ἐκδιαιτηθείη, συνέκρυψε τὴν γνώμην, ἐν δὲ ταῖς διαθήκαις αὐτὸν υἱοῦται ἄπαις ὢν ἀῤῥένων παίδων, καὶ κληρονόμον ἀποδείκνυσι τῆς τύχης πάσης, τετάρτην δὲ μοῖραν τῶν χρημάτων τοῖς ἄλλοις διένειμε φίλοις τε καὶ ἀστοῖς, ὅπερ ὕστερον ἐγένετο δῆλον.* Quibuscum apprime conveniunt ea, quae apud Suetonium in J. Caes. c. 83. relata legimus [36]).

§. 6.

Ex Hispania in Urbem reversus est Julius Caesar mense Octobri a. U. C. 709. s. 45.,

34) *Q. Pedium* et *L. Pinarium* aetate multum antecessisse Augustum, evidens est et exploratum, neque tamen propterea fides scriptorum illos Juliae majoris nepotes appellantium cum Glandorpio in Onomast. p. 432. in suspicionem vocanda est. Neque etiam grandior aetas eorum obstitisse dicenda est, quo minus avunculus alterum utrum in nomen familiamque adsciscoret. At neuter illorum videtur ullo virtutum genere excelluisse: videsis, praeter Intpp. ad Suetonii J. Caes. c. 84., Drumannum in Hist. Rom. Vol. III. p. 765 sq.

35) Nicolaus Damasc. c. 13. inprimis effert Augusti juvenis verecundiam, *αἰδῶ*, et addit: *διὰ τοῦτο καὶ μάλιστα Καῖσαρ αὐτὸν περὶ πολλοῦ ἐποιήσατο, καὶ οὐχ, ὥσπερ οἴονταί τινες, διὰ τὸ γένος μόνον.* Num caussas ac rationes, quibus Julius Caesar ad adoptionem Augusti fuerit permotus, plane perspectas habuerit Fried. Buchholz in libr. *Philosoph. Untersuchungen über die Römer* Tom. I. p. 190 sq. in medio relinquam.

36) Conferas quae de testamento Julii Caesaris erudite et copiose scripsit Drumannus in Hist. Rom. Vol. III. p. 665 sqq.

ut refert Vellejus Paterc. Libr. II. c. 56. §. 3., cujus auctoritatem amplexus est Pighius Annal. Tom. III. p. 461. At rediisse illum in Italiam jam mense illius anni Septembri, jam Oudendorpius ad Suetonii Jul. Caes. c. 37. admonuit, idque idoneis argumentis probari potest. Nam apud Suetonium Jul. Caes. c. 83. legimus, testamentum, quod L. Piso aperiri recitarique jusserat in domo M. Antonii, factum esse ab Julio Caesare in Lavicano suo Idubus Septembribus a. U. C. 709. Ergo illud fecerat modo reversus ex Hispania, antequam Romam triumphans ingrederetur, in villa sua prope Lavicum, oppidulum in agro Tusculano. Adde ea, quae legimus apud Ciceronem. Is Attico suo scripsit Libr. XIII. Epist. 45. §. 1.: „Fuit apud me Lamia post discessum tuum epistolamque ad me attulit missam sibi a Caesare: quae quamquam ante data erat quam illae Diocharinae, tamen plane declarabat illum ante ludos Romanos esse venturum. In qua extrema scriptum erat, ut ad ludos omnia pararet neve committeret, ut frustra ipse properasset. Prorsus ex his litteris non videbatur esse dubium, quin ante eam diem venturus esset: itemque Balbo, quum eam epistolam legisset, videri Lamia dicebat.“ De eodem Balbo Libr. XIII. Ep. 46. §. 2. ad Atticum: „Balbum conveni. — Ex eo hoc primum: *„Paulo ante acceperam eas litteras, in quibus magno opere confirmat, ante ludos Romanos.“* Legi epistolam etc.“ — L. Aelius Lamia ille, cui Julius Caesar mandaverat, omnia ut ad ludos pararet, isto anno fuit Aedilis: v. Cicero Libr. XI. ad Divers. Ep. 16. et 17. Ludi Romani autem celebrari coepti sunt pridie Nonas Septembres: v. Fogginius ad Fast. Sacr. p. 113. Et Julium Caesarem promissis stetisse et ante illos ludos, qui celebrabantur usque ad pridie Idus Septembres, ex Hispania rediisse, patet ex eo, quod de testamento ejus paulo ante protulimus. Velleji igitur testimonium accipiendum erit de triumpho, quem ex Hispania reversus quintum egit, ut, praeter Epitom. Livii Libr. CXVI., etiam Suetonius in Jul. Caes. c. 37. testatur. Huic de civibus triumpho ut per se inviso Romanis et abominando, ita major etiam facta est invidiae ac detestationis accessio ex eo, quod victor Pompejanorum legatis suis, Q. Fabio Maximo et Q. Pedio, quamvis, ut Dio Cass. Libr. XLIII. c. 42. ait, nihil praeclari propriis auspiciis gessissent, triumphandi potestatem impertiverat. Ac Fabius quidem d. III. Idus Octobres et Pedius ipsis Idubus Decembribus triumphavit, ut discimus ex Fastis Capitolinis apud Pighium Annal. Tom. III. p. 461. cf. Orellii et Baiteri Onomast. Tullian. Vol. VIII. P. III. p. CLXI.[37]). Proinde consequens est colligere, ipsum Julium Caesarem, si non mense Septembri exeunte, certe initio Octobris triumphum ex Hispania egisse. In quinto hoc eoque novissimo, quem ille jam et externorum et domesticorum hostium victor egit, triumpho nulla quidem apud ullum scriptorem Augusti juvenis fit mentio, ac

37) Dio Cassius Libr. XLIII. c. 42. ait, utriusque illius legati triumphum Romanis ridiculum visum esse, quod illi oppidorum imaginibus ferculisque nonnullis, non eburneis, ut Julius Caesar, sed ligneis usi essent. Dioni sine dubio obversatus est jocus Chrysippi Vettii, qui, cum in triumpho Dictatoris eborea oppida essent translata, et post paucos dies Fabii Maximi lignea, *„thecas esse oppidorum Caesaris“* dixisse fertur, auctore Quintiliano Inst. Or. Libr. VI. c. 3. §. 61. Sed primum iste Chrysippus Vettius, architectus, gènere non Romanus erat, sed Cyri architecti libertus et Julii Caesaris in Gallia comes, cujus mentionem facit Cicero Libr. XIV. ad Attic. Ep. 9. et Libr. VII. ad Divers. Ep. 17. ubi vid. Manutius. Si a Caesarianis et a populo jam tum duas tantum res, panem et Circenses, optante discesseris, in universum recte scripsit Plutarchus in Vit. Jul. Caes. c. 56.: *„ὁ δ' ἀπ' αὐτοῦ (Καίσαρος) καταχθεὶς θρίαμβος, ὡς οὐδὲν ἄλλο, Ῥωμαίους ἠνίασεν.“* Deinde vero tota ista narratio confutatur auctoritate Velleji Paterc. Libr. II. c. 56. §. 2., utqui tradat, Gallici triumphi apparatum ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini testudine, Africi ebore, Hispaniensis argento rasili (*Silberblech*) constitisse. Quo in loco Ruhnkenius, quam Quintiliani et Dionis narrationibus permotus tentaverat verborum trajectionem, merito ipse rejiciebat. Conferas Drumannum in Hist. Rom. Vol. III. p. 613. et 657.

Nicolai Damasceni libellus eo in loco duarum paginarum lacunam habet. Verum enim vero, cui ab avunculo concessum fuisset, triumphum ex Africa, stipendiis non factis, equo sequi, eum non tam veri simile quam certum est interfuisse etiam triumpho ex ea terra, in qua sub ejusdem ducis signis ac contubernio primum militasset.

Praeterea Nicolaus Damascenus c. 14. ambitiose, ut solet, narrat, Augustum prius quam Julium Caesarem, in Urbem contendisse, impetrata ab eo matrem salutandi venia. Scilicet iste scriptor voluit docere, quanta utrobique fuerit humanitas, quanta caritas! Jam vero Plutarchus in Vit. Anton. c. 11. de Julio Caesare ex Hispania regrediente tradit: *κομιζόμενος — ἐπὶ ζεύγους διὰ τῆς Ἰταλίας Ἀντώνιον εἶχε μεθ᾽ ἑαυτοῦ συνοχούμενον, ὄπισθεν δὲ Βροῦτον Ἀλβῖνον καὶ τὸν τῆς ἀδελφιδῆς υἱὸν, Ὀκταουιανὸν, ὃς μετὰ ταῦτα Καῖσαρ ὠνομάσθη κ. τ. λ.* Constat autem neque M. Antonium, neque D. Brutum Albinum in Hispaniensi bello Julii Caesaris fuisse comites, sed ei victricibus cum legionibus redeunti pariter atque alios multos obviam profectos esse [38]). Itaque est quod quaeramus, num Augustus illum commeatum jam in Hispania petiverit atque impetraverit? Mihi res ac tempora spectanti videtur Augustus avunculum ex Hispania redeuntem in Italiam comitatus esse, sed eum, antequam triumpharet, fortasse in Lavicano commorantem rogasse, ut sibi ante triumphum matris salutandae gratia liceret Urbem ingredi. Eam autem rem, per se levem ac nullius momenti, notatu dignam censuit Nicolaus, ut, quam sobrius, prudens ac sollers Augustus fuisset in rejicienda Pseudo-Marii ad Janiculum ei occurrentis arrogantia, commemorare posset. Idem Nicolaus c. 15. refert, Augusto ex militia Hispaniensi reverso Romaeque commoranti Patriciatus honorem tributum esse a Senatu. Videlicet Senatus decrevit, quod Julius Caesar fieri voluit. Gens enim Octavia, quae, teste Suetonio c. 2., a Tarquinio Prisco rege inter Romanas gentes allecta, mox a Servio Tullio in patricias transducta, procedente tempore ad plebem se contulerat, rursus magno intervallo per Julium Caesarem in patriciatum rediit, lecto in eum Augusto juvene. Dio Cassius Libr. XLV. c. 2. id quum factum esse ait statim post tirocinii sollemnitatem a. U. C. 706. s. 48., dubium non est quin fallatur. Nam Julius Caesar in allegenda inter patricios gente Octavia haud dubie id spectavit, ut is, quem nominis sui heredem testamento aut jam scripsisset aut scripturus esset, etiam a nobilitate Senatui Populoque commendaretur. Eccui autem credibile est, illum de hoc sororis suae nepote sic honorando et commendando cogitasse, priusquam, perspectis ingenii animique ejus dotibus ac virtutibus, statutum cum animo ac deliberatum haberet, eum in nomen suum familiamque adsciscere? Accedit, quod eo ipso tempore, uti Senatum iterum suppletum, ita novis quoque gentibus nobilitatem ab Julio Caesare datam esse, memoriae proditum legimus apud Suetonium in Jul. Caes. c. 41. cl. Tacit. Ann. Libr. XI. c. 25. Atque illas inter gentes Octaviam quoque fuisse arbitror.

Per idem tempus Augusto in Urbe apud Philippum et Atiam versanti videtur, avunculo ipso veluti pronubo, desponsa esse *Servilia*, P. Servilii Isaurici, Cos. a. U. C. 706. s. 48. filia, quam ille tamen sponsam tantum habuisse, numquam in matrimonium duxisse traditur: v. Suetonius c. 62.

---

38) Romanorum nobilium quorumdam trepidatio, sitne obviam procedendum Dictatori ex Hispania redeunti, nec ne, pulchre describitur a Drumanno in Hist. Rom. Vol. III. p. 655 sqq. Prae caeteris Ciceronem ista obviam itio suspensum sollicitumque tenebat: v. Libr. XIII. ad Attic. Ep. 50. §. 4.

Augustus quum tot ac tantis gratiae et prolixi in se studii documentis in prima, cui interfuerat, expeditione ab avunculo esset ornatus, fieri non poterat quin juvenis, qui vix duodeviginti annos haberet, subinde altiores spiritus sumeret atque immensa ambitione honorumque cupiditate inflammaretur atque agitaretur. Cujus rei argumentum satis evidens mihi videor invenire apud Plinium N. H. Libr. VII. c. 45. Is enim inter alias sortis humanae vicissitudines, quas Augustus, dum in vivis erat, subierit, recenset etiam repulsam in Magisterio Equitum apud avunculum et contra petitionem ejus praelatum M. Lepidum: quam repulsam cum quadam auspicantium coeptorum nota conjunctam fuisse addit Solinus c. 1. §. 49. Jam controversum est, quo tempore istam repulsam tulerit. J. A. Fabricius in Chronologia Augusti id accidisse statuit anno U. C. 707. s. 47., quo anno exeunte Julius Caesar, Dictator III., in Africam cum exercitu proficisceretur, relicto Romae M. Lepido, Magistro Equitum. At non credo, Augustum, sedecim annorum adolescentulum, eo temeritatis nescio dicam an impudentiae progressum esse, ut jam tum ab avunculo magistratum peteret, quo illis praesertim temporibus nihil erat ad potentiam gravius et ad tuendam Dictatoris absentis caussam difficilius. Ex quo autem ille, primis stipendiis in Hispania factis, ut corpore, ita animo quoque adoleverat atque ab avunculo eximie honoratus fuerat, nihil impedit quo minus suspicemur, eum praecipiti quodam ac temerario de se judicio abreptum optasse, ut avunculi sui Dictaturam quintam per autumnum anni U. C. 709. s. 45. ineuntis Magister Equitum fieret [39]). Sed petitio ejus ab avunculo repudiata est ac praelatus M. Lepidus. Atqui huic, quam proposui, sententiae videtur aperte contradicere Appianus B. C. Libr. III. c. 9. his usus verbis: *'Οκταούϊος δὲ ὁ τῆς ἀδελφῆς τοῦ Καίσαρος θυγατριδοῦς, ἵππαρχός μὲν αὐτοῦ Καίσαρος γεγένητο πρὸς ἓν ἔτος ἐξ οὗ τήνδε τὴν τιμὴν ὁ Καῖσαρ ἐς τοὺς φίλους περιφέρων, ἐτήσιον ἔσθ' ὅτε ἐποιεῖτο εἶναι* [40]). Cujus loci sententia quo melius perspiciatur, rem paulo altius repetamus, necesse est.

Julius Caesar pro eo, qui erat ejus animi vigor acerrimus et magnitudine cogitationum consiliorumque super humanam et naturam et fidem evectus, recens a Pompejanarum partium clade Hispaniensi jam Parthos Romanis infestissimos armis illatis ulcisci constituit. Id bellum cum appararetur, ei a Senatu Populoque, si non mandatum, certe permissum est, ut magistratus, comitiis ante habitis, in plures annos ordinaret. De numero annorum non minor inter veteres scriptores est dissensus, quam de ipsis magistratibus, qui tum fuerint designati [41]). Dio Cassius,

---

39) Julius Caesar quoties et quo ordine Dictator fuerit, non tam scriptorum quam numorum aliorumque monumentorum dissensu controversum est, quem exactissimo judicio examinavit Drumannus in Hist. Rom. Vol. III. p. 565. et tam egregie istius rei difficultatem expedivit, ut, quem meliorem ea in caussa sequar ducem, habeam neminem. Ille primum renuntiatus est Dictator per M. Lepidum absens a. U. C. 705. s. 49. victor Afranii et Petreji, Pompeji M. in Hispania legatorum: qua tamen Dictatura post undecim dies se abdicavit: v. Drumannus in Hist. Rom. Vol. III. p. 469. N. 42. cl. p. 565. Post pugnam Pharsalicam fecit Dictaturam annuam, eamque a mense Septembri a. U. C. 706. s. 48. usque ad eumdem mensem a. U. C. 707. s. 47. numerando *primam* in Numis expressit. Quare ex Hispania, devictis Pompeji M. filiis, reversus mense Septembri a. U. C. 709. s. 45. iniit Dictaturam *quartam* annuam sive, ut scriptores numerant, *quintam*: cf. Drumannus in Hist. Rom. Vol. III. p. 656. N. 60.

40) Offensionem aliquam habet lect. *γεγένητο*, licet verior sit quam vulg. Editt. *ἐνεγίγνετο*. Utriusque temporis confusio haud infrequens in Codd. Mstis, docente Ellendtio ad Arriani de Expedit. Alex. Libr. VII. c. 16. §. 12. Tom. II. p. 420 sq. Plusquamperfectum, quod jam dederat Tollius, firmavit Cod. August. testimonio Schweighäuserus, sed perperam vertit: *fuerat*, gravem sic Appiano obtrudens errorem. Numquam Augustus functus est Magisterio Equitum. Vertendum est *γεγένητο*, *factus* sive *creatus erat*. Verbum *γίγνεσθαι* ea significatione dici, notum est: v. Buttmanni Gr. Gr. Tom. II. p. 95.

41) Rem admodum perplexam illam perque difficilem non minus acute quam docte explanare studuit Drumannus in Hist. Rom. Vol. III. p. 679 sqq.

designaret, videtur, memor Augusti precum nuper rejectarum, hunc absentem et Apolloniae commorantem Dictaturae septimae suae designasse Magistrum Equitum, quo citius ambitiosi istius adolescentis dolorem ex repulsa acceptum leniret.[43] Designatus est Augustus tertio loco sic, ut, exactis Lepidi et Domitii annuis his magistratibus, in Italiam rediret atque exoptatum sibi Magisterium Equitum iniret autumno a. U. C. 711. s. 43. Ea autem omnia Idubus Martiis irrita facta sunt, et admirabili rerum conversione accidit, ut Augustus, quo anno ac fere mense ei, vivente avunculo, ineundum fuisset Magisterium Equitum, Consul fieret et Triumvir.

Verum tamen, quidquid cum de repulsa, tum maxime de Augusti Magisterio Equitum proposui, ceterorum omnium scriptorum ac monumentorum aequalium silentio si non redargui, certe suspectum dubiumque reddi videtur.[44] Cum autem caussae in promptu sint, quibus istud silentium explicari possit, non video, cur, quae a paucis tantum iisque serioris aevi scriptoribus memoriae prodita sint, falsa et commenticia esse credam. Quis enim est quin videat, repulsam intra privatos haud dubie acceptam parietes rem fuisse leviorem, quam quae ab aequalibus, ut a Cicerone, aut a serioribus rerum narratoribus, ut a Vellejo et Suetonio, commemoraretur, praesertim cum nullam illa vim habuerit in reliquam Augusti vitam? At Augusto ipsi ejusque amicis, Maecenati et Agrippae, haud dubie digna visa est quae posteris proderetur. Jam Plinio locum illum scribenti sub manibus fuisse si non ipsius Augusti Commentarios de vita sua, saltem Maecenatis et Agrippae de illa libros, in confesso est. Eam autem repulsam a Plinio, tam curioso rerum scriptore, humanae sortis in vita Augusti voluminibus adnumeratam esse, me quidem mirum non habet. Neque erat, quod Plinius adderet, Augustum, nonnullis mensibus post repulsam, ab avunculo designatum fuisse Magistrum Equitum. Non magis mirum mihi videtur Ciceronis de designatis istis Magistris Equitum silentium. Annus U. C. 710. s. 44. rerum eventorumque gravissimorum tam ferax erat, ut Consularis ille alia multa haberet, de quibus per litteras aut jocaretur cum familiaribus, aut stomacharetur. Atque ego, ut libere dicam, non intelligo, quid laudis Cicero, orator quamvis sollers et callidus, in Philippicis contra M. Antonium derivare potuisset, si id agere voluisset, ad Augustum ex Magisterio Equitum, quod huic singulari tantum avunculi amore decretum esset. Gravioris hac in caussa momenti videtur illud, quod in Fastis Capitolinis ad an. U. C. 709. sive 44. a. Chr. Lepidi quidem et Domitii, Magistrorum Equitum, nomina adscripta inveniuntur, nequaquam tamen Augusti nomen, cujus ne tenue quidem vestigium comparet.[45] Sed hanc quoque difficultatem habere mihi videor quo expediam. Utriusque Magistri Equitum nomina a Fastorum scriptore ibi exaranda fuerunt, quia, ex Dictatoris voluntate ac decreto, illius ejusdemque anni autumno Lepidus Magisterio suo annuo abiturus ac Domitius suum initurus erat; Augustus au-

43) Julius Caesar cum, ut monuimus, inde ab anno U. C. 706. s. 48. singulam quamque Dictaturam autumnali cujusvis anni tempore inire soleret, ex mente ejus hic futurus erat Magistrorum Equitum ordo: Lepidus a. U. C. $7^{09}/_{10}$; Domitius a. U. C. $7^{10}/_{11}$ et Augustus a. U. C. $7^{11}/_{12}$; sed, perpetrata Dictatoris caede, ne Lepidus quidem sui magisterii annum obire poterat.

44) Id visum est Drumanno, viro eruditissimo, qui in Hist. Rom. Vol. III. p. 684 sq. toti illi de Augusti Magisterio Equitum narrationi, quae unice Appiani et Dionis Cassii fide et auctoritate nititur, controversiam movit.

45) Inter singulos marmoris versus nulla reperitur lacuna, in qua exesum fuerit nomen *C. Octavii* i. e. Augusti: conferatur Drumannus in Hist. Rom. Vol. III. p. 685. N. 95. recte vituperans eos, qui illa Fastorum Fragmenta supplentes *Octavium* intrusere et praeposuere *Domitio* contra testimonium Dionis Cassii Libr. XLIII. c. 51. Sic Pighius Annal. Tom. III. p. 462, cui adstipulati sunt Eckhelius D. N. P. II. Vol. VI. p. 69 sq. et Fabricius ad Dion. Cass. l. c. N. 285 sq. Vol. V. p. 402. Strz. Eorum auctoritati me quoque nuper temere obsecutum esse confiteor.

tiam ullamve aliam doctrinam cum laude ibi docuissent, neque a Strabone quidquam, quamvis diligente hujuscemodi rerum narratore, neque ab ullo alio antiquitatis scriptore memoriae proditum legimus. Hinc mihi persuasissimum est, in magno versari errore eos, qui Apolloniam pariter atque Athenas, Rhodum, Massiliam aliamve in urbem eruditionis et bonarum artium studiis doctoribusque celebrem Roma tum missos esse dicant juvenes natalium et fortunarum splendore insignes.[48]) Itaque etiam Julius Caesar in Augusto Apolloniam mittendo nequaquam id spectasse existimandus est, ut ea in urbe artes liberales ac disciplinas studiosius, quam adhuc Romae factum esset, tractaret earumque doctoribus ibi viventibus operam daret. Attamen Augustum Apolloniae studiis vacavisse, contestantur etiam Suetonius c. 8. et Dio Cassius Libr. XLV. c. 3., unde sua hausit Zonaras Libr. X. c. 13. Res non difficilis est intellectu. Vellejum enim pervertisse istius missionis et profectionis in urbem illam Illyrici consilium, satis aperte docet Appianus B. C. Libr. III. c. 9., ubi de Augusto haec refert: *μειράκιον δὲ ἔτι ὤν, ἐς Ἀπολλωνίαν τὴν ἐπὶ τοῦ Ἰονίου, παιδεύεσθαί τε καὶ ἀσκεῖσθαι τὰ πολέμια, ἐπέμπετο ὑπὸ τοῦ Καίσαρος, ὡς ἐς τοὺς πολέμους ἑψόμενος αὐτῷ. Καὶ αὐτὸν ἐν τῇ Ἀπολλωνίᾳ ἱππέων ἶλαι, παρὰ λλὰξ ἐκ Μακεδονίας ἐπιοῦσαι, συνεγύμναζον· καὶ τῶν ἡγεμόνων τοῦ στρατοῦ τινες, ὡς συγγενεῖ Καίσαρος, θαμινὰ ἐπεφοίτων. Γνῶσίς τε ἐκ τούτων αὐτῷ καὶ εὔνοια παρὰ τοῦ στρατοῦ τις ἐγίγνετο σὺν χάριτι δεξιουμένῳ πάντας.*[49]) Ipse quidem Appianus commemorat *παιδείαν*, quam Augustus, avunculo volente, Apolloniae acciperet. Ipsum verbum *παιδεύεσθαι*, quo usus est, minime vetat nos cogitare de disciplina militari exercitiisque bellicis, quae distinctius verbis sequentibus declarat. Sed Appianum ut credam illud accepisse acceptumque voluisse de bonarum artium studiis, suadet alius ejusdem scriptoris locus B. C. Libr. III. c. 20. In eo M. Antonium cum Augusto Apollonia reverso colloquentem inducit sic: *ὁ δὲ δῆμός ἐστιν, ὥσπερ καὶ σὺ τῶν Ἑλληνικῶν ἀρτιδίδακτος ὢν ἔμαθες, ἀστάθμητον, ὥσπερ ἐν θαλάσσῃ κῦμα κινούμενον· ὁ μὲν ἦλθεν, ὁ δ' ἀπῆλθεν:* quibus verbis nemo non sentit cum irrisione quadam a M. Antonio respici Apolloniensem istam Augusti *ἐν ἀσκήσει λόγων διατριβήν,* quam vulgo dicunt scriptores Graeci. Neque injuria! Nam Julius Caesar pro eo ac ipse amabat litteras simul curaverat, ut ne sororis suae nepos interea, quoad ipse Roma profectus cum legionibus advenisset, Apolloniae sine litterarum studiis commoraretur. Eam ob caussam in comitatu ejus esse jusserat Apollodorum Pergamenum, rhetorem illius aetatis clarissimum, de quo §. 10. fusius dicetur. Is jam grandis natu Apolloniam eductus est Roma ab Augusto juvene, auctore Suetonio c. 89. Inde autem quae colligi possint, ad intelligendum non est difficile. Primum nullos Apolloniae fuisse apparet dicendi magistros eruditione et fama insignes, quibus ibi Augustus uti potuisset. Alioquin ibi erat quaerendus, non ab Urbe educendus magister, qui juvenem illum eloquentiae praeceptis et arte inter arma exerceret. Deinde non obscurum est, cur illi comes ac contubernalis additus fuerit rhetor Graecus. Voluit enim Julius Caesar, ut Augustus, qui jam Romae liberalibus disciplinis cum cura institutus fuisset, prae caeteris pergeret dicendi facultatem excolere, qua nihil utilius nihilque ei

48) Prae caeteris eo nomine notandus est C. W. de Rhoer in Dissert. de Studiis Literar. C. A. Cap. I. §. 2. p. 5sq.; sed iste error etiam in nostratium libris haud paucis veluti per traducem propagatus reperitur.

49) In Appiani editt. Tollii et Schweighäuseri legitur: *ὡς ἐς τοὺς πολεμίους ἑψόμενος*, ubi Baumgarten-Crusius ad Suetonii Aug. c. 8. errorem typographicum subodoratus mihi videtur recte correxisse *ἐς τοὺς πολέμους*.

magis necessarium fore intelligeret. Hinc Plutarchus in Brut. c. 22. de Augusto scribit: *ἐν δ' Ἀπολλωνίᾳ διέτριβεν, ὅτε Καῖσαρ ἀνῃρέθη, σχολάζων περὶ λόγους, κἀκεῖνον ἐπὶ Πάρθους ἐλαύνειν εὐθὺς ἐγνωκότα προσμένων.* Qui quidem locus capiendus est de disciplina Apollodori rhetoris, qui, aliorum quoque scriptorum consensu, unus fuit illa in urbe magister, quo Augustus utebatur. Denique cum Augusti in urbe Apollonia commoratio non diuturna esset futura, Julio Caesare propediem subsecuturo, aut ego magnopere fallor aut Apollodorus ille, jam grandior natu, illius contubernio admotus est magis, ut adolescenti per omne expeditionis illius tempus vitae aetatisque lubricae custos esset morumque rector, quam quo Dictator arbitraretur, sororis suae nepotem, per brevem illam Apolloniae stationem et inter continua belli exercitia itinerumque molestias, Graecis dicendi exercitationibus plurimum ad eloquentiam proficere posse. Nam, utcumque alii ea de re sentiunt, mihi quidem certum esse videtur et evidens, Augustum ab avunculo Apolloniam missum esse non tam ad litteras quam ad res perdiscendas, quas belli usus posceret atque administratio. Teste Appiano B. C. Libr. II. c. 110. trans mare Ionium jam tum trajectae erant legiones sedecim cum decem millibus equitum. Ad eas igitur praemissus est Augustus, ut equorum armorumque exercitiis belli laboribus, quos propter militiae Hispaniensis brevitatem nondum satis perpessus esset, magis magisque assuesceret ac commorando inter milites favorem sibi conciliaret ducisque artes et munia condisceret. Nam cum Appianus in eo, quem supra transscripsi, loco inter alia etiam narraverit, ad Augustum veluti stativa Apolloniae habentem ex Macedonia[50]) quoque alternis vicibus ad exercendum venisse alas equitum, non multum abest quin opiner, hunc juvenem cum aliquo imperio ibi fuisse et curam quamdam inspectionis sive transvectionis habuisse cum mutuis illis exercitationibus conjunctam.

Jam ex his, quae rerum temporumque vestigia secutus scripsi, ultro apparere arbitror, Augustum ab Julio Caesare, mox eum habituro belli Getici et Parthici commilitonem, Apolloniam praemissum potius esse in disciplinam militiae quam in litterarum artiumque studia. Atque quo minus cum aliis viris doctis, quos hic enumerare longum est et odiosum, dicamus et confidenter asseveremus, Augustum juvenem Apolloniae potissimum ingenii animique cultum, quo vir factus et Imperator emineret, percepisse eumque non solum acri studiorum assiduitate, sed frequenti etiam magistrorum, quos ibi audiret, usu et consuetudine omnium rerum magnarum et artium scientiam perfecisse, obstare etiam videtur Apolloniensium brevitas studiorum, quippe quibus vix per semestre temporis spatium vacare posset. Nam, auctore Appiano B. C. Libr. III. c. 9., Augustus Apolloniae sextum commorationis mensem ingressus erat, cum de caede avunculi nuntius afferebatur. Neque repugnat temporum ratio rerumque gestarum ordo. Nam cum, tacentibus quidem scriptoribus, dubitari nequeat quin ille interfuerit Julii Caesaris triumpho Hispaniensi, cujus pompam ductam esse probavimus §. 6. ineunte Octobri anni U. C. 709. s. 45., veri est simillimum ac paene certum, eum non prius quam mense Octobri ejusdem anni medio Roma abiisse. Itaque mensis Martius a. U. C. 710. s. 44. quo exeunte Julii Caesaris caedes nuntiata est, erat sextus, quem Augustus Apolloniae transigebat, mensis.

50) Scribit Appianus B. C. Libr. III. c. 24.: *ἡ ἐν Μακεδονίᾳ στρατιὰ ἀρετῇ τε οὖσα ἀρίστη καὶ πλήθει μεγίστη· ἓξ γὰρ ἦν τέλη, καὶ ὅσον ἄλλο πλῆθος αὐτοῖς τοξοτῶν καὶ ψιλῶν ἢ γυμνητῶν συνεζεύγνυτο, ἵππος τε πολλὴ καὶ παρασκευὴ κατὰ λόγον ἐντελής.* Numeroso huic equitatui haud dubie Julius Caesar consulto suae sororis nepotem praefecerat!

Quos praeter Apollodorum rhetorem comites secum ab Urbe eduxerit Augustus, nusquam commemoratum reperimus: credibile autem est, haud modicum fuisse ejus comitatum. Teste Appiano, eum ut cognatum Julii Caesaris, concursu frequenti Apolloniae convenerunt τῶν ἡγεμόνων τοῦ στρατοῦ τινες, quos cum comiter omnes exciperet, non solum notus inde exercitui, sed etiam gratiosus factus est. Jam facile quis poterit induci, ut illos inter exercitus duces fuisse credat *Q. Salvidienum Rufum* et *M. Vipsanium Agrippam.* Nec, rebus temporibusque subtiliter quaesitis, quidquam prohibet quo minus utrumque quamvis juvenem castra Julii Caesaris prius quam Augustum, si non in Africa, certe in Hispania secutum esse, et tum, adepto Tribunatu, cohortibus praefuisse statuamus. At cum Vellejus Paterc. Libr. II. c. 59. §. 5. haud obscure significet, Salvidienum et Agrippam artiore quam caeteros omnes familiaritate et usu cum Augusto conjunctos fuisse, non abs re fuerit suspicari, illos ob pristinam nutrimentorum lusuumque puerilium consuetudinem ab hoc ipso Roma abductos ac, volente avunculo, in contubernium convictumque assumptos esse. Sed quidquid ejus suspicionis est, id cum ex aliis rebus, tum ex postera utriusque vita intelligitur, neutrum studiorum communium caussa Apolloniae versatum esse cum Augusto, quem et ipsum vidimus plurimam semestris illius temporis partem in armis tractandis obeundisque non ducis magis quam militis muneribus consumere oportuisse [51]).

Illud autem tempus quantumvis breve hanc tamen, quam Julius Caesar spectabat, vim videtur habuisse, ut, qui adhuc fuisset valetudine imbecillior, et corpus habere coepisset tolerandis belli laboribus multo habilius, et animum ad res capessendas aliquanto aptiorem ac propensiorem. Neque enim cuiquam dubium erit quin legionum isti duces et praefecti, qui eum avunculi gratia diligenter observasse ac coluisse feruntur, itemque contubernalium nonnulli Julii Caesaris cognato suapte natura jam ad summa quaeque adspiranti dictis factisque nutrimenta suggesserint et uberrima et vero etiam ad animum ejus ambitione immensa et dominandi cupiditate stimulandum efficacissima. Huc accedebat in eadem illa statione Apolloniensi conversatio hominum istas animi virtutes nescio dicam an vitia indecoris adulationibus et parasiticis assentationibus corrumpentium: quo referendum esse puto illud, quod ei, Agrippa comitante, Apolloniae apud Theogenem Mathematicum evenisse narrat Suetonius c. 94. Quibus omnibus rite observatis complura, quae in vita Augusti insequenti et offensionis et invidiae plena sunt, nobis cum ad intelligendum tum ad excusandum proniora ac faciliora erunt.

§. 8.

Posteaquam nuntiatum est de caede Julii Caesaris, protinus praemissarum legionum centuriones suam suorumque militum operam Augusto pollicebantur, eamque non spernendam esse dicebant Agrippa et Salvidienus, auctore Vellejo Paterc. Libr. II. c. 59. §. 5. Augustus vero non modo haesitabat animo quid consilii caperet, sed pavebat etiam et angebatur, praesertim cum nondum comperisset, num decreto Senatus, an paucorum conspiratione caedes perpetrata fuisset. Qua de re cum certior factus esset, extemplo constituit, Apollonia relicta, Romam contendere. Tametsi Agrippa aliique suadebant, ut legiones in Macedonia hiemantes adiret militari sacramento obligatas

51) De *Q. Salvidieno Rufo* et *M. Vipsanio Agrippa*, Apolloniensibus Augusti contubernalibus, eorumque cum Caesare Augusto necessitudine operae pretium visum est accuratius dicere infra Excurs. III.

Dictatori interfecto ejusque caedem alacri animo ulturas: tamen sive litteris monitisque Philippi vitrici et matris, ut Appianus B. C. Libr. III. c. 10. ait, sive metu adductus et pavore, privatus et una cum Agrippa aliisque amicis ingressus est iter in Italiam et in vicinum Brundisio oppidulum, cui *Lupiae* nomen erat, trajecit.[52]) Brundisium enim appellere noluit incertus de legionum ejus loci voluntate, ut idem Appianus refert. Lupiis aliquamdiu versatus cum, quod Apolloniae, auctore Dione Cass. Libr. XLV. c. 3., nondum rescierat, audivisset, se ab avunculo in gentem Juliam nomenque Caesaris adoptatum et heredem ex dodrante nominatum esse, audacior factus Brundisium adiit et a militibus obviam exeuntibus *Caesar* salutatus est. Auctore Vellejo Paterc. Libr. II. c. 59. §. 5. in hac demum urbe omnem ordinem ac rationem et necis et testamenti comperit: quo facto hereditatem cernere constituit seque in gentem Juliam adscivit, ut ait Julius Obsequens c. 128.

Itinere in Urbem non accelerato, paucis cum comitibus pervenit d. XIV. Kal. Maj. h. e. die 18. Aprilis Neapolim, ut discimus ex Ciceronis ad Attic. Libr. XIV. Ep. 10. §. 3.: „Octavius Neapolim venit XIV. Kal. Ibi eum Balbus mane postridie; eodemque die mecum in Cumano, illum hereditatem aditurum. Sed, ut scribis, ῥοιζόθεμιν magnam cum Antonio.“ Balbus enim, qui tum ad aquas Bajanas erat (v. Cicero ad Divers. Libr. XVI. Ep. 24. §. 2.), Augusto haud dubie obviam profectus Neapolim eum mane postridie h. e. die 19. Aprilis viderat, eodemque die Ciceronem in Cumano convenerat eique dixerat, illum avunculi hereditatem aditurum esse. Augustus biduo post quam advenerat, se contulerat in villam Philippi vitrici proximam Puteolano Ciceronis, qui d. XII. Kal. Maj. h. e. die 20. Aprilis Attico Libr. XIV. Ep. 11. §. 2. scribit: „Hic (in Puteolano) mecum Balbus, Hirtius, Pansa. Modo venit Octavius et quidem in proximam villam Philippi, mihi totus deditus.“ Duobus iterum diebus post, d. X. Kalend. Majas h. e. die 22. Aprilis cum vitrico suo, Philippo, in Cumano convenit Ciceronem, qui de eo ad Atticum scripsit Libr. XIV. Ep. 12. §. 2.: „Nobiscum hic perhonorifice et peramice Octavius: quem quidem sui Caesarem salutabant, Philippus non: itaque ne nos quidem; quem nego posse esse bonum civem: ita multi eum circumstant, qui quidem nostris mortem minitantur; negant haec ferri posse. Quid censes, quum Romam puer venerit, ubi nostri liberatores tuto esse non possunt?“ Quo die Romam ingressus sit Augustus, certo definiri nequit: Plutarchum errasse, qui in Vit. Ciceronis c. 43. res ita conjunxerit, quasi ille mense demum Septembri in Urbem venisset, ostendit jam Seb. Corradus in Quaestur. p. 227 sq. Cum hora diei tertia Romam intraret ingenti stipatus multitudine, Solis orbis super caput ejus curvatus aequaliter rotundatusque in coloreum arcum, velut coronam tanti mox viri capiti imponens conspectus est, ut utar verbis Velleji Paterc. Libr. II. c. 59. §. 6. et Julii Obsequentis c. 128.[53]) Adventanti ei in Urbem

52) Augustum initio mensis Aprilis Lupias venisse, inde colligi licet, quod Cicero ad Atticum scribit Libr. XIV. Ep. 5. §. 3.: *Sed velim scire, quid adventus Octavii: num qui concursus ad eum, num quae νεωτερισμοῦ suspicio. Non puto equidem: sed tamen quidquid est, scire cupio. Haec scripsi ad te proficiscens Astura III. Idus* (sc. Apriles h. e. die 11. Aprilis a. U. C. 710. s. 44.).

53) In Velleji verbis pro vulg. *in colorem arcus* recipere non dubitavi facillimam Kreyssigii conjecturam bene confirmatam in Epist. ad Orellium p. XXXVIII., si quidem lectionem vulgatam aeque ac conjecturam Bothii: *in morem arcus*, quamvis sensu commodam, condemnare mihi videtur monitum Prisciani Libr. VI. c. 14. §. 74. Vol. I. p. 269. Kr. Praeter Lucretium Libr. VI. v. 525.: „*Tum color in nigris exsistit nubibus arqui;*“ scripsit etiam Cicero d. N. D. Libr. III. c. 20.: „*Cur autem Arci species non in deorum numero reponatur?*“ Conferas Scholasticorum de Iride versus in Anthol. Latin. Libr. V. Ep. 17 sqq. Vol. II. p. 308 sqq. B. — Caeterum fausti illud omi-

amicorum frequentiam immanem occurrisse contestatur etiam Vellejus, ac perquam veri simile est, ei, quo propius Romam accederet, hoc majorem militum veteranorum undique confluentium et Dictatoris interfecti amicorum copiam se adjunxisse et obviam venisse, ut narrant Plutarchus in Vit. Ciceronis c. 44. et Appianus B. C. Libr. III. c. 11. et 12.[54]) Eum autem Urbem ingressum esse exeunte Aprili seu ineunte Majo a. U. C. 710. s. 44., cum M. Antonius Cos. militum caussa in Campania abesset, justa temporum rerumque tum actarum observatione ad liquidum paene adduci potest[55]).

Augustus, juvenis tum duodeviginti annos et menses septem natus, M. Agrippa potissimum suadente, adire constituit hereditatem nomenque invidiosae fortunae Caesaris, etsi Atiae matri displicebat et Philippus vitricus multum dissuadebat, ut referunt Vellejus Paterc. Libr. II. c. 60. §. 1., Suetonius c. 8. et Dio Cassius Libr. XLV. c. 3. Parentes metuebant filio a Senatus Consulto in gratiam percussorum facto, et a superbia M. Antonii Consulis, teste Appiano B. C. Libr. III. c. 13. At ille cum periculo potius summa quam tuto humilia sibi proposuit sequi, maluitque avunculo de se, quam vitrico credere, dictitans nefas esse, quo nomine Caesari dignus esset visus, semet ipsum videri indignum, ut scribit Vellejus Paterculus, et sic, ut idem adulator dicit, humana consilia sprevit coelestis ejus animus. Scilicet animum ejus jam a teneris ambitione corruptum exstimulabat nunc eo vehementior dominandi cupiditas, quo facilius pietatis in avunculum caesum caussa obtentui poterat sumi. Appiano si fides est, dicitur ille conversus ad matrem meticulose dubitantem et a praecipiti isto periculosoque dehortantem consilio usurpavisse Achillis illa ad Thetidem verba,

Αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ
Κτεινομένῳ ἐπαμῦναι:

et addidisse, hoc in dicto, praesertim cum facto comprobatum sit, exstare immortale Achillis monumentum et ornamentum;[56]) sibi vero Caesarem fuisse non amicum, sed parentem; non commilitonem, sed imperatorem; non belli jure interemptum, sed in Senatu oppressum conspiratione nefaria. Quibus auditis mater, metu in gaudium verso, complexa esse fertur filium, ut solum dignum avunculo, atque eum adhortata, ut, quae decrevisset, diis juvantibus exsequeretur, simul admonuisse, ut adhuc arte potius injuriarumque patientia, quam aperta vi et audacia uteretur.[57]) Postridie quam advenerat Romam apud C. Antonium Praetorem professus

---

nis ostentum commemorant permulti scriptores, quos allegat Fabricius ad Dion. Cass. Libr. XLV. c. 4. N. 31. Cf. Drumannus in Hist. Rom. Vol. I. p. 120. N. 10.

54) Dio Cassius Libr. XLV. c. 5. scribit: *πρῶτον μὲν γὰρ, ὡς καὶ ἐπὶ μόνῃ τῇ τοῦ κλήρου διαδοχῇ καὶ ἰδιωτικῶς καὶ μετ' ὀλίγων ἄνευ ὄγκου τινὸς, ἐς τὴν πόλιν ἐσῆλθεν*: ubi videatur Sturzius N. 31. b. Vol. V. p. 446 sq.

55) Id summa cum diligentia et doctrina perfecit mihique otium fecit Drumannus in Hist. Rom. Vol. I. p. 120—123.

56) Sunt Achillis ap. Homer. Iliad. Libr. XVIII. v. 98. de Patroclo caeso conquerentis verba, quae quum Appianus dicit *ὑπόγυά οἱ τότε ὄντα μάλιστα* h. e. ei ex recenti lectione succurrisse, noli cogitare de studiis Apolloniensibus. Nam, ut Horatio (Libr. II. Epist. 2. v. 41.), ita etiam Augusto puero contigerat Romae nutriri atque doceri, Iratus Grajis quantum nocuisset Achilles.

57) Appianum in tota narratione *τραγῳδῆσαί τι*, apertum est. Augusto quamvis juveni neque approbatione matris neque admonitione opus erat! — Vera, etsi minime pulchra est istius juvenis imago, quam verbis gravibus expressit Drumannus in Histor. Rom. Vol. I. p. 120.: „*In einem Alter von noch nicht* 19. *Jahren zeigte Octavian die Mässigung und schlaue Besonnenheit eines geübten Staatsmannes. Die aufgeregte Menge war ihm gewärtig; er durfte nur das Zeichen zum Bürgerkriege geben, und gab es nicht. Mit der glücklichsten Verstellung verbarg er seinen Racheplan gegen die Mörder, welcher seinem Ehrgeize später zur Folie dienen sollte, und täuschte selbst Cicero. Eine Uebereilung konnte ihm den Untergang bringen, weil sie seine Feinde gegen ihn vereinigen konnte, so sehr sie sich auch hassten. Er durfte nicht zugleich gegen die Republicaner als Rächer Cäsars, gegen Antonius als dessen Sohn, und gegen Sex. Pompejus als Erbe einer alten Fehde in die Schranken treten.*“

est, se capturum esse cretionem, et a L. Antonio Tribuno plebis in concionem productus, orationem habuit vendibilem, in qua credibile est eum mirifice adjuvisse nomen Caesaris: de quo nomine scite Plutarchus in Comparatione Dionis cum M. Bruto Tom. V. p. 444. R. scribit: *ἡ δὲ Καίσαρος δόξα καὶ πεσόντος ὤρθου τοὺς φίλους, καὶ τοὔνομα τὸν χρησάμενον ἦρεν ἐκ παιδὸς ἀμηχάνου πρῶτον εἶναι Ῥωμαίων, ὡς ἀλεξιφάρμακον τοῦτο πρὸς τὴν Ἀντωνίου περιαψάμενον ἔχθραν καὶ δύναμιν.* M. Antonium, mense Majo medio reversum ex Campania, Augustus, quemadmodum decebat juniorem ire ad seniorem et hominem privatum ad Consulem, adiit in hortis Pompejanis habitantem. Ab hoc, factis utrimque expostulationibus ac criminationibus, cum superbia et irrisione rejectus inde ab hoc tempore nihil praetermisit quin concionibus apud populum habendis aliisve artibus et machinationibus Consuli invidiam conflaret atque semet ipsum avunculi legatis de suo persolvendis ac promittendis, sumptibus in ludos liberaliter erogandis multisque aliis blanditiis multitudini insinuaret. At Antonius, indignatione ac metu stimulatus, sua consulari auctoritate ac potentia effecit, ut, decreta a Senatu perquisitione pecuniarum publicarum, Augusto, Dictatoris heredi, a multis lites intenderentur de praediis, quae in hereditate paterna erant, atque ut per Tribunos a se subornatos adoptio ejus per legem curiatam sancienda impediretur, et cum se in locum Helvii Cinnae, Tribuni plebis nuper interfecti, candidatum ostenderet, Tribunatu depelleretur.[58])

§. 9.

Illae discordiae, utrimque acerrime agitatae, quum sub finem aestatis anni U. C. 710. s. 44. eo progressae essent, ut alter alterum criminaretur percussores sibi subornasse, videtur Romae a Caesarianis timeri coeptum esse, ne Augustus, juvenis quamvis opulentus ac gratiosus, Consuli longe potentiori rerumque peritiori succumberet. Qui quidem timor cumprimis parentes ejus percussit atque affines. Itaque hoc tempore demum arbitror factum esse, quod relatum legimus apud Plutarchum in Vit. Ciceronis c. 44. Hoc enim auctore Augustus a Philippo vitrico et a Marcello, sororis marito,[59]) adductus esse fertur ad M. Ciceronem, quocum illi pacti sunt: *Κικέρωνα μὲν ἐκείνῳ* (i. e. Augusto) *τὴν ἀπὸ τοῦ λόγου καὶ τῆς πολιτείας δύναμιν ἔν τε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ παρέχειν, ἐκεῖνον δὲ Κικέρωνι τὴν ἀπὸ τῶν χρημάτων καὶ τῶν ὅπλων ἀσφάλειαν· ἤδη γὰρ οὐκ ὀλίγους τῶν ὑπὸ Καίσαρι στρατευσαμένων περὶ αὑτὸν εἶχε τὸ μειράκιον.* Quo in loco Plutarchus, quoniam in praecedentibus ait: *Καῖσαρ ὁ νέος ἐξ Ἀπολλωνίας παραγενόμενος τόν τε κλῆρον ἀνεδέξατο τοῦ Καίσαρος ἐκείνου, καὶ περὶ τῶν δισχιλίων πεντακοσίων μυριάδων, ἃς Ἀντώνιος ἐκ τῆς οὐσίας κατεῖχεν, εἰς διαφορὰν κατέστη πρὸς αὐτόν*[60]), tempora ac res proinde conjunxit, ac si Augustus brevi post reditum ab Apollonia ad Ciceronem deductus fuisset. Verum enim vero non est credibile, id prius factum esse, quam omnis spes con-

58) In his exponendis ut mihi liceret esse breviori, effecit accurata et erudita sua opera Drumannus in Histor. Rom. Vol. I. p. 121—128. cl. p. 336 sq.

59) Marcellus ille, qui a Plutarcho memoratur, fueritne Octaviae majoris an minoris conjux, in medio hic relinquam: vid. Comment. de Cassio Parmensi Excurs. V. p. 352 sqq. Id autem dubitari vix potest quin de hoc Marcello cogitandum sit ap. Appianum B. C. Libr. III. c. 13., a quo, praeter matrem et vitricum, de Augusti consilio hereditatis adeundae sollicíti fuisse narrantur *ὅσοι τε ἄλλοι κηδεμόνες ἦσαν αὐτοῦ.* Quo in looo falluntur qui de tutoribus Augusti (v. supra N. 15.) *κηδεμόνας* accipiunt, cum eo verbo affines proprie significentur, ut docuit Valckenarius ad Euripidis Phoen. v. 431. p. 159.

60) Intellige pecunias et res Julii Caesaris privatas, quas Calpurnia prima post caedem nocte imprudens prae timore commiserat fidei Consulis: cf. Drumannus in Histor. Rom. Vol. I. p. 85.

cordiae cum M. Antonio Consule, quem ille praeter opinionem suis consiliis adversantem invenerat, et reconciliandae et confirmandae penitus evanuisset. Id autem quo illius anni mense evenerit, ad liquidum perduci potest. Cicero juvenem illum, licet jam Caesaris nomine odiosum sibi et suspectum, tamen ab initio utpote magnis immaturum factis contempsisse potius quam metuisse videtur. Nam, comperto ejus in Italiam reditu, Attico Libr. XIV. Ep. 6. §. 1. mense Aprili medio scribit: „De Octavio susque deque.“ Et cum Romam ille venisset, Tironem Libr. XVI. Ep. 24. §. 2. rogat, ut de publicis omnia sibi certa nuntiet: quid Octavius, quid Antonius; quae hominum opinio; quid futurum putet. Atque Augustus non poterat non ab initio subdiffidere ac cauto suspicacique animo esse in eum, quem sciret Idubus Martiis gaudio exsultasse et etiamtum vehementer conqueri, quod ad pulcherrimas illius diei epulas non invitatus fuisset. Itaque artior quaedam inter Consularem et Dictatoris nuper interfecti heredem necessitudo primis post hujus reditum ab Apollonia mensibus nullo pacto esse poterat. Id verum esse, vel ea docent, quae die IV. Idus Junias illius anni legimus ex Antiati scripta ad Atticum Libr. XV. Epist. 12. §. 2.: „Octaviano, ut perspexi, satis ingenii, satis animi: videbaturque erga nostros *ἥρωας* ita fore, ut nos vellemus, animatus. Sed quid aetati credendum sit, quid nomini, quid hereditati, quid *κατηχήσει*, magni consilii est. Vitricus quidem nihil censebat; quem Asturae vidimus. Sed tamen alendus est: et, ut nihil aliud, ab Antonio sejungendus. Marcellus praeclare, si praecipit puero de nostris: cui quidem ille deditus mihi videbatur. Pansae autem et Hirtio non nimis credebat. Bona indoles, *ἐὰν διαμείνῃ*.“ 61) Quo in loco tantum abest ut quidquam inveniatur, quod nobis interiorem quamdam officiorum, studiorum voluntatumque communionem aut initam jam operae ac consiliorum in republica societatem ostendat; etiam laus illa ingenio Augusti et animo tributa animum prodit invidiae adhuc et suspicionis plenissimum. Haud obscura autem insunt indicia odii, quo Cicero jam tum in Antonium ferebatur. Id odium, quantum e re sua futurum esse posset, bene perspiciebat Augustus. Quare, cum nullis consiliis artibusve Consulem in caussam suam posset perducere, veri admodum simile est, ipsum cupivisse, ut Consularis illius patrocinio a suis commendaretur ac traderetur: tanti enim oratoris opera ipsi, quo citius Consulis, adversarii sui, superbiam et contumaciam frangeret, si non necessaria, certe ad tempus perutilis visa est. Jam Antonius post orationem Philippicam primam, die 2. Septembris habitam, vehementer iratus Ciceroni inimicitias denuntiarat. Quo facto Consularis senex non tam blandis Philippi et Marcelli precibus aut simulata et versuta adolescentis observantia permotus, quam immani quodam in Antonium odio exstimulatus, oblatam sibi hanc inimici sui puniendi affligendique occasionem parato alacrique animo arripuit, nihil curans, quam turpiter hac ratione se daret ac suae aetatis dignitatisque prorsus immemor esset. Nam iste libertatis publicae stator et tyrannidis osor, qui amico suo Attico Libr. XIV. Epist. 6. §. 2. mense Aprili scripserat: „Nullo modo reperio, quemadmodum possim *πολιτεύεσθαι*. Nihil enim tam *σόλοικον*, quam *τυραννοκτόνους* in coelo esse, tyranni facta defendi;“ aliquot mensibus post non sentiebat, esse multo *σολοικότερον*, tyranni filium et heredem in fidem consiliorumque in republica societatem assumi! Id autem, ut jam supra significavi, factum demum est mense illius anni Septembri exeunte aut ineunte Octobri, ut certissimis ipsius Ciceronis testimoniis evinci potest. In Philip-

61) In hoc Ciceronis loco pro vulg. *si praecipit nostro* nostri recepi Schützii emendationem, quae mihi quidem videtur caeteris Virorum Doctorum sive interpretationibus sive conjecturis praestare.

pica prima nulla dum Augusti mentio injecta est. Inde liquet, quam parum curaverit hujus juvenis in Urbe praesentiam et clandestina rerum molimina, et quam remotus adhuc fuerit ab ulla conjunctione ac consiliorum contra Consulem, utriusque adversarium, communicatione. Idem contestantur epistolae, quae quidem supersunt per illud, de quo loquimur, tempus ad Atticum ceterosque familiares scriptae, in quibus omnibus ne tenue quidem ullius societatis inter utrumque ortae ac conflatae vestigium deprehendimus. Sed Libri XII. ad Divers. Ep. 23. Q. Cornificio, Africae praefecto, §. 2. scribit: „Rerum urbanarum acta tibi mitti certo scio. Quod ni ita putarem, ipse perscriberem, inprimisque Caesaris Octaviani conatum: de quo multitudini fictum ab Antonio crimen videtur, ut in pecuniam adolescentis impetum faceret; prudentes autem et boni viri et credunt factum et probant.[62]) Quid quaeris? magna spes est in eo. Nihil est, quod non existimetur laudis et gloriae caussa facturus. Antonius autem, noster familiaris, tanto se odio esse intelligit, ut, cum interfectores suos domi comprehenderit, rem proferre non audeat.“ Jam cum ibidem addatur: „A. d. VII. Idus Octobres Brundisium erat profectus (Antonius) obviam legionibus Macedonicis IV., quas sibi conciliare pecunia cogitabat, easque ad Urbem adducere et in cervicibus nostris collocare;“ apparet, eam epistolam mense illius anni Octobri medio scriptam esse. Hoc igitur mense jam receperat Augusti caussam Cicero rogantibus illius vitrico et leviro, ut Plutarchus testatur. Et hoc demum tempore natum esse puto frequens illud epistolarum commercium ultro citroque missarum, cum uterque rarissime praesens cum praesente colloqui et agere aut posset aut vellet.[63]) Inde ab hoc tempore Augustus, Consularis auctoritate ac consensu fretus, summa quaeque audere adeoque palam militum veteranorum exercitum sua pecunia comparare coepit. Qua de re initio mensis Novembris Cicero ad Atticum Libr. XVI. Epist. 8. §. 1. accurate scribit et, pudore quodam et legum verecundia motus, ut ne iste adolescens, se auctore et suasore, talia moliri judicaretur, dissimulanter addit §. 2.: „Quid quaeris? Ducem se profitetur nec nos sibi putat deesse oportere. Equidem suasi, ut Romam pergeret. Videtur enim mihi et plebeculam urbanam et, si fidem fecerit, etiam bonos viros secum habiturus.“ Cum Augustus, qua erat admirabili versutia, Consulari scriberet, se rem agere velle consilio ejus et per Senatum, eumque per litteras excitaret, ut negotium susciperet atque iterum rempublicam servaret, hunc senem sexagenarium juvenis nondum vicenarius versutiloquis epistolis ita decepit, ne dicam, infatuavit, ut neque suo animo subinde dubitanti de illius juvenis fide et consilio, neque amicis graviter eum periculi commonefacientibus obsequeretur![64]) Antonius

62) Scriptorum veterum locos de hoc crimine, cujus Augustus insimulabatur, collegit Fabricius ad Dion. Cass. Libr. XLV. c. 11. N. 56. Vol. V. p. 451. Strz. Sed jam tum, auctore Appiano B. C. Libr. III. c. 39., Romae fuere, qui, re accuratius considerata, intelligerent, caedem Antonii plus detrimenti quam emolumenti allaturam fuisse Augusto, quem culpa immunem censet etiam Drumannus in Histor. Rom. Vol. I. p. 202 sq. Non magis autem veri est simile, juvenem illum quotidianis Consulis insidiis petitum fuisse, ut narrat Vellejus Pat. Libr. II. c. 60. §. 5.

63) Illarum epistolarum quanta fuerit crebritas cum ipsius Ciceronis testimonio constat (v. ad Attic. Libr. XVI. Epp. 8. 9. 11.), tum Fragmenta earum docent, quae collecta edidit Orellius Vol. IV. P. 2. p. 463 sqq. Eas tribus voluminibus comprehensas juris publici factas fuisse, ex ipsis Fragmentis discimus; sed epistolarum, quas tum ab Augusto scriptas esse scimus, ne fragmentum quidem apud ullum scriptorem exstat. Haud dubie ipse, cum Triumvir esset, vetuerat ne a Tirone evulgarentur, sed delerentur.

64) Sic Atticus eum monuerat, si multum posset Octavianus, multo firmius acta tyranni comprobatum iri, quam in Telluris, atque id contra Brutum fore. Cui monito assensus quidem est, sed regessit Libr. XVI. Ep. 14. §. 1.: „sin autem vincitur, vides intolerabilem Antonium: ut, quem velis, nescias.“ Idem cum amicum hortatus esset, ut contra Antonium Consulem pedetentim ageret, ei ibidem respondit §. 2.: „assentior, etsi aliter cogitabam. Nec me Philippus et Marcellus movet. Alia enim eorum ratio: et, si non est, tamen videtur. Sed in isto juvene, quamquam animi satis, auctoritatis parum est.“ Id, quod illi juveni de-

Consul, postquam mense Novembri medio reversus erat Brundisio, et Ciceronem et Augustum, quos jam consòciata opera suae auctoritati suisque consiliis vi et armis restituros esse intelligeret, edictis illis contumeliosis, quae in Philippica III. c. 6 sqq. confutata legimus, insignite rustica, ut dicitur, impudentia proscidit atque simul edixit, ut die 24. Novembris Senatus frequens adesset. Interea Augustus a Tib. Cannutio, Tribuno plebis, ad populum productus concionem habuerat, quae Ciceroni in villam Arpinatem missa valde displicuerat eique de fide ejus haud levem scrupulum et dubitationem injecerat. Eum tamen exemisse ei videtur Oppius, Dictatoris caesi familiarissimus, qui eum, ut Attico Libr. XVI. Ep. 15. §. 3. mense Novembri exeunte scribit, hortaretur, ut adolescentem totamque caussam manumque veteranorum complecteretur. Cui cum respondisset, se nullo modo id facere posse, ni sibi exploratum esset, eum i. e. Augustum non modo non inimicum tyrannoctonis, verum etiam amicum fore, Oppio ita futurum esse promittente perrexit juvenem adjuvare contra Antonium Consulem, nec dubitavit in Philippica III., quae die 10. Decembris in Senatu habita est, eum c. 2. eximiis ornare laudibus, quod, Senatoribus nec postulantibus, nec cogitantibus nec optantibus quidem, incredibili ac divina quadam mente atque virtute, firmissimum exercitum ex invicto genere veteranorum militum comparaverit, patrimoniumque suum effuderit vel potius in reipublicae salute collocaverit. Quid plura? Kalendis Januariis a. U. C. 711. s. 43. non erubuit in Philippica V. c. 8. confiteri, adolescentem illum, quamquam sua sponte eximiaque virtute, tamen approbatione auctoritatis suae colonias patrias adiisse, veteranos milites convocasse, paucis diebus exercitum fecisse, incitatos Antonii latronis impetus retardavisse.

Haec fusius accuratiusque pertractavi, partim ut, quae supra de tempore dixi, quo Augustum cum Cicerone conjunctum fuisse arbitror, magis illustrarem ac confirmarem, partim ut, quo consilio ille juvenis ad illum Consularem fuisset deductus, clarius perspiceretur. Nam vel nostra memoria non defuere, qui Plutarchi locum istum aliorsum acciperent et inde necessitudinem senem inter et juvenem illum comminiscerentur a mente scriptoris ac temporibus prorsus alienam. Sic, ut hoc utar, doctus ille Batavus, Jan. Theod. Bergmannus in Comment. de Litter. Condit. ap. Romanos (Lugd. Bat. 1818. 4.) Epoch. III. §. 2. p. 38. scripsit: „Hic adolescens (Augustus) ipsi Ciceroni traditus, ut ab eo eloquentiam et reipublicae administrandae scientiam acciperet, ut refert Plutarchus in Cicerone p. 883. B., huic sine dubio magnam partem debuit eam, quam habuit, litterarum cognitionem!“ Praeteriit Bergmannum alius scriptor, cujus testimonio suam de Cicerone, Augusti magistro, sententiam rectius potuisset stabilire. Dico Jo. Laurentium Lydum, in cujus Excerptis de Mensibus III. c. 12. N. 39. scriptum reperimus: *Αὔγουστος — εἶτα ἐρωτηθεὶς πρὸς Κικέρωνος, παρ᾽ ᾧ μετὰ σπουδῆς ἐπαιδεύετο κ. τ. λ.* At quae toto hoc in loco Laurentius Lydus memoriae prodiderit, ea ab omni fide historica alienissima esse et perquam absurda, alio hujus scriptionis loco demonstrabimus; quod autem Plutarchi locum attinet, nemo vel leviter animum advertens singulorumque verborum vim et rationem expendens non intelliget,

---

esset, auctoritatis, ei suo consensu et auxilio impertire volebat Cicero. Qui cum illo tamquam suae factionis serperastro contra Consulem uti velle videretur, incurrisse videtur in offensionem Philippi et Marcelli, qui, Consulis auctoritatem reverentes, nequaquam Augustum ejus patrocinio commendassent, ut privato suo in Antonium odio, quod frustra dictitabat ab officio boni erga rempublicam civis profectum esse, quam primum satisfaceret. Caeterum Philippus quanta cum cura complexus sit res privigni sui eique semper praesto fuerit sua opera et labore, docet vel Tullianae ad Augustum epistolae fragmentum, quod servavit Nonius Marcellus s. v. *ignoscere* p. 211. b.: „Quod mihi et Philippo vacationem das, bis gaudeo. Nam et praeteritis ignoscis, et concedis futura.“

consilium, quo Philippus cum Marcello conjunctus privignum suum tum ad Ciceronem duceret, plane diversum fuisse ab eo, quo Caelium, toga virili sumpta, a patre ad se deductum esse Cicero commemorat in Orat. pro M. Caelio c. 4. §. 9., ut artibus honestissimis erudiretur [65]), aut quo ipse, ut narrat in Laelio c. 1. §. 1., post tirocinium ad Q. Mucium Scaevolam Augurem a patre ita deductus erat, ut, quoad posset eique liceret, a senis latere numquam discederet ejusque prudentia fieri studeret doctior. Qui factum sit, ut Augustus, posita praetexta a. U. C. 706. s. 48., neque ad discendam rerum civilium administrationem Ciceronem assectari neque dicendi studio operam ei dare potuerit, supra §. 4. expositum est. Constat autem, Ciceronem, cum rerum forensium labor et ambitionis occupatio decursu honorum, gravibus communium temporum casibus et aetatis flexu constitisset, nonnunquam etiam viros aliqua familiaritate sibi conjunctos domi suae opera declamatoria exercuisse. Ejus rei testimonium dicere putatur Quintilianus Inst. Or. Libr. XII. c. 11. §. 6.: „Sic ad se Caelium deductum a patre Cicero profitetur: sic Pansam, Hirtium, Dolabellam in morem praeceptoris exercuit quotidie dicens audiensque." [66]) Jam facile quis suspicari possit, Augustum quoque aliquot annis post tirocinium et fortasse cum illis ipsis, quos Quintilianus nominat, viris eadem ratione formatum aliquam cum illo Consulari necessitudinem magistri constitutam habuisse, eoque referendum esse Plutarchi locum istum. At vanam esse illam suspicionem, equidem historiae vestigia diligenter persecutus non dubito pro certo affirmare, praesertim cum ea de re audire liceat ipsum Ciceronem, quo graviorem testem ac disertiorem non reperias.

Cicero per aestatem anni U. C. 708. s. 46. in Tusculano suo familiares quosdam, ludo quasi aperto, caussarum declamationibus ad pugnam forensem velut praepilatis exercere coeperat rogatus ab illis atque ea in re aemulatus Philonis Academici consuetudinem, qua ante meridiem dictioni operam daret, post meridiem in Academiam descenderet, ut ipse ait Tusc. Disp. Libr. II.

---

65) *M. Caelius Rufus*, filius, natus est C. Mario et Cn. Carbone III. Coss. a. d. V. Kalend. Junias a. U. C. 672. s. 82., teste Plinio N. H. Libr. VII. c. 49. Itaque a. U. C. 688. s. 66. deductus est ad Ciceronem eo anno Praetorem et annos 41. natum, cui non seni demum, sed florenti adhuc aetate et regnum in judiciis ac foro obtinenti jucundum ac honestum fuisse videtur, adolescentulos docere, instituere et ad omne officii munus instruere. Eorum in numero quin habendus sit *C. Cassius Longinus*, percussor ille Julii Caesaris, dubitari nequit, cum Cicero ipse illius necessitudinis mentionem fecerit Libr. XV. ad Divers. Ep. 14. ad eum scribens §. 6.: „Tu puer me appetisti: ego autem semper ornamento te mihi fore duxi." Huc refero etiam *L. Plancum*, istum bellorum civilium desultorem, si fides est Hieronymo Chronic. p. 155.: „*Munatius Plancus, Ciceronis discipulus, orator, habetur illustris.*" Quem quidem si Ruhnkenio ad Vellej. Paterc. Libr. II. c. 63. §. 3. et, qui eum sequitur, Ellendtio in Prolegom. ad Cicer. Brut. p. LXXXVI. videtur Cicero, recto illius et eleganti ingenio captus, inter viros quoque eloquentiae studiosos admisisse, quos domi suae declamando exerceret, vereor, ne eorum opinioni ipse Cicero adversetur. Is enim cum Libr. XIII. ad Divers. Ep. 29. testetur, Plancum sibi a puero cognitum esse, ac familiaritatem paternam pristinamque studiorum similium necessitudinem commemoret, aperte significat oratoria studia, quibus ille adolescens, se duce, operam navasset.

66) Illum Quintiliani locum legenti mihi ac relegenti dubium semper visum est, num Interpretes mentionem Pansae, Hirtii et Dolabellae recte existimaverint pertinere ad illa tempora, quibus tres illos viros, Julii Caesaris amicos, cum ipse Cicero profitetur declamando se exercuisse, tum alii scriptores attestantur. Nam primum me offendit, quod illorum mentio, sine ulla discriminis nota, conjuncta est cum Caelio, quem, posita praetexta, ad Tullium deductum esse scimus. Deinde enumerantur illi Caesariani perverso ordine annorum, quibus Ciceronem, senem jam sexagenarium, ab eis auditum fuisse infra demonstrabimus. Denique toto in loco non de viris sermo est, sed de juvenibus, quos orator, Foro relicto, domi suae quasi eloquentiae parens formare possit: qua in re Fabius ob oculos habuit locum Ciceronis de Senect. c. 9. §. 28. Quapropter aut negligentius hic scripsisse censebimus Quintilianum aut suspicabimur, ab eo intellectum esse istud tempus, quo Pansa, Hirtius, et Dolabella adolescentes Ciceroni declamanti operam darent. In hac conjectura confirmor verbis Ciceronis de Fato c. 1. §. 3., quibus Hirtium alloquitur: „*Nec enim (id quod recte existimas) oratoria illa studia deserui: quibus etiam te incendi, quamquam flagrantissimum acceperam:*" quibus verbis manifestum est juvenilia Hirtii studia eloquentiae significari.

c. 3. §. 9. cl. Libr. I. c. 4. §. 7. Illi familiares erant Caesariani. Nam cum L. Papirius vir bonus et Ciceronis amator[67]), eum peramanter admonuisset, ut Dictatoris in Africa a amicos ne ullo humanitatis officio negligeret, ei Libr. IX. ad Divers. Ep. 16. respondet, se praetermissum esse in concilianda sibi Caesarianorum benevolentia, et amici lautitias vi pesque urbane cavillando addit §. 7.: „Hirtium ego et Dolabellam dicendi discipulos coenandi magistros. Puto enim te audisse, si forte ad vos omnia perferuntur, illos ap declamitare, me apud eos coenitare.“ [68]) Jam cum Paetus, accepta illa epistola, Cicero jocum significasset, se in ejus ludo Tusculano fieri velle hypodidascalum, is Libr. IX. ad Ep. 18. cum obliqua quadam temporum hominumque notatione atque irrisione respond laetari, quod suum ei probetur consilium, in quo imitatus sit Dionysium tyrannum. Q modum enim ille, cum Syracusis pulsus esset, Corinthi ludum aperuisse dicatur, ita se, judiciis, amisso regno forensi, ludum quasi in Tusculano habere coepisse. Eam epistola ptam esse, antequam Julius Caesar ex Africa in Urbem rediisset, patet ex ejus principi Paeto scribit, se ejus litteras accepisse, cum otiosus esset in Tusculano, propterea quod dis obviam misisset Dictatori, ut eadem via se quam maxime conciliarent familiari suo. E Tusculani discipulis num, praeter Hirtium et Dolabellam, etiam adnumerandi sint L. Co Balbus et P. Volumnius, equidem neque affirmare neque negare ausim.[69]) Caeterum pr potius, quam communi humanitatis officio operisve amore ductus Cicero illos Dictatoris dicendo exercuit. Id mihi prodere videntur ejus joci, quum Paeto commoda inde redu ad se enumerans ficta hilaritate ita scribit §. 3.: „ipse melior fio; primum valetudine, intermissis exercitationibus amiseram; deinde ipsa illa, si qua fuit in me, facultas oration me ad has exercitationes retulissem, exaruisset. Extremum illud est, quod tu nescio an p putes: plures jam pavones confeci, quam tu pullos columbinos. Tu istic te Hateriano ju lectas; ego me hic Hirtiano. Veni igitur, si vir es, et disce a me προλεγομένας, quas q etsi sus Minervam.“ [70]) Nihilo tamen minus hoc vitae institutum, quod in Tusculano otii

---

67) Sunt Ciceronis verba de Paeto ex Libr. I. ad Atticum Epist. 20. §. 7., quae scripta est mense Majo a. U. C. 694. s. 60. Videtur ille Neapoli habitasse. Hinc Ciceroni in suis Campaniae villis versanti vicinus ac frequens inter utrumque sermonis et epistolarum commercium. Vide Libr. IX. ad Divers. Epp. 15—26., ex quibus colligimus, Paetum fuisse hominem haud indoctum, facetum ac locupletem, qui Epicureorum ratione vivere pulcherrimum duceret. Cf. infr. N. 70.

68) *A. Hirtius* illo anno unus erat ex decem Praetoribus urbanis, quos Julius Caesar in Africam profectus reliquerat: v. Drumannus in Hist. Rom. Vol. III. p. 69. N. 10. At mirum quemvis habeat necesse est mentio *Dolabellae*, quem bello Africano interfuisse scimus, auctore ipso Cicerone Philipp. II. c. 30. §. 75. Proinde illum prius, quam Dictatorem, ex Africa reversum esse statuemus: cf. ad Attic. Libr. XII. Ep. 5. §. 4.

69) *Balbus*, a Dictatore procurator in Italia relictus, homo singularis in illum fidei, etiam magnus eloquentiae Tullianae admirator et amator: vid. ad Attic. Libr. XIII. Ep. 19. §. 2. Ep. 50. §. 1. De *P. Volumnio Eutrapelo* exponetur alias.

70) *Hirtius* in Epistolis Tullianis aliquoties exagitatur ut homo gulosus et vinosus: de quo crimine sobrie judicat Drumannus in Hist. Rom. Vol. III. p. 75. N. 52. Etiam h. Hirtii Caesariani notandi caussa, eo nomine jocatur cu earumdem lautitiarum amatore, et repetito usu ἀμφι *juris* dubium reddit, num illud frigide dictum, *jus* Act. in Verrem Libr. I. c. 46. §. 121. jure assignaverit Quintilianus Inst. Or. Libr. VI. c. 3. §. 4. Id enim in est, *jus Hirtianum* h. l. esse liquidum cibi, ὄψον, ζωμίδιον, et intelligendum esse *jus fervens*, comm Libr. IX. ad Divers. Ep. 20. §. 2. velut praecipuum Hirtianis gulae irritamentum. Sed satis exercitos hab pretes *jus Haterianum*, quod fuerunt qui eadem vi dic rent qua jus Papirianum, Flavianum, Aelianum, alia. novius et Ernestius, cujus auctoritas effecit, ut Bachiu J. Pr. Rom. Libr. II. c. 2. §. 52. propter hunc Cicero *Haterium* sive *Aterium* quemdam in Jurisconsultorum minorum certe gentium haberet. At alia ut praetere huic interpretationi minime favent, primum me fateor qui, quid oblectamenti potuerit afferre Paeto, homini et deliciarum studiosissimo severum ac jejunum juris Deinde, in quo rei cardo vertitur, omne perit joci Ci acumen, nisi illa verba de jusculi quodam genere

XIV. Ep. 9. §. 3.: „Et Balbus hic est multumque mecum;" et ejusdem Libr. Ep. 11. §. 2.: „Hic mecum Balbus, Hirtius, Pansa." Utraque epistola in Puteolano exarata est. Inter hos interventores, per quos ipsi omnis fere otii fructus ad legendum scribendumque periret, videtur inprimis Balbus ei suspectus perque molestus fuisse. Is enim, ut Dictatori vivo deditissimus fuerat, ita dolorem de ejus caede adeo non dissimulabat, ut heredi ejus filioque, Augusto ab Apollonia redeunti, huc obviam profectus esset. Hirtius et Pansa, licet et ipsi caedem Dictatoris, amici sui, improbarent ac deplorarent, tamen pacis et concordiae studiosi et quaevis violenter acta perosi, videntur ei ab initio minus molesti fuisse, praesertim cum Consules designati essent ac sperari posset, futurum esse, ut uterque, misso percussorum odio, bonorum civium caussam amplecterentur[72]). Jam in hoc secessu Hirtius, homo eruditus et litterarum amans, videtur Ciceronem rogasse, ut ad communia philosophiae studia coeptasque ante biennium in Tusculano dicendi exercitationes se reciperent eisque, quoad ejus fieri posset, praesentium temporum asperitates lenirent. Ejus rei testis est ipse Cicero de Fato c. 1. §. 2 sq.: „Nam quum essem in Puteolano Hirtiusque noster, consul designatus, iisdem in locis, vir nobis amicissimus et iis studiis, in quibus nos a pueritia viximus, deditus, multum una eramus; maxime nos quidem exquirentes ea consilia, quae ad pacem et ad concordiam civium pertinerent. Quum enim omnes post interitum Caesaris novarum perturbationum caussae quaeri viderentur, hisque esse occurrendum putaremus; omnis fere nostra in iis deliberationibus consumebatur oratio: idque et saepe alias, et quodam liberiore, quam solebat, et magis vacuo ab interventoribus die, quum ille ad me venisset, primo illa, quae erant quotidiana et quasi legitima nobis, de pace et de otio. Quibus actis, Quid ergo? inquit ille, quoniam oratorias exercitationes non tu quidem, ut spero, reliquisti, sed certe philosophiam illis anteposuisti, possumne aliquid audire? Tu vero, inquam, vel audire vel dicere. Nec enim (id quod recte existimas) oratoria illa studia deserui; quibus etiam te incendi, quamquam flagrantissimum acceperam; nec ea, quae nunc tracto, minuunt, sed augent potius illam facultatem. Nam cum hoc genere philosophiae, quod nos sequimur, magnam habet orator societatem. Subtilitatem enim ab Academia mutuatur et ei vicissim reddit ubertatem orationis et ornamenta dicendi. Quam ob rem, inquam, quoniam utriusque studii nostra possessio est; hodie, utro frui malis, optio sit tua. Tum Hirtius, Gratissimum, inquit, et tuorum omnium simile: nihil enim umquam abnuit meo studio voluntas tua. Sed quoniam rhetorica mihi vestra sunt nota, teque in iis et audivimus saepe, et audiemus, atque hanc Academicorum contra propositum disputandi consuetudinem indicant te suscepisse Tusculanae disputationes; ponere aliquid, ad quod audiam, si tibi non est molestum, volo."[73]) Una cum Hirtio illis in Puteolano dicendi exercitationibus intererat C. Vibius Pansa, futurus Hirtii in Consulatu a. U. C. 711. s. 43. collega. Nam Cicero, de nefanda Antonii Consulis dominatione certior

72) Omnem operam dabat Cicero, ut Hirtium et Pansam, Consules designatos, in Bruti et Cassii caussam pertraheret, sed multa timebat a Balbo, quocum Hirtium ibi vivere et habitare scribit Attico Libr. XIV. Ep. 20. §. 4. cl. Libr. XV. Ep. 1. §. 3. Itaque, prouti illi videbantur ipsi bene sentire ac bene loqui h. e. liberatoribus istis favere, utrumque nunc laudat nunc vituperat.

73) Non potui mihi temperare quin totum hunc Ciceronis locum quamvis longum huc transscriberem, utpote praecipuum ea in caussa testem, quo et vetus illa, quam Ciceroni cum Hirtio intercessisse statuo, studiorum communium necessitudo comprobatur, et illustrantur ea, quae de dicendi exercitationibus a Cicerone in Tusculano ac Puteolano institutis hactenus disserui. Simul intelligitur, quanti fecerit Cicero Hirtium ejusque doctrinam. De scriptis, quae Hirtio tribuuntur, operibus subtiliter egit Drumannus in Hist. Rom. Vol. III. p. 75 sq.

ceroni necessarium, ut istius familiarium gratiam et benevolentiam ullo officii genere ambiret. Atque vel eam ob caussam affirmare ausim, Augustum, Dictatoris heredem et filium, ne hoc quidem tempore, quo Hirtium et Pansam conjunctos in Puteolano exercebat[76]), eo usum esse dicendi magistro. Ac si a Philippo et Marcello rogatus illi juveni declamanti aures praebuisset, ecquis est qui dubitet quin ejus rei mentionem fecisset in epistolis ad Atticum aliosve familiares atque cum stomacho aut cum suae operae praedicatione nimiam suam facilitatem de more jactasset? Verum enim vero omnium maxime consideranda sunt tempora, quae Dictatoris caedem insecuta sunt, utrique et Consulari et juveni illi curarum negotiorumque plenissima. Augustus vix Urbem ingressus id unice agebat, ut cum M. Antonio Consule aliisque Caesarianis conjunctus avunculi caedem puniret atque aemulo passu ad rerum summam contenderet. Quum autem et contra voluntatem suam et praeter opinionem accidisset, ut de hereditate cum Consule dissideret, discordiis utrimque agitatis, nihil praetermisit quin hunc in odium adduceret apud populum, se autem in ejus favorem insinuaret. Id ei versute pariter ac sedulo agenti non licebat Urbem relinquere diutiusque in vitrici villis Ciceroni vicinis discendi caussa versari. Itaque Augustus per aestivos illius anni menses ancipiti rerum agendarum contentione agitatus et permultorum gravissimorumque occupatione negotiorum districtus nihil minus cogitasse existimandus est, quam ut Consularis illius usu ac consuetudine litterarum humanitate cultior dicendique exercitationibus, apud eum institutis, doctior ac prudentior evaderet. Cicero in Campaniae villis aliquamdiu animo anxio suspensoque commoratus mense Junio constituit in Graeciam proficisci. Ad hoc usque tempus Hirtium et Pansam in ejus vicinia mansisse eoque dicendi magistro usos esse, cum alia sunt quae probent, tum illud inprimis docet, quod Plutarchus in Vit. Cicer. c. 43. narrat. Cum enim Cicero in Graeciam cogitaret, designati illi Consules iter illud ei dissuasisse et rogasse eum feruntur, ut ne se desereret, atque ille recepisse dicitur, reversurum se esse, ubi Kalendis Januariis a. U. C. 711. s. 43. magistratum inivissent. Notum est, Ciceronem profectionis consilium in ipso itinere abjecisse, reversum in villas mox Romam contendisse et initio Septembris palam inimicitias cum M. Antonio gerere coepisse. Jam hoc demum tempore diximus Augustum, vitrici et leviri sui auctoritate ac suasione, conjunctum fuisse cum Cicerone propiore quadam necessitudine ac sermonis consiliorumque communione: quae tamen quam sejuncta fuerit ab omni doctrinarum studio dicendique exercitationibus, Plutarchi ea de re verba, quibus nihil est evidentius, planissime docent. Quum enim Plutarchus ait, Philippum et Marcellum pepigisse, ut Cicero *τὴν ἀπο τοῦ λόγου καὶ τῆς πολιτείας δύναμιν ἔν τε τῇ βουλῃ καὶ τῷ δήμῳ* praeberet Augusto, hic contra Consulari illi *τὴν ἀπὸ τῶν χρημάτων καὶ τῶν ὅπλων ἀσφάλειαν* praestaret, quis est quin videat, istam societatem eo consilio initam esse, ut alter alterius opibus suae factionis opes augeret ac sua quisque consilia exsequeretur. Accedebat quod illa conjunctio sine mutua opinione virtutis, quae est animorum conciliatrix, instituta

76) Per hoc tempus suspicor cum Gesnero accidisse id, quod legimus ap. Quintilian. I. Or. Libr. VIII. c. 3. §. 54.: „Emendavit hoc etiam urbane in Hirtio Cicero, qui, cum in Pansam declamans, *filium a matre decem mensibus in utero latum esse* dixisset, *Quid, aliae*, inquit, *in perula solent ferre?*" Quo in loco mihi non dubium est quin verissima sit conjectura Aldi ex monstrosis Codd. Mst. lectionibus *Pansae* nomen restituentis, licet cum Spaldingio subdubitet Ellendtius Proleg. in Cicer. Brut. p. LXXXVI. Porro pro vulg. *in penula* secutus Gernhardium reposui felicissimam Passeratii conjecturam *in perula*. Ellendtius l. c. probaturus Pansae doctrinam et eloquentiae studia, dicit, ei a Cicerone inscriptum esse librum *de Arte*, allegans Nonium p. 30. v. *Inaudite:* quo tamen in loco nihil inveni nisi aliquot Ciceronis verba, quae ex Ciceronis ad Pansam epistolis sumpta esse statuit Orellius Vol. IV. P. 2. p. 465.

erat, ac simulando utrimque dissimulandoque conglutinata. Hinc aliter fieri non poterat quam ut, simul atque alteruter id, quod voluerat, consecutus esset, ea non dissueretur, sed discinderetur. Jam in tam ancipiti utriusque rerum conditione neutri neque voluntas esse poterat neque otium communibus vivendi studiis. Cicero ipse scribit Planco ad Divers. Libr. X. Ep. 1. §. 1., se, ex quo de suo in Graeciam cursu reipublicae voce revocatus esset, numquam per M. Antonium quietum fuisse. Atque Augustus probe intelligens, non tam verbis quam armis opus esse ad compescendam adversarii superbiam, totus erat primis istius societatis mensibus in veteranorum exercitu comparando et in firmanda sua contra illum potentia, ita ut severioribus litterarum studiis vix ullam navare posset operam. De anno U. C. 711. s. 43. non est quod dicam, quem scimus maximam partem in Martis potius quam Musarum castris ab eo transactum esse. Nam quum Suetonius c. 84. refert, Augustum Mutinensi bello in tanta mole rerum et legisse et scripsisse et quotidie declamasse, sponte intelligitur, id accipiendum esse de illo potissimum temporis spatio, quo primum Arretii in colligendis veteranis, deinde Spoleti solus et paulo post cum Hirtio Consule conjunctus, positis ad Forum Cornelium castris, hiemabat, antequam Mutinae castra admoverentur[77]). Atqui haec ipsa studia ejus castrensia documento sunt, quo fuerit mansuetiorum studiorum amore, et quam parum credibile sit, eum Apollonia reversum aestivos anni U. C. 710. s. 44. menses sine ullo cum Musis commercio Romae degisse. Haud dubie rhetoribus Latinis et Graecis operam dedit ac pro eo, quo a teneris flagrabat, litterarum studio multa legisse multaque scripsisse putandus est. Inter domestica autem ejus studia itemque castrensia dubitari non potest quin fuerint etiam Ciceronis scripta, inprimis orationes, quas notum est exemplis multifariam descriptis publici juris factas esse: v. Wolfii Prolegom. in Cicer. Or. pro Marcello p. XVII.

Si quid igitur eruditionis et litterarum Augustus illi Consulari acceptum refert, id non viva ejus voce et auditione percepisse dicendus est, sed hausisse ex ejus scriptis, quae ab eo diligenter lectitata esse, veri est simillimum. Jam quamvis hoc verum sit, tamen propterea Cicero nequaquam dici haberique potest Augusti juvenis magister, ut hac scriptione, temporum rerumque rationibus copiose ac subtiliter exactis, demonstrasse mihi videor.

§. 10.

Sed video me jam ad eum scriptionis meae locum delatum esse, qui aptissimus sit ad commemorandos et ordine recensendos eos viros, qui quidem ab antiquis scriptoribus Augusti vel pueri vel adolescentis magistri verbis expressis appellantur. Eorum aetatem, dignitatem et studia si spectamus, sine ulla dubitatione familiam ducit

I. Sphaerus quidam, quem paedagogum quondam suum ac libertum anno U. C. 714. s. 40. publice sepelivisse Augustus traditur a Dione Cass. Libr. XLVIII. c. 33. Hujus Sphaeri aliunde non cogniti nomen correctione obtrusum erat a nonnullis loco Suetonii c. 89., atque Fabricius ad Dionis Cassii l. c. not. 152. Vol. V. p. 559. Strz. inde colligit, illum fuisse ex eis, quos Romani *Grammaticos* appellassent. Sed fallitur aeque ac Torrentius et Burmannus, qui Suetonii locum scriptum ediderunt: „*Deinde etiam eruditione varia repletus, Sphaeri, Arei*

77) Conferatur qui earum rerum ordinem accurate et docte executus est, Drumannus in Hist. Rom. Vol. I. p. 291 sqq.

philosophi, filiorumque ejus Dionysii et Nicanoris contubernium iniit."[78]) At *Sphaeri* nomen in nullo Codice comparet, et, quam temere huic loco illatum sit, non est ad intelligendum difficile. Illud nomen originis Graecae est neque ignobile[79]); sed hic Sphaerus haud dubie servus, Augusto puero appositus nomine vel *custodis* vel *paedagogi,* cujus erat simul domi puerum instituere, teste Varrone ap. Nonium p. 447, 33.: „*Educit obstetrix, educat nutrix, instituit paedagogus, docet magister.*" Illi paedagogi fuerunt plerumque Graeci et homines litterati, qui pueros ipsis concreditos docerent primam litteraturam, de qua Seneca Epist. LXXXVIII. §. 18.: „*prima illa, ut antiqui vocabant, litteratura, per quam pueris elementa traduntur, non docet liberales artes, sed mox percipiendis locum parat*"[80]). Ex hoc igitur servorum genere suspicor fuisse illum *Sphaerum,* qui Augusto puerulo, dum in domo et contubernio aviae erat, primam illam litteraturam impertiret[81]). Ob id meritum videtur postea libertate donatus esse, ac mortuus sepultura publica honoratus ab Augusto Triumviro, quem olim instituerat. Num ille Sphaerus Augustum puerum in ludum publicum Grammatici alicujus itantem etiam *custodis* nomine comitatus fuerit[82]), suaque cura, regimine et vigilantia alumni sui amorem gratiamque promeruerit, tanto magis in medio relinquam, quanto minus constat, fueritne Augustus in Grammatici ludum publicum missus, an per pueritiae rationem aviae parentibusve satius visum sit domesticos ei dare praeceptores: domi enim erat erroribus vel modica vel nulla materia, ut utar verbis Plinii Libr. III. Epist. 3. §. 3. — Verum tamen si Augustus puer umquam Grammatici alicujus ludum adierit aut ullius institutione apud parentes usus fuerit, non erit quod dubitemus quin huc referendus sit

II. Caper quidam, quem memorat Pompejus iste, cujus Commentum Artis Donati nuper edidit Lindemannus. (Lipsiae 1820. 8.) In illo libello Segm. X. 4. p. 132. haec scripta leguntur: „ Quamquam et hoc *piissimus* vituperat Cicero in Philippicis—; tamen Caper, ille magister Augusti Caesaris laboravit vehementissime et de epistulis Ciceronis collegit haec verba, ubi dixerat ipse Cicero *piissimus.*" Conf. Ciceronis Fragm. ap. Orellium Vol. IV. P. 2. p. 468. — Caprum quemdam in Ciceronis orationes commentatum esse, novimus ex Agroetio de Orthographia p. 2265. P. Frequens admodum est ejus mentio apud Grammaticos Putschii et Lindemannus non male suspicatur, illum magistrum Augusti videri esse eumdem Caprum, cujus exstent libelli de Orthographia et de Verbis Dubiis ap. Putschium. Appellatur pleno nomine *Flavius Caper.* Num idem sit, quem legimus in Terentium commentarios scripsisse, quis pro certo affirmet?

---

78) Eam lectionem adoptavit Bruckerus in Hist. Crit. Philos. Tom. II. p. 536. atque exinde istum *Sphaerum* in philosophorum numero reposuit! Ac C. W. de Rhoer in Dissert. de Stud. Litt. C. A. Cap. I. §. 4. approbata eadem correctione illius loci Suetoniani, eum tam fugitivis oculis inspexit, ut *Dionysium et Nicanorem* faceret *Sphaeri* filios.

79) Ut silentio hic praeteream *Sphaerum* Lacedaemonium, qui Olymp. XXXV. 2. stadio vicit, teste Dionysio Halic. R. A. Libr. III. c. 36., inprimis clarus habetur *Sphaerus Borysthenita,* philosophus Stoicus, Chrysippi apud Cleanthem commilito, a Ptolemaeo rege Alexandriam arcessitus, ut testatur Athenaeus Libr. VIII. p. 355. C. Tom. III. p. 307. Schw. De eo, praeter J. Jonsium de Scriptt. Histor. Philos. Libr. II. c. 4. §. 2., inprimis conferatur J. A. Fabricius in Bibl. Gr. Libr. III. c. 10. Vol. III. p. 576. Harl.

80) Ea de re prae caeteris dignus est qui conferatur Fr. Cramerus in libro: *Geschichte der Erziehung und des Unterrichts in welthist. Entwickelung* (Elberf. 1832.) Tom. I. p. 388 sqq.

81) Cum *Sphaero* componi potest *Dionysius,* servus ille Ciceronis litteratus, magister M. Ciceronis filii, apud ipsum patrem honoratior quam Panaetius ap. Scipionem, eique perdilectus, quo saevo quidem in pueros magistro negat hominem esse posse doctiorem aut sanctiorem sulque amantiorem, ut scribit Attico Libr. VI. Ep. 1. §. 12. Eum tamen serius dimisit, ut magistrum Ciceronum, non lubenter; ut hominem ingratum, non invitus, ut scribit ad Attic. Libr. VIII. Ep. 10.

82) De his puerorum *custodibus,* qui dicebantur, videsis quae, praeter Quintilianum Inst. Or. Libr. I. c. 1. §. 8., scripserunt Heindorfius ad Horat. Libr. I. Sat. 6. v. 81. et Bernhardyus in libr.: *Grundr. d. Röm. Litteratur* p. 22. N. 43.

vid. Schopen de Terentio et Donato, ejus interprete (Bonnae 1821. 8.) p. 40 sqq. Certum autem est, eumdem etiam memorari inter antiquos Virgilii interpretes: v. Volum. IV. p. 744. ed. Wagn. Ille *Flavius Caper* vulgo Grammaticis incertae aetatis accensetur; Pompejo isti si fides est, eum jam docuisse statuemus saeculo p. U. C. VII. exeunte vitamque produxisse ultra Virgilii mortem h. e. a. U. C. 735. s. 19. Itaque Augustus, postquam a Sphaero aliisve litteratoribus primam perceperat litteraturam, Caprum audivisse existimandus est aut domi aut in ludo enarrantem poetarum scriptorumque Graecorum et Latinorum opera[83]). At enim Pompejus iste sublestioris fidei testis est, quam cui multum auctoritatis tribui possit. Credibile etiam est, Augusti parentes, filium si in disciplinam Grammatici dare voluissent, electuros fuisse unum ex illustribus illius temporis Grammaticis, quos inter Caprum illum fuisse, credere vetat Suetonii de eo silentium. Utcumque est, post Grammatici institutionem Augustus de more tradendus erat rhetori Latino, qui in caussis ac controversiis eum exerceret[84]). Is haud dubie fuit

III. Epidius, quem calumnia notatum, Romae ludum dicendi aperuisse et docuisse inter caeteros etiam *M. Antonium* et *Augustum*, auctor est Suetonius de Clar. Rhet. c. 4. Atque in Vita Virgilii praefixa Codici Gudiano Bibliothecae Guelf. dicitur Poeta Mantuanus apud *Epidium* oratorem cum Caesare Augusto studuisse, ut adnotavit Heynius ad Donati Vit. Virgilii II. §. 7. *Epidiorum* nomen, quod gentile esse apparet, saepissime in Inscriptionibus obvium illa aetate illustravit *C. Epidius Marullus*, Tribunus plebis a. U. C. 709., de quo Vellejus Paterc. Libr. II. c. 68. §. 4. et Suetonius Jul. Caes. c. 79. videndi sunt. Rhetorem, de quo agimus, sunt qui esse putent *C. Epidium* illum, in cujus commentariis arbores locutas reperiri, refert Plinius H. N. Libr. XVII. c. 25. §. 38.[85]) Tempus, quo Augustus Epidio operam dederit, erunt fortasse qui certo definiri posse contendant. Suetonius enim facta Antonii et Augusti, ut discipulorum Epidii, mentione subjicit: „quibus quondam Cannutius, objicientibus sibi, quod in republica administranda potissimum consularis Isaurici sectam sequeretur, „*Malle*, respondit, *Isaurici esse discipulum, quam Epidii calumniatoris.*"[86]) Cannutius ille procul dubio est Tribunus plebis a. U. C. 710. s. 44., acerrimus libertatis vindex, a quo M. Antonium Consulem canina rabie et saepe et jure in concionibus laceratum esse, testantur Cicero Philipp. III. c. 9. et Vellej. Paterc. Libr. II. c. 64. §. 4. ibique Intpp.[87]). Quamquam ille Augusto pepercisse eum-

---

83) De munere *Grammatici* apud Romanos docte exposuit Car. Passovius de Vita Q. Horatii Flacci p. VIII. N. 13.

84) De *Rhetorum Latinorum* docendi munere ejusque ambitu accurate scripsit Bernhardyus in libr.: *Grundr. d. Röm. Litterat.* p. 23 sq.

85) Commentarios illos *C. Epidii* ex genere operum de Rebus Mirabilibus fuisse ab M. Terentio Varrone, M. Cicerone aliisque scriptorum, non temere suspicatur A. Westermannus in Praefat. *Paradoxographorum Graecorum* (Brunsvig. 1839.) p. LIII.

86) *Secta* h. l. est regula, ratio, modus administrandi rempublicam: v. Schwarzius ad Plinii Panegyr. c. 45. §. 4. Isauricus consularis sine dubio est P. Servilius Vatia Isauricus Consul a. U. C. 706. s. 48., cujus filiam, Serviliam, anno proxime superiore U. C. 700. s. 45. desponsam Augusto fuisse, supra §. 6. docuimus. Magna acuminis pars responsi Cannutiani nobis perit ignorantibus, quid significetur vv. „*secta Isaurici.*" Non enim arbitror, cogitari posse de illius Consularis infenso in Antonium animo, quem utique cum Cannutio videtur communem habuisse. Eo nomine laudatur a Cicerone Libr. XII. ad Divers. Ep. 2. §. 1. et Philipp. XII. c. 2. §. 5.; sed idem ab eodem ob lenitatem in illum ejusque amicos reprehenditur Philipp. XIV. c. 3. §. 7. et c. 4. §. 11. At, auctore Suetonio, Augustus quoque Cannutio objecerat *sectam Isaurici*, qui futurus esset suus socer! Neque Isauricus ita odisse videtur Antonium, ut in odiis adversus Consulem exercendis sectae cujusdam dux ac velut antesignanus dici haberique posset.

87) Magna est de praenomine illius Cannutii controversia, de qua erudite exposuit Garatonius ad Ciceronis Philipp. III. c. 9. Tom. II. p. 44. Wernsdf., ubi nunc legimus *Tiberium Cannutium*. Quare in loco Suetonii *Gaji* praenomen delendum est, ut jam Oudendorpius censuit. Adde quae Krausius collegit ad Vellej. Paterc. Libr. II. c. 64. §. 4. p. 318. Scripturam nominis *Cannutius* per duplex *n* firmat Orellius in Onomast. Tull. s. h. v.

que contra M. Antonium adjuvisse videtur, id tamen, quod Suetonius narrat, in concione aliqua per illius anni aestatem habita accidisse arbitror. Ignominiose utrumque appellaverat Cannutius *discipulum Epidii calumniatoris*, et planum est, illis probro verti disciplinam illius rhetoris. Inde autem non licebit nobis concludere, utrunque illo ipso anno operam dedisse Epidio. Non est credibile, Antonium et Augustum per illius anni aestatem, quam mutuis transigerent discordiis, uno eodemque dicendi magistro usos esse. Nec, credo, Cicero ad invidiam M. Antonio faciendam reticuisset Epidium, calumnia olim notatum, non honestiorem ac Sext. Clodio rhetore nobiliorem illius magistrum, si vere per illud tempus Consul audivisset Epidium[88]). Sine dubio diverso tempore Antonius et Augustus ad illum rhetorem Latinum deducti fuerant, ubi ad aetatem quisque pervenisset oratoriis debitam studiis. Augustus videtur, posita praetexta, Epidium audivisse cum parentum, tum avunculi optione usque ad illud tempus, quo avunculi castra secuturus in Hispaniam abiret: v. Dio Cass. Libr. XLV. c. 2.

At qui tum Romae ad perfectioris eloquentiae facultatem adspirabat, is, quia Graecis exercitationibus ali melius ingenium posse existimaretur, solebat assumere rhetorem Graecum, ut ipsius Ciceronis testimonio scimus apud Suetonium de Clar. Rhet. c. 2. Eo consilio etiam Augusto juveni magister dicendi datus est

IV. Apollodorus, rhetor Graecus, qui, cum satis perspicua de eo exstent scriptorum veterum testimonia, non difficulter ab aliis, quamvis multis, distingui potest hujus nominis viris, quos recenset J. A. Fabricius in Bibl. Gr. Vol. IV. p. 299—303. ed. Harl. Ac primum hic producendus audiendusque fuerit Hieronymus in Chronic. ad Olymp. 179. 2. h. e. an. U. C. 691. s. 63.: „*Apollodorus Pergamenus, Graecus orator, praeceptor Callidii et Augusti, clarus habetur.*"[89]) Non quidem certo constat, quo tempore quave occasione venerit Apollodorus Romam ibique dicendi ludum aperuerit. Cum autem Calidius dicatur ejus discipulus fuisse, apertum est, eum jam aliquot annis ante Ciceronis consulatum et ante annum Augusti natalem Romae docere coepisse. Nam M. Calidius, qui, judice Cicerone in Brut. c. 79. §. 274., non orator fuit unus e multis, potius inter multos prope singularis, jam anno U. C. 690. s. 64. Q. Gellium de veneno sibi parato accusavit a Cicerone, consulatus candidato, defensum[90]). Hieronymus igitur Augustum conjungit cum M. Calidio tamquam nobilissimos ex ejus discipulis. Quanta autem cum doctrinae fama Apollodorus Romae docuerit, ejus rei duo exstant testes graves admodum ac diserti. Primum Strabo Libr. XIII. c. 4. §. 3. de claris Pergamenis agens pergit Tom. V. p. 463. Tz.: *καὶ Ἀπολλόδωρος ὁ ῥήτωρ, ὁ τὰς τέχνας συγγράψας καὶ τὴν Ἀπολλοδώρειον αἵρεσιν παραγαγὼν, εἴ τις ποτ' ἐςί· πολλὰ γὰρ ἐπεκράτει· μείζονα δὲ, ἡ καθ' ἡμᾶς, ἔχοντα τὴν κρίσιν· ὧν ἐςι καὶ ἡ Ἀπολλοδώρειος αἵρεσις καὶ ἡ Θεοδώρειος.* Deinde Quintilianus I. Or. Libr. III. c. 1. §. 17.: „Praecipue, inquit, — in se converterunt studia *Apollo-*

88) De *Sext. Clodio*, rhetore et M. Antonii magistro, vide, praeter Suetonium de Clar. Rhet. c. 5., Ciceron. Philipp. II. c. 17. ibiq. Intpp. Tom. I. p. 294. Wernsdf. cf. Krausii Vit. et Fragm. Hist. Rom. p. 215.

89) *Apollodorum Pergamenum* prae caeteris illustravit Augustus, ejus discipulus. In Hieronymi verbis dubium est Scaligero p. 143. scribendum sit *Calidii* an *Callidii?* Utramque hujus nominis scripturam tuentur Codices Msti et Inscriptiones permultae ap. Gruterum. Conferantur, praeter Zumptium ad Cicer. in Verrem Libr. IV. c. 20. §. 43., inprimis Editt. Cicer. de Invent. Libr. II. c. 9. ap. Lindemannum p. 543 sq. Priorem illam nominis gentilis formam ut praeferendam putem, facit cognomen *Caldi* sive *Calidi*, unde gentile natum esse videtur.

90) De *M. Calidio* oratore, praeter Ellendtium Proleg. in Cicer. Brut. p. CVII. sqq., conferatur Westermannus in Histor. Eloq. Rom. §. 69. N. 6—11. cl. Meyeri Fragm. Oratt. Rom. p. 199 sqq.

dorus Pergamenus, qui praeceptor Apolloniae Caesaris Augusti fuit, et *Theodorus Gadareus*, qui se dici maluit *Rhodium:* quem studiose audisse, cum in eam insulam secessisset, dicitur Tiberius Caesar. Hi diversas opiniones tradiderunt, appellatique inde *Apollodorei* et *Theodorei*, ad morem certas in philosophia sectas sequendi. Sed Apollodori praecepta magis ex discipulis cognoscas, quorum diligentissimus in tradendo fuit Latine C. Valgius, Graece Atticus. Nam ipsius sola videtur Ars edita ad Matium, quia caeteras missa ad Domitium epistola non agnoscit." [91]) Jam ne quis, Quintiliani verbis inductus, opinetur, Apollodorum Apolloniae quoque ludo aperto docuisse, ejusque fama allectum Augustum in illa urbe ejus audiendi caussa commoratum esse, vetant ea, quae a Suetonio c. 89. tradita legimus: „Ne Graecarum quidem disciplinarum leviore studio tenebatur: in quibus et ipsis largiter praestabat, magistro dicendi usus Apollodoro Pergameno, quem jam grandem natu Apolloniam quoque secum ab Urbe juvenis adhuc eduxerat." Ex quo loco quid est evidentius, quam Augustum jam ante, quam Apolloniam mitteretur, Romae audivisse Apollodorum, rhetorem Graecum. A vero minime abhorret, Augustum uno eodemque tempore Latino et Graeco rhetori, Epidio et Apollodoro, operam dedisse. Apollodorum ab Julio Caesare Augusto Apolloniam praemisso datum esse dicendi magistrum ac simul in omne expeditionis Parthicae tempus comitem ac veluti juventutis rectorem, probabili conjectura ducti posuimus supra §. 7. Roma ille eductus esse dicitur jam grandis natu: id verum esse, vel inde intelligitur, cum jam anno U. C. 691. s. 63., quo anno Augustus natus est, teste Hieronymo, clarus habitus sit. [92]) Etsi nusquam traditum legimus, Apollodorum cum alumno suo, post Julii Caesaris interitum, in Urbem rediisse; tamen veri est simillimum, eumdem, qui Roma eductus fuisset magister vitaeque moderator, etiam reductum esse et, quoad ejus fieri posset, dicendi magistrum adhibitum. Qua de caussa non vereor, ne magnopere fallar, si Apollodorum ab Augusto non modo per aestatem anni U. C. 710. s. 44. per otium Romae auditum, sed etiam in bellum Mutinense declamandi caussa abductum fuisse suspicor. Certe Strabo, quum Libr. XIII. c. 4. §. 3. Tom. V. p. 464. Tz. scribit: *Μάλιστα δὲ ἐξῆρε τὸν Ἀπολλόδωρον ἡ τοῦ Καίσαρος φιλία τοῦ Σεβαστοῦ, διδάσκαλον τῶν λόγων γενόμενον,* istam Apolloniensem cum Apollodoro *διατριβὴν* Augusti vix semestrem non poterat solam respicere. Referenda potius haec sunt ad Triumviratus tempora, quae Apollodorus, senex fere septuagenarius, Romae in otio transegisse et Augusti gratia et amicitia floruisse existimandus est. Neque tamen hoc tamque potente illius Triumviri, discipuli nuper sui, favore poterat legibus eripi in caussa veneficii, cujus reum factum eum esse arbitror sub exitum imperii triumviralis. [93]) Nam hunc rhetorem,

---

91) De hoc Quintiliani loco disserui in Comment. *de C. Valgio Rufo* in Poet. Rom. Reliq. p. 233. coll. p. 264., quibus nunc adde quae scripsit Westermannus in Hist. Eloq. Gr. §. 86. et in Hist. Eloq. Rom. §. 79. coll. Bernhardyi *Grundriss der Griech. Litteratur* Tom. I. p. 403.

92) Eam rem subtiliter ad calculos vocare studuit P. S. Frandsenius in libr.: *M. Vipsanius Agrippa. Eine hist. Untersuch. üb. dessen Leben u. Wirken* (Altona 1836. 8.) p. 228. qui dicit Apollodorum tum fuisse sexagenarium.

93) Thorbeckius in Comment. *de C. Asinii Pollionis Vit. et Stud. Doctrinae* p. 71 sq. tertium hoc dicit fuisse patrocinium, quod in veneficii caussis Pollio susceperit. Hoc numero si forte caussae gravitatem spectavit, nihil habeo quod opponam; sin tempus et ordinem caussarum significare voluit, non est dubium quin erraverit. Apollodori senectus suadet, ut hanc veneficii caussam a Pollione actam praeponamus Nonio Asprenati et Moscho, rhetori Pergameno, ejusdem criminis reis, quorum patronus idem Pollio fuit. Utramque enim actionem mediis Augusti imperantis temporibus assignandam esse, mihi videor probasse in Comment. *de Cassio Parmensi* §. 4. p. 198 sq. et p. 311 sqq. Apollodorus autem ille Pergamenus quum plurimum vixisse videtur usque ad a. U. C. 732. a. 22. Vide Not. 92.

licet defensum ab Asinio Pollione, tamen judicio damnatum Massiliam concessisse atque ibi quoque docuisse, narrat M. Seneca Libr. II. Controv. 13. p. 180. Bip. Atque in hac urbe sine dubio diem supremum obiit grandis admodum senex. Lucianus enim in Macrobiis Vol. VIII. p. 128. Bip. haec memoriae prodidit: „*Ἀπολλόδωρος δὲ ὁ Περγαμηνὸς ῥήτωρ, θεοῦ Καίσαρος Σεβαστοῦ διδάσκαλος γενόμενος, καὶ σὺν Ἀθηνοδώρῳ τῷ Ταρσεῖ φιλοσόφῳ παιδεύσας αὐτὸν, ἔζησε ταὐτὰ τῷ Ἀθηνοδώρῳ ἔτη ὀγδοήκοντα δύο.*“

Quo quidem loco ad alium eumque celebratiorem deducimur virum, quem et ipsum inter Augusti magistros commemoratum reperimus. Dico

V. Athenodorum, Tarsensem philosophum, de quo paulo accuratius hic dicturo mihi lubet in fronte apponere ejusdem Luciani locum satis uberem de illo et accuratum, cui reliqua scitu de illo homine necessaria commode possim attexere. Lucianus in Macrob. Vol. VIII. p. 126. Bip. haec refert: *Ἀθηνόδωρος Σάνδωνος Ταρσεὺς Στωϊκὸς, ὃς καὶ διδάσκαλος Καίσαρος Σεβαστοῦ θεοῦ, ὑφ᾽ οὗ ἡ Ταρσέων πόλις καὶ φόρων ἐκουφίσθη, δύο καὶ ὀγδοήκοντα ἔτη βιοὺς, ἐτελεύτησεν ἐν τῇ πατρίδι καὶ τιμὰς ὁ Ταρσέων δῆμος αὐτῷ κατ᾽ ἔτος ἕκαστον ἀπονέμει ὡς ἥρωϊ.* — Exstiterunt apud veteres permulti *Athenodori,* ingenio, doctrina scriptisque clari, quos diligenter commemoratos invenimus ab J. A. Fabricio in Bibl. Gr. Vol. III. p. 542 sqq. ed. Harl. Inter eos eminent tres hujus nominis Philosophi Stoici, quorum duo erant Tarsenses, unus Solensis, ut jam admonuit Jo. Jonsius de Scriptt. Histor. Philos. Libr. II. c. 18. §. 1. et Libr. III. c. 2. §. 4.— *Athenodorum Solensem,* quem ipsius Zenonis auditorem fuisse attestatur Diogenes Laertius Libr. VII. Segm. 38., J. Lipsius in Manuduct. ad Stoic. Philos. Libr. I. Dissert. 12. p. 659. Tom. IV. Opp. intellectum voluit apud Senecam de Tranquill. Animi c. 3., dissentiente tamen non temere Ruhkopfio Vol. I. p. 339. — Duo illos *Athenodoros Tarsenses* probe distinguendos esse docuit jam Jac. Perizonius ad Aeliani Var. Hist. Libr. XII. c. 25., secutus gravissimam auctoritatem Strabonis, qui Libr. XIV. c. 4. §. 14. Tom. V. p. 704. Tz. de viris Tarsi, urbis Ciliciae, illustribus agens scriptum reliquit: *ἔτι δ᾽ Ἀθηνόδωροι δύο· ὧν ὁ μὲν, Κορδυλίων καλούμενος, συνεβίωσε Μάρκῳ Κάτωνι, καὶ τελευτᾷ παρ᾽ ἐκείνῳ· ὁ δὲ τοῦ Σάνδωνος, ὃν καὶ Κανανίτην φασὶν ἀπὸ κώμης τινὸς, Καίσαρος καθηγήσατο καὶ τιμῆς ἔτυχε μεγάλης κ. τ. λ.*

Quae Strabo hic scripsit de *Athenodoro,* qui *Cordylion* cognominatus est, ea a Plutarcho in Vita Catonis Minoris et confirmantur et illustrantur. Cato enim posteaquam, ut Plutarchus c. 8. narrat, in bello contra Spartacum sub L. Gellio Poblicola Cos. a. U. C. 682. s. 72. stipendia fecerat *ἐθελοντής,* creatus est Tribunus militum missusque in Macedoniam ad *Rubrium,* quem Plutarchus c. 9. *στρατηγὸν* appellat.[94]) Ibi quum inaudivisset, Athenodorum, *τὸν ἐπικαλούμενον Κορδυλίωνα,* ut ait Plutarchus c. 10., apud Pergamum agere aetate jam provectum, in Asiam ad eum profectus est impetrato bimestri commeatu, eumque, quem in disciplina Stoica praeclare exercitatum et tamquam veri nominis Stoicum hucusque omnium imperatorum regumque consuetudinem et amicitiam recusasse comperisset, precibus expugnatum in castra Macedonica laetus exsultansque deduxit.[95]) Id autem, rebus temporibusque subtilius spectatis, proba-

94) Illum *Rubrium,* aliunde mihi non cognitum, legionum ducem, legatum fuisse suspicor Proconsulis, qui tum Macedoniam provinciam regeret. Is haud dubie erat M. Terentius Varro Lucullus, qui pro Consule Macedoniae praeerat ab a. U. C. 682. s. 72., quo anno frater ejus germanus, L. Lucullus, in Asia Pontum bello aperiebat, usque ad a. U. C. 684. s. 70., quo certe anno ex Macedonia triumphavit: v. Garatonius ad Cicer. in Verr. Libr. II. c. 8. §. 24. et inprimis Drumannus in Hist. Rom. Vol. IV. p. 176 sqq.

95) Eamdem rem strictim attingit Plutarchus in libr. περὶ

bile est factum esse circiter a. U. C. 684. s. 70. Jam Cato, exacta militia Macedonica, iter fecit per Asiam, a Plutarcho c. 12—16. copiose descriptum, in quo haud dubie peregrinationis comitem haberet Athenodorum illum, et Romam demum venisse cum eo videtur sub autumnum a. U. C. 688. s. 66.[96])

In Urbem reversus Cato omne tempus traducebat aut domi Athenodoro aut in foro amicis vacans, ut ait Plutarchus c. 16. — Diogenes Laertius Libr. VII. Segm. 34. refert, Athenodorum quemdam Stoicum, cui commissa fuisset bibliothecae Pergamenae custodia, ex libris Stoicorum erasisse ac delevisse quaecumque ipsi displicuissent. Id tradit Diogenes ex fide et auctoritate *Isidori*, rhetoris Pergameni, qui praeterea addiderat, exscissa illa rursus libris inserta esse, *φωραθέντος τοῦ Ἀθηνοδώρου καὶ κινδυνεύσαντος*. Jam Athenodorum illum haud pauci sine ulla dubitatione dicunt fuisse Cordylionem, Catonis amicum: cf. Bruckeri Hist. Crit. Philosoph. Tom. II. p. 54. Not. b. Id si verum est, ut mihi quoque videtur, licet concludi, eum in facinore isto deprensum ac bibliothecae cura ac munere remotum, Pergamo relicta, in agrum secessisse urbi vicinum atque *διατρίβοντα περὶ Πέργαμον*, ut ait Plutarchus, a Catone inde in castra Macedonica abductum esse. Quum ille Catonis comes ac familiaris factus esse dicatur a Plutarcho *ἤδη γηραιὸς ὤν*, et, Strabone teste, mortuus sit Romae in domo Catonis; consequens erit statuere, hunc Athenodorum vita defunctum esse certe ante annum U. C. 706. s. 48. Romae igitur eum per plures annos versatum esse, evidens est ac certum. Quaeritur, fueritne ille Catonis convictor et amicus Ciceroni quoque cognitus et aliqua cum eo consuetudine conjunctus, praesertim cum scriptis etiam dicatur innotuisse?[97]) Perlustrantibus autem nobis Tulliana, quae supersunt, opera occurrit Athenodorus quidam Stoicus, de quo ad Atticum Libr. XVI. Epist. 11. §. 4. scribit: „Eum locum Posidonius persecutus est. Ego autem et ejus librum arcessivi et ad *Athenodorum Calvum* scripsi, ut ad me *τὰ κεφάλαια* mitteret; quae exspecto: quem velim cohortere et roges, ut quam primum.“ Is Athenodorus, quisquis fuit, Posidonii, ut videtur, auditor, dubitari non potest quin a Cicerone per ludum quemdam familiarem et jocum *Calvus* cognominatus sit a calvitie, qua eum citerius senectute praesignem fuisse credibile est:[98]) in sene enim istud cognomen nihil haberet acuminis, nedum festivitatis. Ille philosophus Athenodorus, qui Attico Romae tum commorante familiariter utebatur, Ciceroni sententiam ejus *περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος* sciscitanti prompte satisfecerat. Cicero enim ad Atticum Libri ejusdem Epist. 14. §. 4. scribit: „Athenodorum nihil est quod hortere. Misit enim satis bellum *ὑπόμνημα*.“ Prior illa epistola Puteolano, posterior Arpinati ad Atticum data est: utraque autem scripta mense Novembri a. U. C. 710. s. 44. Quo quidem efficitur, ut nullo pacto

---

τοῦ ὅτι μάλιστα τοῖς ἡγεμόσι δεῖ τὸν φιλόσοφον διαλέγ. Vol. IX. p. 108. R. et verbose eam persequitur Bruckerus in Hist. Crit. Philos. Tom. II. p. 53 sq.

96) Id non temere colligere mihi videor ex eo, quod, teste Plutarcho c. 14., Cato Ephesi convenit Pompejum Magnum, sine dubio ibi commorantem confecto bello piratico, antequam ipsi lege Manilia bellum contra Mithridatem decerneretur. Ac Plutarchus ibi diserte addit, Pompejum Catoni Romam naviganti liberos suos, uxorem aliosque propinquos commendasse.

97) Huic Athenodoro Cordylioni attribuit Ruhkopfius locum ap. Senecam de Tranquill. Anim. c. 3. ex aliquo ejus scripto Latine redditum, itemque dictum quod ibidem c. 6. et Epist. X. §. 5. legitur. Ruhkopfius suam sententiam eo confirmat, quod is Athenodorus Tarsensis multo majorem nactus sit auctoritatem et famam, quam Solensis ille, quem Lipsius intellectum velit, sed quem umquam Romae fuisse minime constet. Sed de Ruhkopfii quoque sententia est quod dubitemus: v. N. 119.

98) Hujuscemodi jocus non alienus a Cicerone. Sic *C. Matius*, Julii Caesaris familiarissimus, propter calvitium saepenumero solo *Calvenae* nomine designatur in epistolis: v. Orellii et Baiteri Onomast. Tull. p. 391. Eumdem significat ad Attic. Libr. XIV. Ep. 2. §. 2.: „Altera epistola de *Madaro* scripta, apud quem nullum *φαλακρώνισμα*, ut putas.“ Gr. *μαδαρός* est depilis, glaber, calvus.

apud Ciceronem intelligi queat Tarsensis ille Stoicus, *Athenodorus Cordylio*, quem aliquot minimum annis ante Catonem vita excessisse ostendimus.

Sed qui porro ab Strabone memoratur Tarsensis, philosophus Stoicus, *Athenodorus*, Sandonis filius, ὃν καὶ Κανανίτην φασὶν ἀπὸ κώμης τινὸς h. e. oriundum ex *Κάνα*, vico prope Tarsum;[99]) eum et Ciceroni notum fuisse et magnae auctoritatis apud alios virum, discimus ex Libri III. ad Divers. epistola 7. Ea scripta est Laodiceae mense Februario anno U. C. 704. a. 50. et data ad Appium Pulchrum, cui Cicero pro Consule in Cilicia successerat. Ille, patricii spiritus homo majorumque imaginibus superbus, conquestus fuerat de Cicerone, successore suo tamquam dignitatis suae ac nobilitatis contemptore. Eas querelas iniquissimas refellit Cicero et honesta quadam cum libertate negat, ullam apud se plus valere Appietatem aut Lentulitatem, quam ornamenta virtutis, ac subjicit §. 5.: „Tu si aliter existimas, nihil errabis, si paulo diligentius, ut, quid sit εὐγένεια, quid sit nobilitas, intelligas, Athenodorus, Sandonis filius, quid de his rebus dicat, attenderis.“ Ad quem locum Manutius in Comment. P. I. p. 223. itemque Wyttenbachius ad Plutarchi Apophthegm. Vol. II. p. 402. Lips. nihil dubitant statuere, Ciceronianum illum Athenodorum esse eumdem, qui ab Strabone et Luciano dicatur Augusti magister. Atque ea sententia perquam est probabilis. Neque, sive homines spectamus sive res ac tempora, quidquam obstat quo minus hunc Sandonis filium, ante tempus fortasse calvescentem, a Cicerone in epistola ad Atticum, utrique amicissimum, jocose *Calvum* cognominatum esse suspicemur. Nam Tulliana illa ad Appium Pulchrum epistola videtur extra omnem dubitationem ponere, Athenodorum illum jam anno U. C. 704. s. 50. aliquamdiu Romae versatum apud nobilissimos et eruditissimos quosque Romanorum et auctoritate et doctrinae laude floruisse, nisi forte quis dicat, hunc philosophum utrique Ciliciae Proconsuli, Appio ejusque successori, Ciceroni, primum innotuisse tum in ipsa urbe Tarso adhuc commorantem. At ea opinio quam vana sit ac rebus temporibusque repugnet, non est quod pluribus doceam. Illa autem Athenodori cum Cicerone familiaritas nonnihil lucis praebet vitae ac necessitudini, qua Augustum cum eodem philosopho conjunctum fuisse scimus. Per illud, de quo loquimur, tempus Augustus pueritiae annos nondum egressus erat. Eccui vero credibile est, puerum quamvis nobilem in disciplinam tanti philosophi datum esse, praesertim cum, ut infra docebimus, jam alium domi secum haberet philosophum, suae juventutis rectorem? Mera est ac perabsurda ariolatio, qua Athenodorus ille adeo eloquentiae studiis Augusti praefuisse putatur suaque cura effecisse, ut ab hoc duodecim vix annorum puero Julia avia defuncta magno cum plausu pro Rostris laudaretur. Errant etiam qui nescio qua auctoritate veluti pro certo et explorato narrant, hunc Athenodorum Apolloniae philosophiam docuisse ibique ab Augusto auditum atque hinc Romam abductum fuisse.[100]) Qui quidem error

99) Nonnulli serioris aetatis scriptores, ut Glycas, Cedrenus, Constantinus Manasses et Theodorus Metochita illum Athenodorum faciunt Alexandrinum. Multo potiorem autem esse Strabonis auctoritatem, jam monitum est a Viris Doctis, qui de illo philosopho singulatim scripserunt, ut Jo. Fr. Hoffmannus, cujus Disputationis *de Athenodoro Tarsensi, philosopho Stoico* (Lips. 1732. 4.) summarium dedit Harlesius ad Fabricii Bibl. Gr. Vol. III. p. 543.; porro Abbas Sevinus in *Mémoires de l'Académie des Inscr.* Tom. XIII. p. 50—61., cujus scriptionem in sermonem Germanicum translatam legimus in Hissmanni *Magaz. f. d. Philos.* P. IV. p. 309 sq. — Praeter ea, quae God. Olearius collegit in Notis ad Suidam, quae in J. A. Ernestii Observatt. in Aristoph. Nub. et Josephi Antiq. Judaicas (Lips. 1795. 8.) leguntur, multa de hoc Athenodoro congessit Harkenrothius in Nov. Miscell. Observ. Tom. I. p. 49 sqq. eaque ad annorum ordinem quemdam mirifico sane acumine revocare studuit, in cujus conjecturis examinandis erroribusque confutandis nihil operae ponendum duxi.

100) Hanc sententiam inprimis J. F. Hoffmannus in Disputat. *de Athenodoro Tarsensi* §. VII. N. e. p. 12. argumentis ad-

unde ortus sit non est ad intelligendum difficile. A Luciano in Macrob. l. c. dicitur Apollodorus Pergamenus Augusti *διδάσκαλος γενόμενος καὶ σὺν Ἀθηνοδώρῳ τῷ Ταρσεῖ φιλοσόφῳ παιδεύσας αὐτόν*. Jam cum vulgo constaret, Augustum Apolloniae dicendi magistro usum esse Apollodoro rhetore, fuerunt qui, Luciani verbis obiter inspectis, totum locum ita acciperent, ac si Athenodorus quoque Apolloniae philosophiam professus esset ibique ille juvenis operam ei dedisset. At cuivis, qui attenderit, planum erit, rhetorem illum Apollodorum et philosophum Athenodorum conjunctim a Luciano proferri, non quod illi in uno eodemque loco juvenem artes ac disciplinas docuerint, sed quia uterque aliquando Imperatorem Caesarem Augustum instituerat et, id quod inprimis memorabile erat, vitam ad duorum et octoginta annorum senectutem produxerat.[101]) Deinde ut omittam hic repetere quae supra §. 7. de Apollonia disserui, isti opinioni etiam adversatur silentium Strabonis caetera amici fata ac res cum cura exponentis. Nam qui peregrinationes ab amico susceptas[102]) diligenter aliis in locis commemorat, eum mihi persuasissimum est de ista Illyrici urbe Libr. VII. c. 5. §. 9. agentem haudquaquam silentio praetermissurum fuisse, si umquam Athenodorus ille, Tarso relicta, Apolloniam se contulisset, docenda philosophia nominis famam adeptus fuisset ibique cum juvene, qui postea imperii Romani dominus factus est, primum familiariter conjunctus fuisset.

Verum enim vero quaecumque de Stoico illo Tarsensi, Augusti sive magistro sive amico, a scriptoribus memoriae prodita legimus, nos eo deducunt, ut illam consuetudinem inter utrumque natam demum esse dicamus aliquot annis post, quam Julii Caesaris Dictatoris heres, triumviratu inito, devictis ad Philippos avunculi percussorum principibus in Italiam reversus, ibi mox factionis Antonianae amicis prospere oppressis, ipsam Romam rerum gerendarum ac veluti imperii sui sedem fecisset. Inde ab hoc tempore in universum ea vitae privatae instituta palam sequi coepit, quae Romanis se commendarent antiquitatis laude et animi morisque civilis specie. Inter haec etiam illud fuit, quod Romae invaluerat, ex quo, ut Poetae verbis utar, Graecia capta ferum victorem ceperat et artes intulerat agresti Latio. Principes quique Romanorum et humanitate politiores domi secum habere solebant eruditissimos homines ex Graecia, praesertim philosophos eosque Stoicos, idque contubernium honori sibi ac decori ducebant. Res satis nota et a Viris Doctis exposita[103]). Consectabantur eos Graecos, quorum vel studiis vel moribus delectarentur, si quidem ex ejusmodi hominum usu et consuetudine quotidiana haud parum ad ingenii animique culturam proficere sibi videbantur. Praecipuus de hoc more locus invenitur apud Aelianum

---

modum infirmis stabilire ac tueri studuit, eamque sine judicio ac temere amplexi sunt ex VV. DD. aetatis nostrae permulti. Longum est enumerare singulos. Sufficiet commemorasse hic laudatissimum opus Fr. Schoellii: *Geschichte d. Griech. Litteratur u. s. w.* Vol. II. p. 654. ex interpr. Pinderi (Berol. 1830. 8.), ubi haec leguntur: *„Athenodorus lehrte die Philosophie zu Apollonia in Epirus, wo Octavian ihn hörte. Er folgte dem ehrgeizigen Jüngling nach Rom und leitete seine Schritte durch weise Rathschläge."*

101) Erroris istius fontem jam aperuit Corn. Wilh. de Rhoer in Dissert. de Studiis Litter. Caes. Aug. Cap. I. §. 4. p. 13 sq. Ac profecto dubitari nequit quin, ea mens si Luciano fuisset, scribi ab eo debuisset: *διδάσκαλος ἐν Ἀπολλωνίᾳ γενόμενος* aut *ἐν Ἀπολλωνίᾳ παιδεύσας αὐτὸν κ. τ. λ.*

102) Sic Strabo Libr. XVI. c. 4. §. 21. Tom. VI. p. 442. Tz. de Arabia agens ait: *γενόμενος γοῦν παρὰ τοῖς Πετραίοις Ἀθηνόδωρος, ἀνὴρ φιλόσοφος καὶ ἡμῖν ἑταῖρος, διηγεῖτο θαυμάζων.* Ex quo loco non temere colligas, Athenodorum in Arabia peregrinatum esse et ea, quae Strabo de Petra, Nabathaeorum urbe, prodat, cum amico communicasse.

103) Pertinet huc peculiaris Plutarchi libellus supra Not. 95. commemoratus, ubi etiam Romanorum aliquot exempla proferuntur, quibus adde ea, quae monuit Henrichsenius ad Cicer. de Orat. Libr. II. c. 37. §. 154. p. 216. et quae ex Imperatorum Rom. temporibus collegit Gierigius in Excurs. II. ad Plinii Epist. Tom. II. p. 545 sqq. cf. Bernhardyus in libr.: *Grundriss der Griech. Litteratur* Tom. I. p. 394 sqq.

Var. Hist. Libr. XII. c. 25., ex quo prudens sciensque haec transscribam: *Καὶ Λεύκολλος Ἀντιόχου τι ὤνατο τοῦ Ἀσκαλωνίτου, καὶ Μαικήνας Ἀρείου, καὶ Κικέρων Ἀπολλωνίου, καὶ ὁ Σεβαστὸς Ἀθηνοδώρου.*[104]) Nam is ipse, qui hic memoratur, Athenodorus dubitari nequit quin sit Sandonis filius, Tarsensis ille philosophus Stoicus, quem jam plures annos Romae commoratum et Ciceronis, Attici, aliorumque familiaritate clarum fuisse ostendimus. Atque hunc philosophum ab Augusto Triumviro demum contubernio admotum et inter familiarissimos assumptum fuisse, non levibus adducti caussis contendimus. Quid enim censes? Num Aelianus eruditos istos Graecos profert ut magistros, quorum disciplina et institutione usi sint principes illi Romanorum aut pueri aut juvenes? Immo habiti sunt illi, praecellentes ingenio doctrinaque viri, familiarium loco, quorum praeceptis in rebus constituendis ac consiliis in eis administrandis uterentur. Et quemadmodum P. Cornelius Scipio Africanus minor, ille elegans liberalium studiorum omnisque doctrinae et auctor et admirator, Panaetium, eruditissimum Stoicum ac paene divinum, domi militiaeque secum habuerat; ita etiam Augustus Triumvir, ambitiosus majorum aemulator, existimandus est Athenodorum Stoicum amicum sibi ac convictorem adjunxisse, ut eum in civitatis regundae ratione in consilium adhiberet. Notum enim est, philosophiam Stoicam prae caeteris apud Romanos invenisse et admiratores multos et sectatores, ut quae hujus populi ingenio et vitae publicae esset accommodatissima.[105]) Atque ut concedam, Augustum, dum Triumvir esset, ex hac philosophorum consuetudine magis sapientiae opinionem quam cognitionis virtutisque progressum quaesivisse, tamen haud exigua laude ornandus est, quod viros illos in magno haberet honore, eorum consiliis singulare ac liberale praestaret obsequium adeoque eorum libertatem in admonendo et castigando, quidquid in vita sua ab honestate discreparet, summa animi aequitate ferret. Eo nomine certatim illum laudant scriptores, qui licet maximam partem serioris sint aetatis, tamen hac in caussa mihi videntur, incolumi rerum fide, ad dicendum testimonium vocari posse.

Jam vero Athenodorus ille, vir inprimis ingenuus et gravis, quam gratiosus fuerit apud Augustum Triumvirum, docet perillustre illud *παῤῥησίας* exemplum, qua istius libidinem ac salacitatem aliquando repressit. Relatum illud legimus apud Dion. Cass. Libr. LVI. c. 43. et copiosius apud Zonaram Annal. Libr. X. c. 38. Vol. I. p. 544. ed. Paris. his verbis: „*λίαν ἐτίμα τοὺς φίλους (ὁ Αὔγουςος) καὶ χάριτας ὡμολόγει τοῖς αὐτὸν διορθουμένοις ἐφ᾽ οἷς ἐσφάλλετο· ὥσπερ καὶ τῷ Ἀθηνοδώρῳ ἀνδρὶ σοφῷ ἐπὶ τοιᾶδε αἰτίᾳ. Εὐκατάφορος πρὸς τὰ ἀφροδίσια ἦν, καὶ αἱ γυναῖκες ἐκομίζοντο ἃς ἐβούλετο ἐν καταστέγοις φορείοις, καὶ οὕτως εἰς τὸν αὐτοῦ εἰσήγοντο θάλαμον. Ἐκεῖνος δὲ ταύτας ἐξῆγέ τε καὶ ἐκέχρητο. Ἠράσθη γοῦν ποτε γυναικός, καὶ ἔπεμψε λαβεῖν αὐτήν. Ἐν τούτῳ δὲ ὁ Ἀθηνόδωρος, τῷ τῆς γυναικὸς ἐκείνης*

---

104) *Antiochus Ascalonita*, veteris academiae nobilissimus et prudentissimus philosophus et si perpauca mutavisset, germanissimus Stoicus, auctore Cicerone Brut. c. 91. §. 315., Acad. Libr. II. c. 43. §. 132. Eum Lucullus *πάσῃ σπουδῇ ποιησάμενος φίλον καὶ συμβιωτὴν*, ut ait Plutarchus c. 42., domi militiaeque secum habebat: cf. Drumannus in Histor. Rom. Vol. IV. p. 173. N. 98. — *Areus* est ille Alexandrinus philosophus, de quo infra dicemus, quem ipsius Augusti familiarissimum non mirabimur etiam cum Maecenate fuisse conjunctum. — Pro *Apollonio Molonis*, rhetore Rhodio, cui Cicero Romae bis operam dederat a. U. C. 666. s. 88. et a. U. C. 673. s. 81. et cui se Rhodi denuo applicavit a. U. C. 677. s. 77., praestabat ab Aeliano poni *Diodotum* Stoicum, hominem eruditissimum, „quem", ut ipse Cicero scribit Academ. Libr. II. c. 36. §. 115., „a puero audivi; qui mecum vivit tot annos; qui habitat apud me; quem et admiror et diligo."

105) Vid. Bruckerus Hist. Crit. Philos. Libr. I. c. I. §. 4. 6. 7. 20 sqq. — Stoicae philosophiae studium Romanis maxime Panaetii fama et auctoritate commendatum fuisse, ostendit Tennemannus in libr.: *Geschichte der Philosophie* Tom. V. p. 140 sqq.

ἀνδρὶ συνήθης ὤν, ἔτυχεν ἐπελθὼν τὸν φίλον ὀψόμενος, καὶ ἀσχάλλοντα εὑρὼν κἀκεῖνον καὶ τὴν γυναῖκα, (οὐ γάρ ἠδύναντο ἀντιστῆναι) τὴν αἰτίαν τῆς λύπης ἐπύθετο. Καὶ μαθών, ἠρεμεῖν αὐτοὺς ἐκέλευσεν. Αὐτὸς γὰρ ἀπελθεῖν ἔφη πρὸς τὸν Αὔγουστον, καὶ τὴν αὐτοῦ ἀποστρέψαι ὁρμήν. Καὶ κομισθέντος τοῦ καταστέγου δίφρου, ὡς τῆς γυναικὸς ἐν αὐτῷ εἰσελευσομένης, εἰσῆλθεν ὁ Ἀθηνόδωρος, καὶ ξίφος λαβὼν καὶ κατακαλυφθῆναι τὸν δίφρον ἀκριβῶς ἐπιτάξας, οὕτω πρὸς τὸν τοῦ Αὐγούστου κεκόμιστο θάλαμον. Ἐκείνου δὲ τὸν δίφρον ἀποκαλύπτοντος, ξιφήρης ἐξεπήδησεν, εἰπών· Εἶτα οὐ φοβῇ, μή τίς σε οὕτως εἰσελθὼν ἀποκτείνῃ; Ὁ δὲ Αὔγουστος οὐ μόνον οὐκ ὠργίσθη, οὐδ' ἐκάκισε τὸν Ἀθηνόδωρον, ἀλλὰ καὶ χάριν ἔγνω αὐτῷ καὶ σωφρονέστερος γέγονε."[106]) Totum adscripsi locum, quippe in quo tamquam in speculo cerni possit Athenodori non tantum animus honestus morumque commodorum suavitas, sed ejus etiam singularis naturae humanae perspicientia. Nam incertum me esse fateor, utrum hac in re magis admirer ejus fortitudinem ac paene audaciam, an prudentiam, qua Triumvirum juventute ferocientem ac libidinis impotentem non monitis, sed ostenso subitae caedis, qua nihil iste per totam vitam vehementius extimescebat, periculo a flagitiis revocare studuit. Haec et hujusce generis alia Athenodori philosophi *νουθετήματα*, quorum utique patiens erat, sine dubio respiciens Augustus ab Juliano in Caesar. p. 326. Sp. (p. 21. Heus.) inducitur semet ipsum laudans his verbis: „*οὕτω δὲ παρέσχον ἐμαυτὸν τῇ φιλοσοφίᾳ χειροήθη, ὥστε καὶ τῆς Ἀθηνοδώρου παῤῥησίας ἠνεσχόμην, οὐκ ἀγανακτῶν, ἀλλ' εὐφραινόμενος ἐπ' αὐτῇ, καὶ τὸν ἄνδρα καθάπερ παιδαγωγόν, ἢ πατέρα μᾶλλον, αἰδούμενος.*" Et Athenodorus dignissimus erat, quem ut patrem amore et reverentia prosequeretur Augustus. Quodsi Zosimus Hist. Libr. I. c. 6. §. 3. refert, illum visum esse imperio moderatius praeesse, *ἐξ οὗ ταῖς Ἀθηνοδώρου τοῦ Στωϊκοῦ συμβουλαῖς ἐπείσθη*[107]), non est quod moneam, id non de primis, quibus nihil foedius nihilque detestabilius habet historia Romana, sed de postremis Triumviratus ejus annis intelligi oportere. Numquam fortasse aras Perusinas vidissent ac deplorassent Romani, si Stoicus ille prius, quam id factum esse contendimus, in contubernium Triumviri receptus fuisset. Ille enim, discessurus Roma et ex Principis contubernio, nihil gravius antiquiusque habuit, quam ut amico suo juveni, quem sciret irae impotentem esse et immodicum, in aures insusurraret, quod legimus apud Plutarch. Apophthegm. Vol. VI. p. 779. R.: *Ἀθηνοδώρῳ δέ, τῷ φιλοσόφῳ, διὰ γῆρας εἰς οἶκον ἀφεθῆναι δεηθέντι συνεχώρησεν* (sc. ὁ *Αὔγουστος*). *Ἐπεὶ δ' ἀσπασάμενος αὐτὸν ὁ Ἀθηνόδωρος εἶπεν· Ὅταν ὀργισθῇς, Καῖσαρ, μηδὲν εἴπῃς, μηδὲ ποιήσῃς πρότερον, ἢ τὰ εἴκοσι καὶ τέτταρα γράμματα διελθεῖν πρὸς ἑαυτόν· ἐπιλαβόμενος αὐτοῦ τῆς χειρός· Ἔτι σου παρόντος (ἔφη) χρείαν ἔχω· καὶ κατέσχεν αὐτὸν ὅλον ἐνιαυτὸν κ. τ. λ.*[108])

---

106) In Zonarae verbis, quae etiam Reimarus Dionis loco N. 234. subjecit Vol. VI. p. 234 sq. Strz., nonnulla correxi. Eamdem rem breviter quidem, sed *τραγικωτέρως* exponit Michael Glycas Annal. P. III. p. 382. ed. Bekker., atque de suo addit, Athenodoro Augustum jurejurando pollicitum esse, *μηκέτι κοίταις ἀλλοτρίαις χρανθῆναι!* Ac Georgius Cedrenus Hist. Comp. T. I. p. 172. illam Athenodori libertatem scribit Augustum tanti fecisse, *ὡς τὴν σύγκλητον συναγαγών, πολλὰ τὸν Ἀθηνόδωρον ἐγκωμιάσαι προςθεῖναί τε καὶ τοῦτο, ὡς κακὸν βίον ἐσχηκὼς ὑπὸ Ἀθηνοδώρου ἐπανωρθώθη.*

107) Zosimi testimonio hic prolato, succurrit mihi Suidae de eodem Athenodoro locus, cujus maximam partem, nihil sani continentem, Küsterus suspicatur mala fide repraesentatam esse a Suida ex Zosimi Hist. Libr. I. c. 5. §. 6. Sed rectius de hoc loco judicat G. Bernhardyus Vol. I. p. 141 sq., qui a Suida ipso nil scriptum esse ingeniose conjicit, nisi hoc: „*Ἀθηνόδωρος, Στωϊκὸς φιλόσοφος, ἐπὶ Ὀκταουιανοῦ βασιλέως Ῥωμαίων, οὗ δὴ μάλιστα ταῖς συμβουλίαις ἐπείσθη.*"

108) Idem, paucis tantum immutatis verbis, legitur in *Dionis Cassii Excerptis Vaticanis* ab Angelo Majo Romae editis p. 553. et Edit. Sturzianae Vol. IX. (Lips. 1836.) N. 79. p. 182.

Qui quidem locus non tantum documento nobis est, quanti fecerit Augustus illum sapientiae professorem sibi conjunctissimum, sed etiam nos ad enarranda reliqua Athenodori fata cognoscendasque alias ejus virtutes, quae Triumviri istius amorem ipsi conciliarent conciliatumque perpetuo servarent, ultro deducit. Propter senectutem igitur, ut Plutarchus ait, in patriam redeundi veniam petiit eamque anno post impetravit. Id non ita accipiendum esse videbimus, ac si ipsum, hominem exactae jam aetatis et viribus confectum, petraesum fuisset vitae in Urbe, imperii Romani sede, inquietae atque aulae; imo Romam reliquit et contubernium Augusti non otium ac requiem secuturus, sed de patria urbe, civium seditionibus divexata, bene meriturus. Ejus rei auctor exstat gravissimus et disertus admodum, Strabo, qui Libr. XIV. c. 4. §. 14. de amico suo, quem *Καίσαρος καθηγησάμενον τιμῆς τυχεῖν μεγάλης* dixerat, ita pergit: *κατιών τε εἰς τὴν πατρίδα ἤδη γηραιὸς, κατέλυσε τὴκ καθεστῶσαν πολιτείαν, κακῶς φερομένην ὑπό τε ἄλλων καὶ Βοηθοῦ, κακοῦ μὲν ποιητοῦ, κακοῦ δὲ πολίτου, δημοκοπίαις ἰσχύσαντος τὸ πλέον. Ἐπῆρε δ' αὐτὸν καὶ Ἀντώνιος, κατ' ἀρχὰς ἀποδεξάμενος τὸ γραφὲν εἰς τὴν ἐν Φιλίπποις νίκην ἔπος· καὶ ἔτι μᾶλλον ἡ εὐχέρεια ἡ ἐπιπολάζουσα παρὰ τοῖς Ταρσεῦσι, ὥστ' ἀπαύστως σχεδιάζειν παρὰ χρῆμα πρὸς τὴν δεδομένην ὑπόθεσιν, καὶ δὴ καὶ γυμνασιαρχίαν ὑποσχόμενος Ταρσεῦσι τοῦτον ἀντὶ γυμνασιάρχου κατέστησε, καὶ τὰ ἀναλώματα ἐπίστευσεν αὐτῷ. Ἐφωράθη δὲ νοσφισάμενος τά τε ἄλλα καὶ τοὔλαιον· ἐλεγχόμενος δ' ὑπὸ τῶν κατηγόρων ἐπὶ τοῦ Ἀντωνίου, παρῃτεῖτο τὴν ὀργὴν, σὺν ἄλλοις καὶ ταῦτα λέγων, ὅτι, ὥσπερ Ὅμηρος ἐξύμνησεν Ἀχιλλέα καὶ Ἀγαμέμνονα καὶ Ὀδυσσέα, οὕτως ἐγώ σε· οὐ δίκαιος οὖν εἰμι, εἰς τοιαύτας ἄγεσθαι διαβολὰς ἐπὶ σοῦ. Παραλαβὼν οὖν ὁ κατήγορος τὸν λόγον· ἀλλ' Ὅμηρος μὲν, ἔφη, ἔλαιον μὲν Ἀγαμέμνονος οὐκ ἔκλεψεν, ἀλλ' οὐδὲ Ὀδυσσέως οὐδὲ Ἀχιλλέως· σὺ δέ· ὥστε δώσεις δίκην. Διακρουσάμενος δ' οὖν θεραπείαις τισὶ τὴν ὀργὴν, οὐδὲ ἧττον διετέλεσεν ἄγων καὶ φέρων τὴν πόλιν μέχρι τῆς καταστροφῆς τοῦ Ἀντωνίου. Τοιαύτην δὲ τὴν πόλιν καταλαβὼν ὁ Ἀθηνόδωρος τέως μὲν ἐπεχείρει λόγῳ μετάγειν κἀκεῖνον καὶ τοὺς συστασιώτας· ὡς δ' οὐκ ἀπείχοντο ὕβρεως οὐδεμιᾶς, ἐχρήσατο τῇ δοθείσῃ ὑπὸ τοῦ Καίσαρος ἐξουσίᾳ, καὶ ἐξέβαλεν αὐτοὺς, καταγνοὺς φυγήν. Οἱ δὲ πρῶτον μὲν κατετοιχογράφησαν αὐτοῦ τοιαῦτα·*

Ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, πορδαὶ δὲ γερόντων.

Ἐπεὶ δ' ἐκεῖνος ἐν παιδιᾶς μέρει δεξάμενος, ἐκέλευσε παρεπιγράψαι — βρονταὶ δὲ γερόντων· καταφρονήσας δέ τις τοῦ ἐπιεικοῦς, εὔλυτον τὸ κοιλίδιον ἔχων, προσέῤῥανε πολὺ τῇ θύρᾳ καὶ τῷ τοίχῳ, νύκτωρ παριὼν τὴν οἰκίαν. Ὁ δὲ τῆς στάσεως κατηγορῶν ἐν ἐκκλησίᾳ, τὴν νόσον τῆς πόλεως, ἔφη, καὶ τὴν καχεξίαν πολλαχόθεν σκοπεῖν ἔξεστι, καὶ δὴ καὶ ἐκ τῶν διαχωρημάτων. 109) Strabo igitur narrat, Athenodorum *ἤδη γηραιὸν ὄντα* h. e. aetate jam longius provectum et senectuti proximum, in patriam urbem, Tarsum, reversum esse ibique praesentem rerum publicarum statum mutavisse. Quo melius intelligantur, quae sequuntur et cum manifesto in philosophum illum studio a Geographo exposita sunt, pauca de Tarso praemittamus necesse est.

Postquam ad Philippos pugnatum erat exeunte autumno a. U. C. 712. s. 42., M. Anto-

109) Temperare mihi non potui quin totum hunc locum quamvis longum huc transscriberem utpote lectu jucundum et locupletissimum de Athenodori ingenio animoque testem. Descripsi eum ex Edit. Tzschuckiana, nec quidquam mutavi nisi quod Groskurdii Tom. III. p. 87. ingeniosam conjecturam secutus in responso accusatoris recepi vv. *οὐδὲ Ὀδυσσέως*, et paulo post pro vulg. *συστρατιώτας* ex Codd. reposui *συστασιώτας* i. e. socios, *Parteigänger*.

nius, facta denuo provinciarum divisione, Athenas abierat inde trajecturus in Asiam, et transmarinas provincias obiturus. Aliis cum tributa imponeret gravissima, Laodicensibus et Tarsensibus cum immunitate concessit libertatem et quotquot Tarsensium civium bello capti veniverant, edicto liberavit, auctore Appiano B. C. Libr. V. c. 7. Hoc tempore suspicor oblatum illi esse carmen *εἰς τὴν ἐν Φιλίπποις νίκην*, scriptum a Boëtho, poeta et cive Tarsensi, simul grati animi testificandi caussa.[110] Tarsi excepit Antonius Cleopatram a Q. Dellio arcessitam, teste Plutarcho in Ant. c. 25 sq., illiusque praestigiis et veneribus captus aliquot dies in illa urbe perbacchatus est. Tum quo liberaliorem ac benevolentiorem se Tarsi civibus ostenderet, videtur eis pollicitus esse *γυμνασιαρχίαν* h. e. se apud eos gymnasii summam curam ac moderationem suscepturum esse.[111] Quo minus autem ipse hoc munere publico fungi posset, gravioribus curis, praesertim belli Parthici metu impeditus est, sibique Tarso discedenti suffecit *ἀντὶ γυμνασιάρχου* Boëthum, laudum suarum praeconem, receptis tamen in se sumptuum faciendorum rationibus. Ea omnia evenerunt a. U. C. 713. s. 41. Jam Boëthus, *κακὸς μὲν ποιητὴς, κακὸς δὲ πολίτης, δημοκοπίαις ἰσχύσας τὸ πλέον*, ut Strabo ait, magistratu sibi mandato abusus cives vexare resque publicas cum satellitibus suis perturbare coepit. Id ille hoc licentius facere poterat, quo magis incuriosus erat Antonius, maximam partem Alexandriae luxuria et Cleopatrae amoribus diffluens, in tuenda urbium ditionis veluti suae salute. Quod cum comperisset Romae Athenodorus, patriae urbis misertus sine dubio constituit Tarsum redire opitulaturus civibus suis. Ejus reditum assignandum esse arbitror a. U. C. 721. s. 33. his adductus rationibus.[112] Boëthum, praesente Tarsi Athenodoro, in oleo palaestrico avertendo deprensum et apud Antonium item in aliqua Asiae urbe praesentem peculatus accusatum esse, perspicua hujus rei narratio Strabonis extra omnem dubitationem ponit. Id autem accidisse statuo a. U. C. 722. s. 32., quo anno ille Triumvir diutius quam antea in Asiae urbibus agens copias pedestres navalesque ad bellum cum Augusto faciendum undique contrahebat. Jam Boëthus, qui carmine illo epinicio se in gratiam Triumviri insinuasset, dicta caussa et placata officiis quibusdam ira ejus absolutus hoc crimine urbem agere et ferre perrexit *μέχρι τῆς καταστροφῆς τοῦ Ἀντωνίου*. Ea autem *καταστροφὴ* accidit, si non a. d. IV. Non. Septembr. a. U. C. 723. s. 31., certe mense Sextili a. U. C. 724. s. 30., quo Augustus M. Antonio, unico regni aemulo, sua ipsius manu exstincto solus rerum potitus est. Per illud tempus, quo Boëthus, vivente adhuc Triumviro patrono, Tarsi impunita cum licentia dominaretur, videntur Athenodoro ab istius ho-

110) *Boëthi* inter Graecos exstitere plures haud ignobiles, de quibus disseruit Menagius ad Diogenem Laert. Libr. VII. Segm. 148. p. 316. Inter eos prae caeteris inclaruit *Boëthus* Stoicus, commemoratus cum ab aliis, tum a Cicerone de Divinat. Libr. I. c. 8. §. 13. ibique v. Creuzerus et Moserus p. 34. Dubitari licet, num diversus ab eo sit *Boëthus* Sidonius, ᾧ *συνεφιλοσοφήσαμεν ἡμεῖς τὰ Ἀριστοτέλεια*, ut ait Strabo Libr. XVI. c. 2. §. 24. cf. Bruckeri Hist. Crit. Philos. Tom. II. p. 498 sq. — In Anthologia Graeca unum exstat epigramma in Pyladem Pantomimum cum lemmate *Βοηθοῦ τοῦ ἐλεγειογράφου*, quem Tarsensem illum poëtam esse, a vero non alienum fuerit: cf. Jacobsii Catalogus Poetar. Epigrammat. ad Brunckii Analect. Vol. III. P. 3. p. 868 sq. Ab Strabone appellatur poeta malus: id non impedit quo minus eum honoratum et Gymnasii praefecturae suo loco praepositum credamus ab Antonio, quem scimus etiam *Anserem* poetam summa liberalitate ornasse: vid. Comment. *de C. Helvio Cinna Poeta* Cap. I. §. 4. p. 160 sq.

111) De vi et significatione v. *γυμνασιαρχίας*, itemque de v. *γυμνασιάρχου*, quae nomina passim in Numis Imperatoriis obvia sunt, praeter Eckhelium D. N. Vol. I. P. 4. p. 216. et 442., conferatur Beutleri Disput. *de Athenarum Fatis, Statu politico et litterario sub Romanis* (Gottingae 1829. 8.) p. 32 sq.

112) Athenodoro per Graeciam reverteati et fortasse per navigandi difficultatem Athenis diutius commoranti evenire poterat, quod Plinius Libr. VII. Epist. 27. §. 7 sqq. narrat, cujus interpretes, quos sciam, omnes hunc Athenodorum Tarsensem intelligunt; equidem *ἐπέχω*!

minis asseclis contumeliae factae esse, quas fuse studioseque enarrat Strabo.[113] Si quis forte miretur, quod Athenodorus remissus esse dicatur Tarsum cum potestate ab Augusto illi mandata, ideoque infitias eat, philosophum illum, vivo adhuc Antonio, reverti potuisse; ei non desunt quae reponamus ad tuendam, quam modo protulimus, sententiam. Sicut enim certum est, Athenodorum non inhonesta aut immoderata ambitione, sed recto ac sincero patriae a tyrannide liberandae amore permotum redeundi consilium cepisse et commeatum petivisse; ita dubitari vix potest quin Augustus, qui serendi discordiarum cum M. Antonio semina numquam non esset cupidissimus, in dimittendo illo eique impertienda aliqua potestate simul id spectaverit, ut sensim in Asiae quoque civitatibus suae potentiae fundamenta jacerentur. Hoc magis autem admirabimur moderationem ac prudentiam Athenodori, qui redux in patriam factus mallet Boëthum caeterosque urbis vexatores verbis corrigere et ad sanam mentem reducere, quam, concessa sibi ab Augusto potestate usus, in eos animadvertere. Cum autem tantum abesset, ut hac humanitatis et aequitatis via progressus[114] ad salutem civitatis quidquam proficeret, ut isti homines audaciores facti ad gravissimas non verborum tantum, sed rerum etiam teterrimarum contumelias descenderent; summo tandem jure cum illis agere coepit eosque exsilio damnatos urbe ejecit. Id tamen non prius factum esse, quam M. Antonii opes eversae essent, neque ulla amplius Boëtho ejusque sociis spes esset recuperandae per Triumvirum illum potestatis, res ac tempora suadent ut sine ulla dubitatione statuamus. Inde ab hoc tempore Athenodorus, vir optimae existimationis rerumque civilium peritissimus, urbi patriae, Tarso, praefuit, ejusque res publicas cum summa et communi omnium bonorum laude et approbatione administravit. Auctore Luciano, per eum *ἡ Ταρσέων πόλις καὶ φόρων ἐκουφίσθη:* ex quo apparet, quo favore Augustus illum vel absentem et contubernio suo jam pridem egressum amplexus sit.[115] Quot annos Athenodorus, senili jam aetate civitatis Tarsensis gubernaculo admotus, in administratione et cura rerum civilium Tarsi versatus sit, non vacat quaerere aut ariolationibus chartam perdere. Strabo illis, quae supra adscripsi, subjicit haec: *Ἀκαδημαϊκὸς δὲ Νέστωρ ὁ καθ' ἡμᾶς, ὁ Μαρκέλλου καθηγησάμενος, τοῦ Ὀκταουΐας παιδὸς, τῆς Καίσαρος ἀδελφῆς.*[116] *Καὶ*

113) Multo lepore obscenis istis verbis: *πορδαὶ δὲ γερόντων*, quibus se potissimum carpi bene intelligebat, substitui jussit: *βρονταὶ δὲ γερόντων:* quibus lectis nemini non debebat in mentem venire Periclis, quem, teste Plutarcho c. 8., Comici dixerant *βροντᾶν μὲν — καὶ ἀστράπτειν, ὅτε δημηγοροίη, δεινὸν δὲ κεραυνὸν ἐν γλώσσῃ φέρειν:* cf. Ciceronis Orat. c. 9. §. 29.

114) Licet singularis fuerit hujus Athenodori *πρᾳότης*, tamen falso ab Hoffmanno aliisque ad eum refertur, quod Plutarchus *περὶ φιλαδελφίας* Vol. VII. p. 888. R. memoriae prodit de Athenodoro quodam, cui fuerit frater natu major, *Xenon*, homo prodigus et intemperans. Is cum ob raptum mulieris in judicio damnatus esset, ipsiusque bona in fiscum Caesaris redacta, Athenodorus frater minor, *μειράκιον οὐδέπω γενειῶν*, ut ait Plutarchus, opes hereditate acceptas iterum cum eo partitus est. Et cum inter dividendum multis a Xenone fratre ignominiis afficeretur, non indignatus est, sed fratris vecordiam mansueto hilarique tulit animo. — At hunc Athenodorum que minus dicamus fuisse Stoicum illum Tarsensem, vel sola obstat *fisci* Caesaris mentio, utquae non quadret in illius pueritiam.

115) Non omittendus h. l. est locus Dionis Cassii Libr. LII. c. 36., qui quidem liber complectitur fictum illud Agrippae et Maecenatis cum Augusto colloquium deliberante, utrum rempublicam restituat, an solus rerum summam teneat? Ibi Maecenas loquens inducitur de Athenodoro illo, ut absente et nuper Augusti contubernio egresso, ita tamen, ut, quanto in honore eum habuerit Augustus, liquido compareat. Sed perleve est hoc testimonium!

116) Ante Nestorem illum Academicum Tarsi natum enumerantur a Strabone Stoici, qui Tarsum illustrarunt. Inter eos principio §. 14. ponuntur Antipater, Archidamus, *Nestor* et duo illi Athenodori. Ille Nestor Stoicus cum sine ulla discriminis nota, qua ab Academico cognomini distinguatur, a Strabone memoretur, Corayus et Groskurdius Tom. III. p. 86. N. I. istud nomen suspectarunt. Injuria, ut equidem puto. Apud Lucianum in Macrob. Vol. VIII. p. 126. B. legimus: *Νέστωρ δὲ Στωϊκὸς ἀπὸ Τάρσου, διδάσκαλος Καίσαρος Τιβερίου κ. τ. λ.* qui quidem quin diversus fuerit ab Academico, dubitare nos non sinit Strabo, cujus unius testimonio usus *Nestorem* in Stoicorum Catalogo profert Fabricius in Bibl. Gr. Vol. III. p. 567. ed. Harl.

οὗτος δὲ προέστη τῆς πολιτείας, διαδεξάμενος τὸν Ἀθηνόδωρον, καὶ διετέλεσε τιμώμενος παρά τε τοῖς ἡγεμόσι, καὶ ἐν τῇ πόλει. Inde nescio an cum aliqua probabilitate colligi possit, Nestorem illum certe ante a. U. C. 731. s. 23., quo anno Marcellus juvenis praematura morte exstinctus est, Athenodoro succedere non potuisse: vid. Perizonius ad Aeliani Var. Hist. Libr. XII. c. 25. Sed certiora sequamur. Lucianus bona cum fide tradit, Athenodorum in urbe Tarso diem supremum obiisse duo et octoginta annos natum, et Tarsenses, ob ingentia ejus in civitatem merita, ei post mortem tamquam heroi σωτῆρι instituisse τιμὰς θεῶν easque sua adhuc aetate quotannis habere. Non inscite Dio Chrysostomus in Orat. Tarsica I. Vol. II. p. 24. R. ad Tarsenses commonefaciendos et ad εὐταξίαν et σωφροσύνην revocandos dixit: ἀλλὰ Ἀθηνόδωρος ὁ πρώην γενόμενος, ὃν ᾐδεῖτο ὁ Σεβαστὸς, ἆρα οἴεσθε, εἴπερ ἔγνω τοιαύτην οὖσαν τὴν πόλιν, προὔκρινεν ἂν τῆς μετ' ἐκείνου διατριβῆς τὴν ἐνθάδε; κ. τ. λ. Eumdem Athenodorum Tarsensem in aprico est respici a Clemente Alexandr. in Admonit. ad Gent. p. 31. Sylb. his verbis: ἀλλ' ὅ γε Ἀθηνόδωρος ὁ τοῦ Σάνδωνος, ἀρχαΐζειν τὸν Σάραπιν βουληθεὶς, οὐκ οἶδ' ὅπως περιέπεσεν, ἐλέγξας αὐτὸν ἄγαλμα εἶναι γενητόν. Quo quidem loco admonemur, ut de scriptis quoque Stoici illius pauca dicamus.

Ac primum quidem, quod ad istud opus attinet, de quo Clemens Alexandrinus loquitur, vix cuiquam dubium esse poterit quin illud mythico-historici sive, ex veterum sententia, theologici fuerit argumenti: cujus generis quaestiones non alienas fuisse a Stoicorum disciplina et studiis, vel unus Cicero de Nat. Deor. Libr. III. c. 24. satis testatur. Jam si Zeno, Cleanthes ac Chrysippus magnam et, Cicerone judice, minime necessariam suscepere molestiam et commenticiarum de Diis fabularum rationem reddere et vocabulorum, cur quique ita appellati sint, caussas explicare elaboraverunt: quid est quod obstet quo minus Athenodorum quoque Stoicum, Sandonis filium, de Diis quaesivisse suspicemur et peculiari quadam scriptione de eorum origine, cultu et effigie exposuisse? Neque cuiquam mirum erit, deum peregrinum Athenodori attentionem ac studium movisse, si meminerit, eo ipso tempore, quo Stoicum illum Romae vixisse ostendimus, deorum Aegyptiorum cultum, quamvis semel iterumque auctoritate publica rejectum, novas easque firmiores radices in Romanorum animis egisse.[117]) Inter caetera autem, quae bona fide ei adscribi possunt, opera animum nostrum inprimis advertit ille liber, quem Octaviae, Augusti sorori, ab eo inscriptum fuisse, auctor est Plutarchus in Vit. Poblic. c. 17. Exponitur ibi celebrata a multis illa narratio de C. Mucio Cordo, qui a caede Porsennae sibi proposita *Scaevolae* cognomen invenisset, atque illum etiam Ὀψίγονον h. e. *Postumum* appellatum fuisse memoriae prodiderat Ἀθηνόδωρος ὁ Σάνδωνος (ut verissime correxit Perizonius) ἐν τῷ πρὸς Ὀκταουΐαν τὴν Καίσαρος ἀδελφὴν, ut scribit Plutarchus.[118]) Mirum quemvis habeat necesse est antiquae idque fabularis historiae Romanae tractatio a philosopho, mulieris gratia, ut videtur, suscepta. Id reputanti mihi succurrit suspicari, Stoicum illum, ut mythi-

117) Ea de re plura dixit J. A. Hartungius in libr.: *Die Religion der Römer* P. I. p. 234 sqq. Caeterum Athenodori de Serapide narrationem cum aliorum scriptorum testimoniis comparat Creuzerus in Dionyso p. 189.

118) Quae Heerenius in Commentatt. de font. et auctorit. Vit. Parallel. Plutarchi (Gotting. 1820. 8.) p. 115 sq. de hoc Athenodoro scripsit, in eis haud diffiteor me desiderare laudatam alias Viri eximii diligentiam. Nam *Athenodorus*, *Sandonis* filius, non Graeculis aut Grammaticis, qui sermone pedestri, quae poetae in vetere Romanorum historia vel invenissent vel exornassent, iterum enarrata propagassent, accensendus erat, neque cum cognomini convictore et sodali Claudii pueri ap. Sueton. Claud. c. 4. confundendus, nedum permutandus cum *Theodoro* rhetore, Imperatoris Tiberii magistro, quem *Gadareum*, minime *Tarsensem*, a patria cognominant Suetonius in Vit. Tiber. c. 57. et Quintilianus I. Or. Libr. III. c. 1. §. 17.

eas fabulas de diis, ita etiam commenticias de gentibus singulisque hominibus narrationes collegisse easque ad veras caussas rationesque revocare studuisse. Cujus operis lectio ut per se non poterat esse non jucunda, ita etiam ingenio feminae eruditae, qualem veri simillimum est fuisse Julii Caesaris ex sorore neptim, accommodatissima. Ut vero cumque de hujus operis argumento statuitur, id Octaviae inscriptum novo est documento, quam familiariter ille Athenodorus Tarsensis, Sandonis filius, cum universa domo Augusti conjunctus vixerit.

Haec sunt, quae indubii testimonii fide et auctoritate Athenodoro Cananitae attribui queant scripta.[119]) At ambiguum est, uter Tarsensium Athenodororum, Cananita an Cordylion, de Tarso, urbe patria, scripserit, cujus testimonium allegat Stephanus Byzantius Ethnic. s. v. *'Αγχιάλη* p. 12. ed. Westerm. Alterutrum istius scriptorem esse operis, dubitari nequit: equidem illud asseruerim Athenodoro, Sandonis filio, Cananitae, ut quem sciamus fuisse urbis illius studiosissimum ac quem veri sit simillimum induci potuisse, ut, cum senex eam a Boëthi tyrannide in libertatem vindicasset, de origine, fatis ac rebus cum ipsius Tarsi, tum vicinarum ditionique subjectarum urbium singulari opere exponeret.

Haec fuerunt quae dicenda mihi viderentur de Athenodoro Tarsensi, Sandonis filio, qui doctrinae, humanitatis et honestatis commendatione in Augusti Triumviri contubernium et amicitiam receptus eaque necessitudine per aliquot annorum spatium sapienter usus nominis sui memoriam, cum illius Principis gloria conjunctissimam, ad posteros propagavit.

Praeter eos, quos hactenus certa ac perspicua scriptorum testimonia secuti commemoravimus, Augusti magistros eruditosve familiares, quorum consuetudine, doctrina et sapientia ad vitae privatae et publicae fructum uteretur, nemo ob institutionis et disciplinae salubritatem et diuturnitatem atque ob amicitiae usum gratiaeque apud illum stabilitatem et auctoritatem aequalibus notior fuisse ac posteris celebratior existimandus est, quam

VI. Areus sive *Arius*, domo Alexandrinus, de quo insignis locus est apud Suetonium c. 89., cujus verba ex egregia Salmasii correctione sic legenda sunt: „*Deinde eruditione, etiam varia, repletus est per Arei philosophi, filiorumque ejus, Dionysii et Nicanoris, contubernium.*" Quo in loco mirum me habent Arei filii, qui simul cum patre Augusti contubernales fuisse dicuntur. Horum

---

119) Quae apud scriptores, inprimis Grammaticos feruntur Athenodori cuiusdam nomine scripta, nominata et allegata sunt a Fabricio et Harlesio in Biblioth. Gr. Vol. III. p. 548. Praetereo hic opus *πρὸς τὰς 'Αριστοτέλους Κατηγορίας* a Porphyrio, Simplicio et Stobaeo laudatum, quod Meursius ad *Athenodorum Rhodium* refert, improbante Spaldingio ad Quintil. Inst. Or. Libr. II. c. 17. §. 15. et intelligente *Athenodorum* Tarsensem nescio *Cordylionem* an *Cananitam*, cui adscribit Sevinus. Non magis hic curo opus *περιπάτων*, cujus liber octavus citatur a Diogene Laertio Libr. III. Segm. 4. et IX. Segm. 42. Ejus autem ne titulus quidem certus est: multo minus de argumento ejus quidquam definiri potest. Scriptorem hujus operis Menagius ad Diog. Laert. p. 136. et p. 258. sine ulla dubitatione dicit fuisse Athenodorum, Sandonis filium. Huic autem majore probabilitate tribuitur liber ab Athenaeo Libr. XII. p. 519. C. (Tom. IV. p. 429. Schw.) memoratus *περὶ Σπουδῆς καὶ Παιδιᾶς:* quem titulum G. J. Vossius de Histor. Graec. Libr. II. c. 5. p. 113. Tom. IV. Opp. convertit: *de Seriis et Jocis,* assentientibus Schweighäusero et Spaldingio ad Quintiliani l. c. Vol. I. p. 382. Pro *παιδιᾶς* vulg. *παιδείας:* quam lectionem servavit Dalecampius vertens: *de Studiis et Institutione disciplinarum,* itemque eam probavit Ruhkopfius ad Senecae de Tranquill. Anim. c. 3. minus recte, ut equidem puto, illum titulum Latine reddens: *de Studio et Vitae ratione.* Ego Dalecampii rationem amplector atque ejusmodi argumenti librum haud alienum esse censeo ab Athenodori Cananitae illius nomine ac persona. Denique Strabo de Oceano marisque accessu et recessu agens Libr. I. c. 1. p. 14., c. 3. p. 147. et Libri III. c. 4. p. 462. Tom. I. ed. Tz. Athenodorum quemdam profert conjunctum cum Posidonio Rhodio, cujus librum *περὶ 'Ωκεανοῦ* diserte nominat Libr. II. c. 2. p. 251. Tz. Virorum doctorum de eo sententias collegit Friedemannus in Commentar. ad Strabon. Tzschuckii Tom. I. p. 198 sq. Penzelius Athenodorum Solensem intelligit; praestiterit cogitare de Athenodoro Cordylione, Posidonii, ut videtur, auditore. Id certe evidens est, Athenodorum, Sandonis filium, Strabonis amicum h. l. intelligi non posse!

ad Marc. c. 4. §. 2. aliis. Vulgo putatur addictus fuisse sectae Stoicorum, quorum in numero recensetur etiam a Fabricio in Bibl. Graec. Vol. III. p. 540. Ibi Harlesius, laudato Bruckero Histor. Crit. Philos. Tom. II. p. 98. monet, a nonnullis falso eum inter Pythagoreos numeratum fuisse. Nihilo tamen secius nuper Westermannus in Histor. Eloquent. Gr. §. 88. N. 27. Areum vocat Pythagoreum nulla addita ratione, qua eam sententiam communiat. Quid, quod videtur sibi ipse repugnare, quum Spaldingium ad Quintiliani Inst. Or. Libr. II. c. 15. §. 36. secutus statuat, hunc Areum Alexandrinum scripsisse περὶ τῆς τέχνης. Spaldingio autem non dubium videtur quin Areus, ille τῆς τέχνης scriptor, sit philosophus Alexandrinus, amicus ac familiaris Augusti. Cui quidem sententiae non desunt quae faveant. Nam primum evidens est, eumdem Areum intelligendum esse apud Quintilianum Inst. Or. Libr. III. c. 1. §. 16.: *„Multa post Apollonius Molon, multa Areus, multa Caecilius et Halicarnasseus Dionysius“*: quibus §. 17. *Apollodori* Pergameni mentio subjecta legitur.[123]) Is locus multum probabilitatis addit Spaldingii conjecturae de arte rhetorica ab Areo illo edita. Deinde idem Vir Doctus non temere suspicatur, Areum, Artis scriptorem, fuisse Stoicum. Quintilianus enim Inst. Or. Libr. II. c. 15. §. 35. commemoratis Cleanthis et Chrysippi Stoicorum operibus rhetoricis, proxime §. 36. profert Areum illum, qui Rhetoricen definiverat esse: *„dicere secundum virtutem orationis“*: cl. Inst. Or. Libr. VII. c. 3. §. 12.[124]) Inde Spaldingius colligit, Areum familiae suae principes aemulatum Rhetoricam et voce et scriptis tractasse eamque Artem ad spinosam hujus scholae subtilitatem, quae tota in Dialecticis versaretur, revocasse. Quae cum ita sint, nihil magnopere obstat quo minus, qui a Quintiliano Areus rhetor laudatur, idem sit Alexandrinus philosophus ille, qui Augusti magister dicatur fuisse.[125]) Neque tamen Augustus puer in ejus contubernium ac disciplinam datus esse videtur, ut aut artem rhetoricam mature ab eo disceret aut philosophiam sive Stoicam sive Pythagoream teneris jam annis imbiberet; imo quo minus ille Areus certae cuidam philosophorum sectae addictus esset, hoc magis fortasse idoneus visus est, qui nobili illi puero additus doctoris ac moderatoris personam susciperet. Accedebat alia commendationis ratio repetita ab ejus filiis, qui viderentur Augusti sodales esse posse et jucundi et utiles. Proinde cum illis domi receptus a parentibus perpetuus ejus comes factus est et pueritiae rector, itemque magister, qui, juxta alios certarum doctrinarum, quibus aetas puerilis imbui soleret, professores, ingenium ejus variarum rerum scientia instrueret et animum ut sua ipsius vita et exemplo ad optima quaeque excitaret, ita honestissimis praeceptis adversus vitio-

123) *Caecilius* Siculus, Calactinus, rhetor haud ignobilis, Augusto imperante. Erudite de eo scripsit Westermannus in Hist. Eloq. Gr. §. 88. N. 16. 17. et 18. p. 197. cui adde quae disputarunt de eodem Bernhardyus in *Grundr. der Griech. Litteratur* Tom. I. p. 402 sq. et Osannus in libr.: *Beiträge z. Gr. u. Röm. Litteraturgeschichte* Tom. I. p. 295 sqq. — A Quintiliano Areus ille Apollonio postponitur ac Caecilio praeponitur: qua in re manifestum est non tam gloriae quam aetatis rationem habitam esse. Inde licet concludi, Areum aetate antecessisse Caecilio et Dionysio Halicarnassensi, quem scimus finitis demum bellis civilibus Romae consedisse ibique 22. annos commoratum esse. Qua via confirmantur quae supra de tempore monui, quo Arei ejusque filiorum cum Augusto contubernium initum fuerit.

124) *Cleanthes*, auctore Diogene Laert. Libr. VII. Segm. 84., Rhetoricam philosophiae partem esse docuerat, et ipse, uti *Chrysippus*, artem rhetoricam scripserat, sed invita Minerva, si audimus Ciceronem de Fin. Bon. et Mal. Libr. IV. c. 3. §. 7.

125) *Areum* rhetorem a philosopho cognomini distinguendum censet Jonsius de Scriptt. Histor. Philos. Libr. III. c. 1. §. 3. Sed multo probabilior est Spaldingii sententia, cui haudquaquam officit, quod Quintilianus Inst. Or. Libr. III. c. 1. §. 16. commemorans *Areum* rhetorem non aeque ac de Apollodoro §. 17. monuerit, illius disciplina usum esse Augustum. Quintilianus ibidem §. 15. dicit, studiosius philosophos quam rhetores, praecipueque Stoicorum ac Peripateticorum principes, de arte rhetorica scripsisse. Hinc ap. Hesychium Tom. II. p. 1284.: *Στωϊκοί· οὐ μόνον οἱ ἀπὸ Ζήνωνος φιλόσοφοι, ἀλλὰ καί τινες γραμματικοί.*

mobilem, inscium legum et ignarum magistratuum hoc facilius meliusque coercitum iri. Id muneris quamvis honorifici cum Areus, sive difficultatem ejus rerumque imperitiam sive grandiorem jam imbecillioremque aetatem caussatus recusasset, Augustus Aegypto praeposuit omnium primum *C. Cornelium Gallum*, Equitem Romanum, clariorem adhuc carminibus quam rerum in castris gestarum gloria. 128) Neque tamen veri est dissimillimum, Areum, civem Alexandrinum, ipso Augusto volente ac suadente, in urbe patria remansisse, neque iterum Romam revertisse. Certe anno U. C. 725. s. 29. non videtur praesens fuisse Romae et Augusto, qui solus tum rerum potitus esset, a consiliis, sed aut Alexandriae relictus aut vita jam defunctus. 129) Romae autem si mortuus fuisset, mirum me haberet, si Augustus, quem sepulturae publicae honorem Sphaero, liberto suo ac paedagogo, tribuerat, Areo sibi amicissimo eum tribuere neglexisset. Quare praestat statuere, Areum numquam reversum Romam extremos vitae annos Alexandriae transegisse ibique mortuum esse nondum ad eam provectum senectutem, qua a Luciano inter Macrobios numeraretur. Verum tamen, ne quid dissimulem, huic conjecturae meae adversa sunt quae apud L. Annaeum Senecam in Consolat. ad Marciam c. 4. legimus. Is narrat, Liviam, Augusti uxorem, se ob Drusi obitum consolandam praebuisse Areo, sui viri philosopho. Id si verum est, consequitur, ut Areum Alexandria Romam revertisse et in Augusti contubernio mansisse statuamus usque ad annum U. C. 745. s. 9., quo anno Drusum obiisse constat. At nihil ego illa narratione commoveor, quamvis in aprico sit, non alium a Seneca intelligi Areum quam Alexandrinum illum philosophum, Augusti contubernalem. Nam primum quae supra de Arei filiis, Augusti sodalibus, disputavi, ea evincunt, hunc philosophum jam ante annum U. C. 706. s. 48. certe quadragenarium fuisse. Jam si Druso superstes fuisset, neminem praeterit, ad praegrandem eum pervenire debuisse senectutem adeoque superare vitae annis Apollodorum et Athenodorum. 130) Horum autem Augusti magistrorum et amicorum senectutem ac mortem cum Lucianus in Macrobiis curatissime memoraverit, non potest non mirationem facere, quid sit cur idem Areum, hominem extremae senectutis et multo celebriorem illis familiarem Augusti silentio prorsus praeterierit. At tota illa narratio de Areo, Liviae consolatore, a Seneca, incurioso rerum temporumque scriptore, conficta esse videtur, et, id quod supra probabili conjectura ducti posuimus, Areus multo ante Drusi obitum vita perfunctus esse existimandus est. Nam Seneca quum ipsius Consolationis Areanae principium afferat, praemissis verbis: „*ut opinor;*“ totius rei fidem ipse labefactavit.

---

128) Teste Strabone Libr. XVII. c. 1. §. 12. erat Aegyptus *ἐπαρχία, φόρους μὲν τελοῦσα ἀξιολόγους, ὑπὸ σωφρόνων δὲ ἀνδρῶν διοικουμένη τῶν πεμπομένων ἐπάρχων ἀεί. Ὁ μὲν οὖν πεμφθεὶς τὴν τοῦ βασιλέως ἔχει τάξιν.* Quocum consentit Tacitus Hist. Libr. I. c. 11.: „*Aegyptum copiasque, quibus coerceretur, jam inde a D. Augusto Equites Romani obtinent loco regum.*“ Huic *Praefecto Augustali*, qui dicebatur, additus erat, auctore Strabone, ὁ *δικαιοδότης*, juri dicundo praepositus, itemque ὁ *προσαγορευόμενος Ἰδιολόγος*, (ut mea quidem sententia verissime pro vulg. *Ἴδιος λόγος* emendavit Coraës) i. e. ὁ *Λογιστὴς τῶν ἰδιαζόντων τῷ Καίσαρι πραγμάτων*, *Procurator Caesaris*, *landesherrlicher Fiscal*, ut vertit Groskurdius Tom. III. p. 353. N. 1. Alterutri munerum publicorum praefici poterat, rejecta Praefectura, Areus, nisi forte ipsi propter senectutem placebat otium in urbe patria et quietem sequi.

129) Apud Dionem Cass. Libr. LII. c. 36. inducitur Maecenas loquens etiam de Areo philosopho tamquam egresso ex Augusti contubernio et familiaritate et jam pridem absente. At Dionis ea in re testimonio non multum auctoritatis tribui posse, jam monui supra N. 115.

130) Id sensisse credo Georg. Remum et inductum esse, ut ad Themistium Orat. III. Areum Augusti amicum diversum esse statueret a Liviae consolatore: quam ob caussam vituperatur a Meibomio in Maecenat. c. 10. p. 109. Sed Meibomius quoque injuria in Senecae fide acquiescit pariter ac Bruckerus in Hist. Crit. Philos. Tom. II. p. 98.

Illa Augusti cum Areo *συμβίωσις* a permultis scriptoribus, praesertim aetatis serioris Sophistis in utriusque laudem commemoratur. Ab Antonino Libr. VIII. §. 31. censetur Areus inter praecipuos Augusti amicos, et ab Juliano in Epistola ad Alexandrinos LI. p. 434. Sp. haec scripta leguntur: *ἦν δὲ ὁ Ἄρειος οὗτος πολίτης μὲν ὑμέτερος, Καίσαρος δὲ τοῦ Σεβαστοῦ συμβιωτής, ἀνὴρ φιλόσοφος.* Atque ab eodem Juliano in Caesar. p. 326. Sp. (p. 21. Heus.) ipse Augustus inducitur artiorem illam cum Areo necessitudinem contestans his verbis: *Ἄρειον δὲ καὶ φίλον καὶ συμβιωτὴν ἐπιγράφομαι.* Prae caeteris Augustum eo nomine laudibus amplissimis effert Themistius. Sic in Orat. VIII. p. 129. Dindf. Augusti magnitudinem celebrat, *ὅτι τὸν Ἄρειον καὶ τὸν Θρασύλλον συμπεριήγετο, οὐχ ἵνα αὐτῷ συνθέσεις οἰκοδομημάτων ἐξηγῶνται καὶ ἀναλύσεις, ἀλλ' ἵνα πρὸς τὰ ἔργα τῆς ἀρετῆς παρορμῶσι.* [131]) Idem in Orat. X. p. 155. Alexandrum dicit et Augustum nulla re magis inclaruisse, quam quod illi Aristoteles Parmenione, huic Areus Agrippa non inferiores minusve honoratiores fuerint. Inprimis praedicatione ornat Themistius Augustum, quod Alexandrinis ignoverit *Ἀρείου συμβουλῇ* et quod huic libenti animo obsecutus sit: quo obsequio Alexandrini *τῆς τοῦ φιλοσόφου νουθεσίας* fructum percepissent, ut ait in Orat. VIII. p. 129. Atque magnificentius etiam de eodem facto loquitur in Orat. XIII. p. 212 sq.: *Καὶ ὅγε Σεβαστὸς ἀποδιδοὺς τὴν πόλιν Ἀλεξανδρεῦσιν οὐ τοσοῦτον τῷ ἔργῳ ὅσον τῷ συμβούλῳ ἐκαλλωπίσατο. Ἀποδίδωμι γάρ, ἔφη, τὴν πόλιν ὑμῖν, Ἀλεξανδρεῖς, Ἀρείου μὲν συμβουλῇ, ἐμοῦ δὲ εὐπειθείᾳ. Ἆρα δοκεῖ μὲν οὗτος ὁ αὐτοκράτωρ φαυλότερόν τι τῆς συμβουλῆς ὑπολαμβάνειν τὴν εὐπείθειαν, καὶ οὐχὶ τὸ ἄμεινον μᾶλλον ἑαυτοῦ ποιεῖσθαι;* En Sophistam! Nam Areus existimandus est Augusto nonnumquam etiam suasisse quae non tam virtutis, quam prudentiae essent, ita ut Principi, amico suo, inhumanitatis adeoque crudelitatis invidiam conflaret. Sic Plutarchus in Vit. Antonii c. 82. refert, illum ipsum Areum philosophum Augusto deliberanti fluctuantique, utrum Caesarionem, Julii Caesaris, avunculi sui, ex Cleopatra filium, necaret an servaret, hujus caedem his verbis suasisse:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκαισαρίη.

Quae quidem *παρῳδία* verborum Homericorum ex Iliados Libr. II. v. 204. non humanitatis, sed prudentiae continebat praeceptum Augusti animo apprime conveniens. Omnino Augustus philosophiae studuisse ejusque doctoribus obtemperasse putandus est, prout illius dogmata horumque praecepta consentirent ac conciliari possent cum consiliis suis, quae semel sibi proposita, neglectis divinis humanisque legibus, exsequi soleret. Quare quam sibi tribuit laudem eo nomine apud Julianum in Caesar. p. 326. Sp. (p. 21. H.): *καὶ ὅλως οὐδέν ἐστιν ὑφ' ἡμῶν εἰς τὴν φιλοσοφίαν ἁμαρτηθέν,* eam aliquanto circumscribendam esse, nemo est quin confiteatur. Neque plus fidei ea in re tribuendum erit Philoni, qui in Libro de Legatione ad Gajum

131) Nomen *Thrasylli* in Codd. Graecis varie exaratum invenitur: vid. Menagius ad Diogenem Laert. Libr. III. Segm. 1. p. 133. De *Θράσυλλος*, *Θράσυλος* et *Θρασύλος* aliorumque hujuscemodi nominum formatione erudite exposuit Blomfieldius ad Aeschyli Prometh. Glossar. v. 214. et Boissonadius ad Aristaeneti Epist. XIV. p. 441. hujus nominis *παροξυτονίαν* unice veram esse censet. Caeterum Themistius fallitur, quum Thrasyllum Augusti in itineribus comitem fuisse dicit, fortasse in errorem inductus loco Suetonii Aug. c. 98. leviter inspecto. Illum Mathematicum Tiberius Rhodo abductum admoverat suo contubernio et ut sapientiae professorem retinuerat ad mortem usque suam: vid. Tacitus Ann. Libr. VI. c. 21. et 22. Suetonius Tiber. c. 14. et 62. Calig. c. 19. et Dio Cass. Libr. LV. c. 11. Hac diuturna cum Tiberio familiaritate Thrasyllum scribit Julianus in Epist. ad Themist. p. 265. Sp. nomini suo sempiternam labem adspersisse detersam tamen ingenii monumentis, quae reliquisset: v. G. J. Vossius de Histor. Graec. Libr. IV. c. 16. p. 210. Tom. IV. Opp.

Caligulam p. 1035. ed. Francof. Herodem Agrippam ad istum Imperatorem de Augusto, proavo ejus, scribentem facit: *„φιλοσοφίας οὐκ ἄκροις χείλεσι γευσάμενος, ἀλλ' ἐπίπλεον ἑστιαθεὶς, καὶ σχεδόν τι καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἑστιώμενος τὰ μὲν μνήμαις, ὧν ἡ διάνοια προμαθοῦσα τὰ φιλοσοφίας ἀνεπόλει, τὰ δὲ καὶ ταῖς τῶν συνόντων ἀεὶ λογίων συνδιαιτήσεσι. Κατὰ γὰρ τὰς ἐν δείπνῳ συνουσίας ὁ πλεῖστος χρόνος ἀπενέμετο τοῖς ἀπὸ παιδείας, ἵνα μὴ τὸ σῶμα μόνον, ἀλλὰ καὶ ἡ ψυχὴ τοῖς οἰκείοις ἀνατρέφοιτο."* [132]) Quae ab Judaeo prudenter exornata esse et amplificata, quo fortius animum Gaji feriret sibique conciliaret, manifestum est. Augustus quidem, etiam summae rerum solus potitus, cum philosophis omnisque generis hominibus doctis familiariter per totam vitam consuescere ita perrexit, ut eorum convictum honori sibi duceret ac laudi. Ex hoc genere fuit *Xenarchus*, Seleucia oriundus, Peripateticus, cujus auditor fuerat Strabo, qui de eo Libr. XIV. c. 4. §. 4. haec tradit: *Ξέναρχος δὲ, οὗ ἠκροασάμεθα ἡμεῖς, ἐν οἴκῳ μὲν οὐ πολὺ διέτριψεν· ἐν Ἀλεξανδρείᾳ δὲ καὶ Ἀθήνησι, καὶ τὸ τελευταῖον ἐν Ῥώμῃ τὸν παιδευτικὸν βίον ἑλόμενος· χρησάμενος δὲ καὶ τῇ Ἀρείου φιλίᾳ, καὶ μετὰ ταῦτα τῇ τοῦ Καίσαρος τοῦ Σεβαστοῦ, διετέλεσε μέχρι γήρως ἐν τιμῇ ἀγόμενος· μικρὸν δὲ πρὸ τῆς τελευτῆς πηρωθεὶς τὴν ὄψιν, κατέστρεψε νόσῳ τὸν βίον.* Amicitia Arei cum usus esse dicatur Xenarchus Romae, apertum est, eum jam ante annum U. C. 725. s. 29., quo Urbem ab Areo relictam fuisse vidimus, ibi docendi munus suscepisse et post illum annum in interiorem Augusti familiaritatem venisse magni aestimatum ab Imperatore et honoratum. [133]) Neque silentio praetereundus est *Timagenes*, Alexandrinus ille rhetor, quem et ipsum magna apud Augustum gratia aliquamdiu floruisse et familiarissime cum eo conjunctum vixisse notum est. [134])

Jam ex his, quae hactenus disputavi, liquido constare arbitror, *Athenodorum* et *Areum* aeque ac Xenarchum et Timagenem Augusti magistrorum numero ac loco excludendos esse, et potius familiares ejus ac contubernales habendos dicendosque, quos, si quando opus videretur, in rebus privatis publicisque in consilium adhiberet. Multo autem minus Augusti magistris accensendus est alius Alexandrinus Philosophus Stoicus et Rhetor. Is est *Theon* quidam, de quo Suidas Tom. I. p. 1874. Gaisf.: *„Θέων, Ἀλεξανδρεὺς, φιλόσοφος Στωϊκὸς γεγονὼς ἐπὶ Αὐγούστου μετὰ Ἄρειον."* Haec Suidae verba C. W. de Rhoer in Dissert. de Stud. Litt. C. Aug. c. I. §. 4. p. 11. ita accepit, ut Theone illo post Areum magistro usum esse Augustum diceret. Quis autem est, qui non intelligat, nihil aliud a Suida indicari, quam Theonem istum floruisse, Augusto imperante, post obitum Arei? Plures item fuere Theones et quidem tres hujus nominis Stoici, Alexandrinus ille, Antiochenus et Tithoraeus, ut docuit Jo. Jonsius de Scriptt. Hist. Philos. Libr. II. c. 18. §. 1. Jam Arei mentione non nisi illius Theonis et aetas et fama ingenii significatur, quoniam uterque Alexandrinus, Stoicus et Rhetor fuerat. Qua-

---

132) Quos Philo appellat *τοὺς ἀπὸ παιδείας*, Casaubonus referri posse ait ad *aretalogos*, quos coenae ab Augusto frequenter admotos esse memorat Suetonius c. 74. Rectius autem idem monet apud Philonem intelligi *eruditos* et *philologos*, quibuscum solitus sit Augustus inter coenandum de litteris disceptare vel inter se disceptantes audire. Apud Suetonium *aretalogos* esse *ἡδυλόγους*, fabulatores, in foris et compitis popello tunicato fabellas narrare solitos, docuit Lobeckius in Aglaopham. Tom. II. p. 1316 sq.

133) Bruckerus in Hist. Crit. Philos. Tom. II. p. 473. scribit, Xenarchum ab Areo commendatum esse Augusto, quem multo credibilius mihi est, ut doctissimi et clarissimi cujusque usu et contubernio se suamque domum condecoraret, ita illum quoque magni nominis Peripateticum sponte in suam familiaritatem adscivisse.

134) De *Timagene* Alexandrino, qui, interdicta ipsi domo Augusti, in Asinii Pollionis contubernio consenuit, copiose disserui in Comment. *de Iarbita Timagenis Aemulatore* §. 22. p. 393 sqq.

propter ne certum quidem est, Theonem illum Romae umquam fuisse, nedum eum docentem ab Augusto auditum esse adeoque familiarem ejus factum. [135]) Non temere autem ille Theon Alexandrinus putatur esse is, qui memoratur a Quintiliano Inst. Or. Libr. III. c. 6. §. 48.: „Fecerunt alii totidem status, sed alios, *An sit? Quid sit? Quale sit? Quantum sit?* ut *Caecilius* et *Theon.*“ Caecilius sub Augusto floruit, aequalis ejus Theon fuit aetate suppar, eumque *Aelium* cognominatum esse ait Spaldingius ad Quintiliani l. c. Vol. I. p. 511. Scripta ejus duo profert Suidas, quae interierunt: Progymnasmata enim quae hodieque exstant et apud Walzium Rhetor. Graec. Vol. I. p. 137. et 145—257. leguntur, admodum dubium est ac controversum, num rhetori illi Alexandrino adscribenda sint, ut ostendit Westermannus in Histor. Eloq. Graec. §. 88. N. 26. et §. 98. N. 17. et 20.

Denique fuerunt qui in Augusti magistrorum numero ac loco haberent etiam *Theogenem* Mathematicum, commemoratum a Suetonio c. 94.: „In secessu Apolloniae Theogenis mathematici pergulam comite Agrippa adscenderat, quum Agrippae, qui prior consulebat, magna et paene incredibilia praedicerentur, reticere ipse genituram suam nec velle edere perseverabat, metu ac pudore, ne minor inveniretur. Qua tamen, post multas adhortationes, vix et cunctanter edita, exsiluit Theogenes adoravitque eum.“ Unus Suetonius commemorat hunc Theogenem, obscuri nominis hominem, neque eo consilio, ut ullam magistri aut familiaris necessitudinem Augusto cum isto homine intercessisse significare velit, quippe enarrans ibi ea tantum, quae Augusto et prius, quam nasceretur, et ipso die natali ac deinceps evenerint, quibus futura magnitudo ejus et perpetua felicitas sperari animadvertique posset, et quibus factum fuerit, ut tantam fiduciam fati haberet. Proinde non intelligo, quo jure ille magistris Augusti accenseri queat. [136]) Nihilo tamen secius nuper Drumannus in Histor. Rom. Vol. IV. p. 254. istum Mathematicum Roma abductum fuisse Apolloniam eumque pariter atque Apollodorum rhetorem, Augusto datum ab avunculo comitem ac magistrum, pro certo posuit. Huic autem sententiae quam parum suffragetur Suetonius, modo ostendimus; accedunt etiam alia eaque gravissima quae adversentur. Primum enim Suetonius non, credo, reticuisset, si Theogenes jam Romae aliquam nominis celebritatem adeptus in comitatum ab Augusto assumptus fuisset. Deinde mirum quemvis habebit, cur Agrippa et Augustus, illum si Romae jam cognitum habuissent, Apolloniae demum de genitura sua consuluissent. Porro, ut omittam quaerere, quid juveni ad belli artes conformando eisque exercendo profuturus fuisset comitatus astrologi, mihi non dubium est quin Julius Caesar, si dare voluisset sororis suae nepoti Mathematicum et comitem et magistrum, multo clariorem isto Theogene hominem elegisset hujus artis professorem, ut Sosigenem Aegyptium, Romae tum commorantem. Denique voce „*pergulae*“ satis indicari arbitror, Theogenem Apolloniae sedem stabilem ac domicilium habuisse, eumque ibi hominem pauperem sub tegulis, *ἐν ὑπερῴῳ*, habitasse, ut Romae Orbilium, auctore Suetonio de Illustr. Grammat. c. 9. Mihi, ut paucis dicam quod sentio, videtur Theogenes iste ex eo fuisse genere hominum, qui communi Chaldaeorum nomine per omnes fere

---

135) Perridiculum est quod Bruckerus in Hist. Crit. Philos. Tom. II. p. 536. pro certo ponit, Areum et Theonem ab Athenodoro commendatos esse Augusto. Id quo artificio ex allegatis Suidae verbis possit elici, fateor me non assequi.

136) De *Theogene*, Augusti in urbe Apollonia magistro, dubitanter scripsit C. W. de Rhoer in Dissertat. *de Stud. Litt. C. Aug.* C. I. §. 4. p. 11. Sed J. F. Hoffmannus in Disputat. *de Athenodoro Tarsensi* §. VII. N. f. sine ulla dubitatione eum ponit inter viros doctos, quibus Augustus Apolloniae in institutionem datus fuerit.

Graeciae Italiaeque urbes dispersi degerent et fatorum praedictionibus aliisque hujuscemodi nugis victum ac lucrum quaererent: quem quum suspicor ab Agrippa et Augusto, armorum exercitiis parumper vacantibus et otiosis, animi caussa consultum fuisse, non vereor, ne ariolando ineptiisse arguar: conf. §. 7.

§. 11.

Jam quae de Caesaris Augusti pueritia, magistris studiisque hic copiosius scripsimus historiae vestigia quamvis tenuia probabilis conjecturae ope persecuti, eorum summam huc fere redire arbitror, ut paene pro certo affirmare possimus, Augustum a prima pueritia in domo Juliae aviae parentumve a servo Graeco, *Sphaero*, prima litteratura imbutum esse; deinde eum adultiorem factum item domi usum esse disciplina *Flavii Capri*, Grammatici Latini. Parentes enim ejus et avunculus videntur praeoptasse domesticam institutionem publicae, ut quae pueris multas, isto praesertim tempore, vias ostenderet lubricas, quibus sine casu aliquo aut prolapsione insisti vix posset. Eadem de caussa Augusto adhuc puero etiam *Areus* philosophus cum filiis, *Dionysio* et *Nicanore*, contubernales dati sunt et sodales, qui quotidiana consuetudine cum eo conjuncti essent eumque peregre comitarentur. Postquam posuerat praetextam, videtur operam dedisse *Epidio*, rhetori Latino, et simul *Apollodoro* Pergameno, rhetori Graeco, quem ad perficiendam dicendi facultatem ab Urbe magistrum abduxit Apolloniam et inde Romam reduxit longius ejus doctrina et institutione usurus. Triumvir quum factus esset, *Areum*, puerilis vitae ducem suae, denuo in contubernium recepit cum *Athenodoro* Tarsensi, quem tum Romae primum cognoverat et magni aestimare coeperat. Horum autem philosophorum cum Augusto Triumviro necessitudo non tam magistrorum erat proprie sic dictorum, quam familiarium et amicorum, qui ei in rebus constituendis ac privatim publiceve gerendis a consilio essent. Neque tamen dubium cuiquam erit quin uterque philosophus plurimum contulerit, ut Augustus omnis liberalis apud utrumque antiquitatis populum doctrinae si minus scientia accurata et ampla instructus, certe ejus studio ac communium omnium litterarum artiumque amore incensus, posito Triumviratu, solus rerum Romanarum administrationem capesseret. Singularem enim illarum amorem Augustus in omni rerum temporumque varietate et in maximarum concursu occupationum ostendit, et cum in fovendis honorandisque praestantissimis quibusque earum cultoribus probavit, tum etiam suo ipsius exemplo usque ad extremam senectutem et legendo et scribendo testatum fecit ita, ut sine ulla adulationis suspicione Horatius Libr. III. Od. 4. v. 37. alloqui posset Musas:

Vos Caesarem altum, militia simul
Fessas cohortes abdidit oppidis,
Finire quaerentem labores
Pierio recreatis antro.

Nec quisquam dubitabit quin praeter illos, quos recensuimus, magistros atque eruditos familiares, quibus quantacumque doctrinae et humanitatis incrementa accepta referebat, ad vires animi ingeniique ejus a teneris excolendas et annorum progressu magis magisque conformandas magnam vim habuerint cum parentum praestantissimorum voces et monita, tum inprimis Julii Caesaris, avunculi, viri eximii, praecepta et exemplum: quod quidem exemplum Augustus tota mente ac cogitatione intuitus non solum adolescens, sed vir etiam assiduo quamvis impari gressu in omni fere doctrinarum genere aemulatus est, ut suo loco docebimus.

EXCURSUS I.

DE

CAESARIS AUGUSTI

NOMINIBUS, COGNOMINIBUS AC TITULIS.

Augustus recens natus de prisco Romanorum more acceperat patris nomen cum praenomine quippe filius natu primus, et nominatus fuerat *C. Octavius*. Jam unus Suetonius c. 7. narrat, ei infanti inditum esse cognomen *Thurino* et de hujus nominis origine et caussa duplicem proponit sententiam. Scribit enim, illum sic appellatum esse vel in memoriam majorum originis vel quod regione Thurina, recens eo nato, Octavius pater adversus fugitivos rem prospere gessisset. Augusti majorum originem M. Antonius, ut Suetonius c. 2. refert, repetiverat e pago Thurino ibique illius proavum libertinum fuisse et restionem, probro habuerat. Ea de re exposui in Comment. *de Cassio Parmensi* §. 16. p. 290. cf. Drumannus in Histor. Rom. Vol. IV. p. 233 sq. Fugitivos illos, residuam Spartaci et Catilinae manum, tenentes agrum Thurinum, Octavius pater in itinere deleverat, negotio ipsi in Senatu extra ordinem dato, cum profecturus esset in Macedoniam, quam ex Praetura sortitus erat, succedens C. Antonio a. U. C. 694. s. 60. Eo tempore Augustus jam tertium agebat aetatis annum, neque apparet, quam ob caussam illud cognomen non patri, sed bimulo ejus filio fuerit impositum, et multo minus intelligitur, quo pacto illud potuerit pro opprobrio objici. Praestat igitur, illud referri ad ignobilem et sordidam majorum ejus ex pago Thurino originem. Caeterum de eo Suetonius tradidit satis certa probatione, nactus puerilem imagunculam Augusti aeream veterem, ferreis ac paene jam exolescentibus litteris hoc nomine inscriptam[1]). Quo majore igitur cum cura hoc cognomen a Suetonio commemoratum est, hoc magis mirum esse debet, quod alius, in ipsis natalibus, ut videtur, Augusto impositi, nullam prorsus injecerit mentionem. Nam Dio Cassius Libr. XLV. c. 1. ita scribit: *Ὁ δὲ δὴ Γάϊος ὁ Ὀκταουΐος Καιπίας (οὕτω γὰρ ὁ τῆς Ἀττίας τῆς τοῦ Καίσαρος ἀδελφῆς υἱὸς ὠνομάζετο) ἦν μὲν ἐξ Οὐελίτρων τῶν Οὐολσκίδων· ὀρφανὸς δὲ ὑπὸ τοῦ Ὀκταουΐου τοῦ πατρὸς καταλειφθεὶς, ἐτράφη μὲν παρά τε τῇ μητρὶ καὶ παρὰ τῷ ἀδελφῷ αὐτῆς Λουκίῳ Φιλίππῳ.* Qui locus cum alias habet difficultates, nondum, ut equidem puto, satis expeditas, tum inprimis plurimum negotii facessivit Interpretibus istud *Caepiae* cognomen, de quo paulo fusius dicendum est.

Quamquam omnes Dionis codices nomen *Caepiae* sine ullo corruptelae vestigio habent, tamen multa sunt quae id suspectum reddant. Primum enim consentiens scriptorum omnium ac numorum de eo silentium hac in caussa nequaquam parvi faciendum est. Accedit, quod nulla ejus ratio neque ex gentis Octaviae factis et fatis, nedum ex ipsius Augusti vita et rebus gestis reddi potest. Denique formam ejus si spectamus, ne Latinae quidem videtur originis esse. Nihil enim cognationis habet cum nomine *Caepionis*, quod Fanniis, Rusciis et Serviliis adhaesisse constat[2]). Fallitur etiam Penzelius ad Dionis Cass. Interpr. Vern. Tom. III. p. 2., quum dicit, *Caepionis* nomen Latinum a Graecis pronuntiatum esse *Καιπίας*: certe a Dione illud constanter scriptum est *Καιπίων*: vid. Fragm. Dionis Libr. XXXIV. N. CX. Vol. I. p. 102. Strz. Atque qua tandem de caussa *Caepionis* cognomen Augusto inditum fuisse suspicemur? Idcirco fuerunt qui hoc nomen mendosum esse rati ad correctiones confugerent. Non temere: toti enim huic loco a librariis supinis vulnera inflicta sunt et vetera et gravia. In medio relinquam, num Xylander aliique pro *ἀδελφῆς* recte correxerint *ἀδελφιδῆς*: sed in confesso est, ista *παρὰ τῷ ἀδελφῷ αὐτῆς* (sc. *Ἀττίας*) vehementer depravata esse et, flagitante historia, emendari debere *παρὰ τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς*[3]). Scripsit de hoc loco perquam subtiliter ac copiose J. Perizonius in Animadv. Histor. c. 10.

---

1) Litterae illae per eam artem injectae fuerant, quae a Graecis *ἐμπαιστικὴ* appellatur: v. Boettigerus in: *kleine Schriften archaeol. u. antiq. Inhalts* B. II. p. 350. Suetonius addit, illam imagunculam a se dono datam esse *Principi* i. e. Hadriano, eamque coli *inter cubiculi Lares*, ut cum Lipsio h. l. legendum censeo: eam correctionem flagitat v. *colitur*, quod de tabulis in cubiculo ornatus caussa constitutis dici nequit.

2) Sicut multa alia gentium Romanarum cognomina originem suam ac significationem rei rusticae debent, ita *Caepionis* quoque nomen a *caeparum* cultu haud dubie repetendum est: vid. Fabricius ad Dionem Cass. Libr. XLVI. c. 18. N. 67. Vol. V. p. 479. Strz. et quos laudat Luzac de Q. Hortensio p. 7.

3) Leunclavius post Xylandrum scripsit: *τῷ ἀνδρὶ δευτέρῳ αὐτῆς*. Sed v. *δευτέρῳ* otiosum est, commemorata paulo ante

p. 443 sqq. et offensus inaudito isto cognomine a Dione scriptum esse conjicit: *ὁ δὲ δὴ Γάϊος ὁ Ὀκταουΐου καὶ Ἀτίας (οὕτω γὰρ ὁ τῆς Ἀτίας τῆς τοῦ Καίσαρος ἀδελφιδῆς υἱὸς ὠνομάζετο) ἦν κ. τ. λ.* Ea emendatio quamvis et linguae Graecae ratione et historiae consensu commendetur, tamen toti loco duritiem infert non ferendam. Primum enim, ut jam Fabricius monuit, matris nomen molestum est atque alienum, cum statim subjiciatur: *ὁ τῆς Ἀττίας — υἱὸς κ. τ. λ.* Deinde idem monendum est de nomine patris, cujus commemoratio hic pariter supervacanea est, cum paulo post legatur: *ὀρφανὸς δὲ ὑπὸ τοῦ Ὀκταουΐου τοῦ πατρὸς κ. τ. λ.* Praemisso igitur patris et matris nomine plane otiosa sunt. Id cum procul dubio sensisset Baumgarten-Crusius ad Suetonii Aug. c. 7., suspicatus est, n. *Καιπίας* ortum esse ex n. *Καῖσαρ*, quod nomen Dio fortasse per prolepsin dedisset Augusto. Hanc conjecturam praestare Perizonianae facilitate, lubenter concedo; at qui fieri potuerit, ut notissimum istud nomen *Καῖσαρ* a librariis, facta veluti conspiratione, in nomen Romanis prorsus incognitum mutaretur, fateor me non intelligere; nihil ut dicam de principio c. 5., quod illi conjecturae adversa fronte repugnare arbitror[4]). Ex Dione sua hausit Zonaras Annal. Libr. X. c. 13.: *Ὀκτάβιος δὲ Γάϊος, ὃς καὶ Πίας ὠνόμαστο, ἀδελφῆς τοῦ Καίσαρος ἦν υἱὸς κ. τ. λ.* Qui quidem locus non latuit Fabricium, sed lectionis, quae in Cod. Reg. Zonarae invenitur *καὶ Πίους* insolentia se impediri passus est quo minus lucri quid caperet ad emendandum Dionem[5]). Ac primum quod ad formam nominis illius apud Zonaram attinet, evidens est, neutram lectionem *Πίας* et *Πίους* genuinam esse. Nomen Latinum *Pii* ab ipso Zonara Libr. XII. c. 1. formatum et exaratum est *Πῖος*. Sic etiam Dio Cassius Libr. XXXIV. Fragm. CVIII. Vol. I. p. 102. Strz.: *Ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ Μετέλλου — ὑπὲρ τοῦ τὸν πατέρα κατελθεῖν ἱκέτευεν, ὥστε καὶ Πῖος, τοῦτ' ἔστιν, εὐσεβὴς ἐπονομασθῆναι.* Posthac usu venit, ut, qui hoc cognomen assumpserant Romani, a scriptoribus Graecis appellarentur *Εὐσεβεῖς*. Sic idem ille Metellus ab Appiano B. Civ. Libr. I. c. 33.: *ἀλλ' ὁ μὲν παῖς ἐκ τῆσδε τῆς ὄψεως Εὐσεβὴς ἐς τὸ ἔπειτα ἐκλήθη.* His praemissis dubitari nequit quin certe apud Zonaram scribendum sit: *ὃς καὶ Πῖος ὠνόμαστο.*

Jam videndum est, quid loco Cassiano faciendum sit. Nihil lucramur, diviso nomine *Καιπίας* si emendatius scribimus: *ὁ Ὀκταουΐος καὶ Πῖος.* Eam conjunctionem ipsa Graecitas respuit, quamvis magna Dioni propria sit licentia in Nominum Propriorum collocatione. Habet jam articulus ad nomen gentile repetitus aliquid offensionis, qua Perizonium inductum esse suspicor, ut scribendum conjiceret, *ὁ Γάϊος ὁ Ὀκταουΐου* sc. *υἱός*. Alias solet Dio nomini gentili aut cognomini postponere praenomen cum articulo, ut *ὁ Γράκχος ὁ Τιβέριος, τοῦ γὰρ δὴ Κικέρωνος τοῦ Μάρκου μετὰ Γαΐου Ἀντωνίου, τοῦ Καίσαρος τοῦ Λουκίου, τοῦ Καίσαρος τοῦ Ἰουλίου, ὁ Πομπήϊος ὁ Γναῖος*, et ita in innumeris aliis locis.[6]) Et qui Libr. XLII. c. 15. scripsit *Μάρκον Μάρκελλον Αἰσερνῖνον*, ab eodem scriptum legimus Libr. XLVI. c. 49. *ὁ Κάσκας ὁ Πούπλιος ὁ Σερουΐλιος.* Atqui cum idem Libr. XLIII. c. 51. scripserit *ὁ Πούπλιος ὁ Οὐεντίδιος*, non est quod quis haeserit in junctura verborum *ὁ δὲ δὴ Γάϊος ὁ Ὀκταουΐος.* Erat quo ego conjectarem in n. *Καιπίας* latere v. *Πίετας.* In eam conjecturam me deduxit Dio Cassius, a quo Libr. XLVIII. c. 5. L. Antonius, Marci Triumviri frater, traditur *διὰ τὴν πρὸς τὸν ἀδελφὸν εὐσέβειαν καὶ ἐπωνυμίαν ἑαυτῷ Πίεταν* sive, ut Leunclavius reponi maluit, *Πίετας ἐπιθέσθαι.* Atque in titulo ejusdem libri Cassiani invenitur lemma: *Λ. Ἀντώνιος Μ. υἱὸς Πίετας:* ubi quam multas variasque hoc nomen subire possit corruptiones, adnotarunt Fabricius et Sturzius Vol. II. p. 568. Verum tamen, Zonarae Dionem exscribentis loco accuratius inspecto, istam suspicionem rejeci, mihique facile persuasi, a Dione scriptum esse: *ὁ δὲ δὴ Γάϊος ὁ Ὀκταουΐος, ὃς καὶ Πῖος, (οὕτω γὰρ — ὠνομάζετο) ἦν μὲν κ. τ. λ.* De vera lectionis vulg. *Καιπίας* emendatione, unius litterulae mutatione facta, nemo, opinor, facile dubitabit. Atque Pronomen *ὃς* quam facile, verbis de more junctim scriptis, potuerit a praecedentis nominis extrema syllaba absorberi, in oculos incurrit. Jam verbum *ὠνόμαστο*, quod de suo posuit Zonaras, a Dione poterat commode omitti ac lectori supplendum relinqui, cum *ἐν παρενθέσει* adjiceret: *οὕτω γὰρ — ὠνομάζετο.* Quae verba cum omitteret Zonaras, Dionis narrationem excerpens et in angustum cogens, debuit scribere *ὠνόμαστο.* Atqui illa ipsa, quae apud Dionem *παρενθήκην* efficiunt, meam loci correctionem egregie stabiliunt. Nam si Augusti matrem voluisset commemorare, scribi ab eo debuit, ut scriptum esse voluit Perizonius. At quum subjiciat vv. *οὕτω — ὁ τῆς Ἀττίας τῆς τοῦ Καίσαρος ἀδελφῆς υἱός*, ma-

---

Octavii mariti morte. Ut *ἀνὴρ* ap. Graecos, ita ap. Latinos *vir* de marito: v. Hermannus ad Sophoclis Trachin. v. 547. et Cortius ad Sallustii Catil. c. 25. §. 2.

4) In eamdem conjecturam incidit Drumannus in Histor. Rom. Vol. IV. p. 245. ita scribens: *„Dio giebt ihm den Zunamen Caepias, welcher sich bei keinem Andern findet, und keine Erklärung zulässt. Es wäre an sich schon befremdlich, wenn eine Bezeichnung des ersten und berühmtesten römischen Kaisers uns zuerst und nur durch einen griechischen Geschichtschreiber bekannt würde, denn Zonaras zählt nicht mit. Wahrscheinlich schrieb er aber: Caesar, um durch diesen Zusatz seinen Helden von Anfang als den Adoptiv-Sohn des Dictator und als den Erben seiner Macht einzuführen. Die Abschreiber waren mit diesem Zunamen des Octavius noch nicht vertraut, (?) sie setzten Caepias, welches das ihnen oft begegnende Caepio in den Geschlechtern der Servilius und Fannius zu rechtfertigen schien* u. s. w.“ ?

5) Videsis Notas Criticas ad Zonarae Annalium Tom. II. p. 20. Paris. 1687. F.

6) Exempla allata deprompta sunt ex Libr. XXXIV. Fragm. 86., Libr. XXXVII. c. 10., Libr. XLII. c. 12. et c. 40. *Τιβέριος Κλαύδιος ὁ Νέρων*, ubi tamen articulus ante nomen *Νέρων* in Cod. Med. a. b. abest, et plerumque in trium nominum concursu omissus est a Dione v. c. Libr. XLII. c. 29. *Πούπλιος Κορνήλιος Δολοβέλλας*, Libr. XLIII. c. 46. *Γάϊον Κανίνιον Ῥήβιλον* et Libr. XLIV. c. 52. *Πούπλιος Σερουΐλιος Κάσκας.*

nifestum est ea apposita esse, non quo innotesceret lectori mater illius C. Octavii, sed ut intelligeretur, cur et unde appellatus fuerit *Πίος*. Atia enim mater cum esset *ἀδελφιδῆ τοῦ Καίσαρος*, cujus caedes sub finem libri praecedentis exposita fuerat, evenit, ut ille C. Octavius ab Julio Caesare adoptaretur et hujus ultor existeret atque ulciscenda avunculi magni caede cognomen *Pii* inveniret. Denique hac ratione probata simul intelligitur, cur hoc tantum loco illius cognominis mentionem fecerit Dio, idque in principio historiae de Augusti imperio, quam Libro XLV. orditur, posuerit. Quodsi Fabricius negat, ullo testimonio probari posse, Augustum umquam cognominatum fuisse *Pium*, magnopere vereor, ne judicium suum praecipitaverit. Nam, etiamsi nemo veterum scriptorum de eo quidquam tradiderit neque numi, quibus illud confirmetur, inveniantur, tamen ea res ad eam adduci potest probabilitatem, qua nos in permultis utriusque antiquitatis rebus acquiescere oportet.

De significatione et usu cognominis *Pii* apud veteres populos, post Spanhemium de Usu et Praest. Numm Tom. II. p. 448 sq. pluribus egit Eckhelius Doct. Num. Part. II. Vol. VIII. p. 453 sqq. Paulo ante commemoravimus *L. Antonium*, quem, cum caussam fratris in bello Perusino agere sibi videretur, *Pietatis* cognomen adscivisse, unus Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 5. memoriae prodidit. Propterea Fabricius fidem Dionis in dubium vocat eumque deceptum esse putat inspecto numo, in quo PIETAS CONSULIS erga fratrem Triumvirum fuisset celebrata, quod Dio ita accepisset, ac si PIETAS CONSUL in eo exprimeretur. Idem Fabricius subdubitat, num per Latinitatem fieri possit, ut cognomen *Pietatis* homini tribuatur, cum *Pius* dicendus sit. Ad Latinitatem quod attinet, Fabricio jam Reimarus opposuit Vitellium, qui *Concordiae* nomen recepisset, auctore Suetonio c. 15. et Sturzius comparat cognomen a Duce Aurelianensi assumptum *l'égalité:* vid. Not. 23. Vol. V. p. 543. Verum tamen Dionis fidem et auctoritatem ea in re tuentur numi haud pauci ac genuini. In numis ap. Morellium in Thesaur. Tab. I. inveniuntur, in quorum parte adversa caput M. Antonii Triumviri, in aversa conspicitur figura muliebris, cui adscriptae sunt litterae: PIETAS COS. — Eam inscriptionem, laudato Dionis loco, ad cognomen L. Antonii retulerunt Begerus in Thesaur. Brandenb. Tom. II. p. 534., Liebius in Goth. Num. p. 22. et, cujus summa est ea in caussa auctoritas, Eckhelius in Doct. Num. P. II. Vol. 6. p. 42. Jam vero Drumannus in Histor. Rom. Vol. I. p. 529. N. 43. concedit quidem, nomen *Pietatis* in Numis gentis Antoniae inventum referi debere ad illud L. Antonii Cos. erga fratrem factum, sed negat, umquam ab illo cognomen *Pietatis* adscitum et usurpatum esse. Utcumque ea de re statuitur, id certe evidens est, Dionis narrationem habere, quo nitatur, nec prorsus esse commenticiam. Major etiam controversia est de *Sexto Pompejo*, cui item cognomen *Pii* impertitum fuisse, sunt qui credant. Eo insignitus esse putatur vel quod cives a Triumviris proscriptos et fugatos in Sicilia receperit et pace ad Misenum cum M. Antonio et Augusto facta restituerit servatos, vel quod sumptis armis et per plures annos retentis patris cladem ultum iverit: vid. Havercampus ad Morellii Thesaur. Tab. I. p. 335. Posterior caussa praeferenda est: nam in pugna Mundensi Pompejanis pro tessera fuit *Pietas:* v. Appianus B. Civ. Libr. II. c. 104. Verum omnis de illo cognomine narratio ac fides unice nititur Numorum testimonio, sed tam certo et explorato, ut de eo dubitari nequeat: vid. Eckhelius in Doct. Num. P. II. Vol. 6. p. 28 sqq. Jam ut concedam, Sext. Pompejum, hominem quamvis vanum et fastosum, non suopte ingenio et proprio ausu assumpsisse cognomen *Pii*,[7] tamen Numorum auctoritatem secutus affirmo, id illi inditum fuisse ab aliis, qui, partium Pompejanarum assectatores, arma ab illo sumpta probarent et laudarent atque ejus pium ulciscendi pro patre consilium Numis posteritati traderent. Hujusmodi autem Numis casu servatis servata etiam est illius rei memoria. Neque scriptorum de ea silentium mirum cuiquam videbitur, qui reputaverit, oppressa Pompeji M. factione, sensim sensimque ut Sexti filii favorem, ita rerum quoque ab eo gestarum memoriam exolevisse, et a scriptoribus minore cum cura servatam fuisse. Quemadmodum autem Sext. Pompejus, cum patris cladem ultum ivisset, a suis *Pii* cognomen tulerat; ita etiam Augusto, si non viventi, certe Divo, idem cognomen a cultoribus et adulatoribus impositum esse suspicor. Neque id sine ratione factum esse dixeris. Nam, teste Tacito Ann. Libr. I. c. 9., fuerunt qui pietate erga parentem, Julium Caesarem, ad arma civilia actum eum esse contenderent. Eam pietatem, donec summae rerum solus potiretur, multis ipse verbis, consiliis factisque saevissimis et maxime detestabilibus praetexuit. Bello Philippensi pro ultione paterna suscepto, aedem Martis Ultoris voverat, auctore Suetonio c. 29. De quo templo Ovidius, vivente Augusto, non erubuit scribere Fastor. Libr. V. v. 569.:

Voverat hoc juvenis tunc, quum pia sustulit arma.

Atque eo mortuo multi vana, ut Tacitus ait, mirantes vitam ejus extollebant. Num quis igitur incredibile putet, inter illos etiam fuisse, qui eum propter arma civilia pro patris ultione suscepta *Pii* cognomine ornarent idque

---

7) Alia vanitatis ridiculae ac superbiae documenta a Sext. Pompejo edita non neglexerunt scriptores veteres memoriae prodere. Eccui incognitus est *Neptuni filius* caeruleo indutus paludamento, et *Neptunius dux*, qui fugit ustis navibus? v. Horatii Epod. IX. v. 7. ibiq. Intpp. De illo cognomine tacent quotquot supersunt scriptores ad unum omnes. Quae Suetonius de Caligula, ut de monstro, narrare incipit c. 22., in eis primo loco ponit quod *Pii* cognomen sibi arrogaverit. Id tamen vix mirum fuerit in homine tam vacerroso, qui sciret, nonnullos Senatorum censuisse, ut Tiberius post bellum Pannonicum a. U. C. 762. a. 9. p. Chr. prospere confectum *Pius* cognominaretur, teste eodem Suetonio Tiber. c. 17. Caeterum utroque Suetonii loco istud cognomen ad pietatem et merita in patriam referendum erit.

nummis aliisve monumentis exprimendum divulgandumque curarent? Jam si sumimus, hujusmodi nummos Dioni scribenti ad manus fuisse, non est quod nos offendat, hoc cognomen ab uno Dione, scriptore ejusmodi rerum curioso, commemoratum esse, a Suetonio autem aliisque scriptoribus aut casu ignoratum aut consulto praetermissum, quia privato potius consilio ac favori quam publicae auctoritati suam originem deberet.

Haec habui quae de *Pii* cognomine, Caesari Augusto a Dione Cassio et Zonara tributo, dicerem; progredior ad alia ejusdem nomina, de quibus jam J. A. Bachius in Hist. Jurisprud. Rom. Libr. III. c. 1. §. 9. sqq. ed. 6. et Fr. Creuzerus in libr.: *Abriss der Römisch. Alterthümer* §. 188 — 190. ed. 2. p. 289. sqq. strictim exposuerunt.

Dio Cassius Libr. XLV. enarratis quae ipsi de pueritia et adolescentia Augusti memoratu digna viderentur, pergit c. 5.: *οὕτω μὲν ὁ πρότερον Ὀκταούϊος, τότε δὲ ἤδη Καῖσαρ, μετὰ δὲ τοῦτο Αὔγουστος ἐπικληθεὶς, ἥψατο τῶν πραγμάτων κ. τ. λ.* Quo tempore ac quo loco Augustus nomen *Caesaris* assumpserit, narratum est supra Libri I. §. 8. Num jam Brundisii, comperta per testamentum adoptione, nomen suum de more Romanorum mutaverit et jam inde ab hoc tempore se appellaverit *C. Julium Caesarem Octavianum,* dubium reddit cum aliorum scriptorum, tum maxime Appiani et Dionis dissensus. Appianus enim B. C. Libr. III. c. 11. affirmat, Augustum, ex quo de adoptione et hereditate certior factus fuisset, se ipsum non amplius *Octavium,* Octavii filium, sed constanter *Caesarem,* Caesaris filium, nominasse, additque: *ἔθος γάρ τι Ῥωμαίοις τοὺς θετοὺς τὰ τῶν θεμένων ὀνόματα ἐπιλαμβάνειν. ὁ δὲ οὐκ ἐπέλαβεν, ἀλλὰ καὶ τὸ αὐτοῦ καὶ τὸ πατρῷον ὅλως ἐνήλλαξεν, ἀντὶ Ὀκταουΐου παιδὸς Ὀκταουΐου, Καῖσαρ εἶναι καὶ Καίσαρος υἱός· καὶ διετέλεσεν οὕτω χρώμενος.* Sed jam Schweighäuserus in Adnotatt. Vol. III. p. 795., laudato Spanhemio de Us. et Pr. Num. Dissert. X. Tom. II. p. 81. monuit, Appianum falli et suo ipsius testimonio redargui. Nam Libr. IV. c. 8. tabulam, *λεύκωμα*, proscriptionis affert Graece translatam, cujus initium ita erat: *Μάρκος Λέπιδος, Μάρκος Ἀντώνιος, Ὀκταούϊος Καῖσαρ, οἱ χειροτονηθέντες ἁρμόσαι καὶ διορθῶσαι τὰ κοινὰ, οὕτω λέγουσι κ. τ. λ.*: unde discimus, Augustum vel in edictis post cretionem *Octavii* nomine usum esse. Atque id hoc mirabilius est, cum illo, quo proscriptionis tabula proposita est, tempore nuper comitiis curiatis in gentem Juliam arrogatus fuisset, ut refert Dio Cass. Libr. XLVI. c. 47. M. Antonius enim obstiterat, quo minus adoptio per legem curiatam prius confirmaretur, quam die XIV. Kal. Septembres i. e. die 19. Augusti a. U. C. 711. s. 43., quo die Augustus primum Consul factus est. Qua de re Dio sic: *καὶ ἐς τὸ τοῦ Καίσαρος γένος κατὰ τὰ νομιζόμενα ἐσεποιήθη, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὴν ἐπίκλησιν μετέθετο. Ὠνόμαζε μὲν γὰρ καὶ πρότερον αὐτὸς ἑαυτὸν, ὥς γέ τισι δοκεῖ, Καίσαρα,*[8]) *ἐξ οὗ τὸ ὄνομα αὐτῷ τοῦτο μετὰ τοῦ κλήρου κατελείφθη· οὐ μέντοι οὔτ᾽ ἀκριβῆ τὴν προσηγορίαν, οὔτε ἐπὶ πάντας εἶχε, καὶ οὕτως ἐξ ἐκείνου Γάϊος Ἰούλιος Καῖσαρ Ὀκταουϊανὸς ἐπεκλήθη.* Dione igitur auctore, peracta demum per legem curiatam adoptione, legitima nominum mutatio ab Augusto facta est. Verum enim vero Appianus et Dio Cassius de Augusti cretione et adoptione tam dubia tamque pugnantia tradunt, ut jam Cannegieterus de Nomin. Mutat. c. IV. p. 15. dubitet, num utrique scriptori Graeco prisca apud Romanos adoptandi ratio satis cognita fuerit.[9]) Ac Dirksenius in libro: *Versuche zur Kritik u. Ausleg. d. Quellen des Römisch. Rechts* (Leipz. 1823. 8.) p. 80. certe Appianum juris privati ac publici apud Romanos inscitiae insimulat. Vir ille eruditissimus, qui ibi p. 73—88. de adoptione per testamentum apud Romanos egregie exposuit, probare studet, istam in comitiis curiatis arrogationem ab Augusto institutam esse, non quia necessaria esset, sed ut huic rei haud paucis odiosae et ab M. Antonio variis modis impugnatae, assensu et approbatione populi major auctoritas ac veluti sanctitas quaedam conciliaretur. Itaque licuit Augusto, simulac Lupiis aut Brundisii rescivisset, se heredem institutum ab avunculo et sub conditione nominis ferendi adoptatum esse, hujus nomina assumere suumque gentile nomen de more prisco mutare.[10]) Id autem num fecerit ac plenam *C. Julii Caesaris Octaviani* appellationem umquam sive publice sive privatim usurpaverit, multa sunt quae me dubitare jubeant. Equidem in ea sum sententia, ut Augustum arbitrer ab initio nullum nisi *Caesaris* nomen recepisse, quo sciret nullum esse favorabilius neque inveniri posse lenocinium gravius atque efficacius ad conciliandos populi militumque animos. Qua in sententia me non modo confirmat Suetonius, quum scribit c. 7.: „postea *Caesaris* et deinde *Augusti* cognomen assumpsit;“[11]) sed inprimis etiam illa Proscriptionis Tabula ap. Appianum B. C. Libr. IV. c. 8. Ea cum dubitari nequeat quin summa cum fide Graece reddita fuerit, etiam praescripta Triumvirorum nomina pro certis ac genuinis haberi possunt ac debent. Atqui appellatur ibi: „*Ὀκταούϊος Καῖσαρ*“:

---

8) Id verum esse atque Augustum, ex quo heredem se sub conditione ferendi nominis scriptum esse comperisset, nunc *Octavium*, nunc *Caesarem* appellatum esse, patet ex Ciceronis Libr. XIV. ad Attic. Epist. 12. §. 2. aliisque locis, quos prolatos invenies in Orellii et Baiteri Onomast. Tullian. P. II. p. 312.

9) Pertinent huc loci ex Appiani B. C. Libr. III. c. 14. et 94. et Dionis Cassii Libr. XLV. c. 4. Libr. XLVI. c. 47.

10) Conferantur quae erudite, ut solet, ea de re monuit Drumannus in Hist. Rom. Vol. I. p. 337. N. 5.

11) In hoc Suetonii loco olim legebatur: *C. Caesaris*. Sed praenomen *Gaji* delendum esse vidit jam Casaubonus et pluribus ostendit Oudendorpius, cui obsecutus est Wolfius. Praenomen *Gaji* erat ei gentile neque erat, quod assumeret. Cicero Philipp. V. c. 17. eum appellat *C. Caesarem, C. F.,* et ita alias. In Numis quoque invenitur *C. Caesar III. vir:* v. Eckhelius P. II. Vol. VI. p. 72 sqq. — *Augusti* nomen quum assumpsisset, praenomen *Gaji* omisit, ut probat Oudendorpius, quum, si retinuisset, inepte scripsisset Suetonius in Calig. c. 60.: „Observatum — notatumque est inprimis, Caesares omnes, quibus *Gaji* praenomen fuerit, ferro perisse, jam inde ab eo, qui Cinnanis temporibus sit occisus.“

unde liquet, eum gentis suae nomen post adoptionem sollemnem retinuisse et tamquam praenomen usurpasse.[12]) Ad *Octaviani* nomen quod attinet, non multum abest quin prorsus addubitem, num Augustus ipse umquam eo usus sit. Eo nomine memoratur a Cicerone Libr. XV. ad Attic. Epist. 12. §. 2.: „*Octaviano*, ut perspexi, satis ingenii, satis animi:“ quae scripta sunt d. IV. Idus Jun. a. U. C. 710. s. 44. Idem nomen ille fert ab Asinio Pollione in Ciceronis Epp. ad Divers. Libr. X. Ep. 33. §. 4.: „ibi Hirtium quoque perisse et Pontium Aquilam: dici etiam *Octavianum* cecidisse:“ quae epistola scripta est mense Majo a. U. C. 711. s. 43. Qui loci per se nihil hac in caussa probant. Fieri enim poterat, ut Cicero et Pollio, priscum Romanorum morem secuti, suo arbitratu eum *Octaviani* nomine designarent. Plutarchus in Vit. Antonii c. 11. eumdem per prolepsin appellat *Ὀκταουϊανόν*. Mihi quamvis quaerenti nullus innotuit Numus Lapisve, qui quidem fide dignus sit, in quo Augustus illo cognomento insigniatur.[13]) Non magis certum est, num se umquam nominaverit scripseritve *C. Julium*. Quid, quod ne apud ullum quidem, quod sciam, scriptorem hujus appellationis testimonium exstat satis certum. Nam ap. Appianum de Reb. Hispan. c. 102.: *καί τινα, αὖθις ἀφιστάμενα, Ὀκταούϊος Καῖσαρ, ὁ τοῦ Γαΐου παῖς, ὁ Σεβαστὸς ἐπίκλην, ἐχειρώσατο*, tres quidem Codices pro *Ὀκταούϊος* praebent *Ἰούλιος*, sed Schweighäuserus meliores Codices secutus vulg. jure tuitus est: v. Not. Crit. Vol. I. p. 227. Neque Numi aut Lapides adhiberi possunt testes, nisi prius inquisiveris, fuerintne cusi vel positi auctoritate publica, deinde sintne genuini et cum cura inspecti descriptique. Jam Oudendorpius ad Sueton. Aug. c. 7. aliquot exemplis docuit, quam saepe falsi fuerint eorum interpretes. Sic, ut hoc utar, Inscriptio apud Gruterum p. CCXXVI. 3., in qua legitur: C. JULIUS. C. F. CAESAR. AUGUSTUS., spuria est, ut docet Orellius in Inscriptt. Vol. I. p. 155. N. 593. Certa sane ac genuina sunt nomina illa Augusto tributa in Fastis Capitolinis ad a. U. C. 710. „C. JULIUS C. F.“ itemque in Marm. Colotiano ap. Gruterum p. CCXCVIII. 1. et ap. Pighium Annal. Tom. III. p. 472. Numorum apud Morellium huc pertinentium fides dubia est, judice Drumanno in Histor. Rom. Vol. IV. p. 245. N. 24. Jam vero ut liberales simus illisque monumentis auctoritatem quamdam hac in caussa attribuamus, inde tamen non sequitur, ut Augustum ipsum illis nominibus publice privatimque usum esse censeamus. Ea de prisco adoptionis more ab aliis accepisse existimandus est. At mature assumpsit seque dici lubenter passus est *Caesarem Divi Julii* seu *Julii filium*. Hoc enim cognomento ornatum eum esse, dum Triumvir esset, extra omnem dubitationem posuit permultis Numis Eckhelius in D. N. P. II. Vol. 6. p. 72. et p. 74 sqq. confutavitque Havercampum, qui Vaillantium secutus ad Morellii Thesaur. p. 379. statuit, Augustum post captam demum Aegyptum se appellasse Divi Julii filium. Cum Eckhelio facit Drumannus in Histor. Rom. Vol. I. p. 337. N. 11. Quamquam Inscriptiones, quae quidem supersunt, illius appellationis initium ad a. U. C. 725. s. 29. reducere videntur,[14]) tamen Numorum ea in re auctoritas multo potior et locupletior est, neque in dubium vocari potest, cum alia accedant, quae illam communiant. Quid enim est veri similius, quam Augustum non multo post ludos illos, quos mense Quintili a. U. C. 710. s. 44. in honorem avunculi instituisset, illam appellationem adscivisse, cum stella illa crinita, ut ipse testatur, vulgus significari crederet, Julii Caesaris animam inter Deorum immortalium numina receptam esse. Ab hoc tempore ille *Divus* dictus est, nec quidquam haberi potest convenientius Augusti et ambitioni et, quam prae se ferebat, pietati adversus avunculum magis idoneum, quam ut magnifico hoc agnomine suos in Triumviratu collegas supereminereret, atque hac etiam ratione patris adoptivi consecrationem inde a ludorum illorum tempore creditam a vulgo, publico hujus

---

12) Illo Appiani loco refellitur etiam Perizonius, quum in Epistolic. Dissertt. ad Aeliani Var. Hist. Libr. VII. c. 16. Tom. I. p. 393. sq. ed. K. negat, *Octavii Caesaris* nomina umquam conjuncta fuisse, quia, cum ille dici coepisset *Caesar*, jam simul gentis novae nomine fuisset *Julius*, non amplius *Octavius*, sed *Octavianus* i. e. ex gente Octavia in aliam adoptatus. Nolo hic addere perlevis auctoritatis scriptorem, Florum, a quo Libr. IV. c. 4. §. 4. nominatur *Octavius Caesar*; meae autem sententiae favet Dio Cassius, quum de nomine *Caesaris* scribit: *οὐ μέντοι οὔτ᾽ ἀκριβῆ τὴν προσηγορίαν, οὔτε ἐπὶ πάντας εἶχε:* de quibus verbis videatur Sturzius Annotatt. Vol. V. p. 501. Not. 227. At nomen illud gentile ab eo plane rejectum esse, ex quo *Augusti* nomen accepisset, certissimum est. Idcirco ap. Florum Libr. IV. c. 3. §. 5.: *Gratulandum — est, quod potissimum ad Octavium Caesarem Augustum summa rerum rediit;*“ aut *Octavii* nomen aut *Augusti* fide et auctoritate historica destitutum est. Neque tamen cum Interpp. alterutrum ab aliena manu illatum aut tertium per prolepsin adjectum esse arbitror, sed ipsi scriptori hanc *ἀσυστασίαν* imputo. Similis incuriae manifestos tenemus inprimis seriores etiam scriptores. Sic Spartianus in Severo c. 7. dicit „*Augustum Octavium.*“ Tertullianus de Anima c. 46.: „*Reformatorem imperii puerulum adhuc et privatum loci et Julium Octavium tantum M. Tullius jam et Augustum et civilium turbinum sepultorem de somno norat:*“ cujus errores perquam graves castigavit jam Cannegieterus de Nom. Mutat. in Addend. p. 270.

13) Sic, ut hoc utar, Andr. Schottus in Adnotatt. ad Corn. Nepotis Attic. c. 18. citat Fastos, in quibus inter auctiora Triumvirorum nomina legatur: *C. Julius. C. F. C. N. Caesar. Octavian.*; sed Cannegieterus de Nom. Mutat. c. IV. p. 15. confitetur, illos Fastos frustra a se quaesitos et nusquam inventos esse. Omnino quod Dio Cassius Libr. XLVI. c. 47. dicit, usu receptum fuisse, ut, qui ab aliquo adoptatus fuisset, ab adoptante *τὴν μὲν ἄλλην πρόσρησιν* reciperet, *ἓν δέ τι τῶν προτέρων ὀνομάτων σχηματισθέν πως* servaret; id vehementer restringendum esse, recte monuit Fabricius ad h. l. N. 228. Vol. V. p. 501. Strz. et conferri jussit Petr. Fabrum Libr. I. Semestrium c. 14. p. 67. Idem Dio refert Libr. LV. c. 27., Tiberium, ab Augusto adoptatum, *Κλαυδιανὸν ἑαυτὸν ἀντὶ τοῦ Κλαυδίου, διὰ τὴν ἐς τὸ τοῦ Αὐγούστου γένος ἐκποίησιν, ὀνομάσαι.* Hujus quoque rei fides penes unum Dionem est, adnotante Fabricio N. 219. Vol. VI. p. 191. Apud serioris aetatis scriptores *Octaviani* nomen crebrius usurpari solet; sed citra usum et auctoritatem antiquitatis!

14) Illas Inscriptiones annorum ordine dispositas recepit Orellius Inscr. L. N. 596 sq. Vol. I. p. 155 sqq.

appellationis usu testatam faceret. Gentis Juliae, in quam adoptione transierat, memoriam propagavit coluitque sic, ut filiam unicam, opera a se exstructa, leges latas et colonias deductas nominaret *Julias*.

Cannegieterus de Nomin. Mutat. c. IV. p. 15. censet, Augustum, simulac debellato M. Antonio, partibus Julianis unus relictus esset dux rerumque jam solus potitus esse sibi videretur, unico *Caesaris* nomine usum esse. Quae opinio etsi nullum in promptu est testimonium, quo eam confirmem, tamen et mihi veri est simillima et cuivis, credo, videbitur, qui Augusti consilium studiumque regni affectandi consideraverit. Non latebat eum, quam gratiosum illud esset apud populum, quanta in eo majestas inesset et quam arcana vis, qua jam significare coepisset eum, cui ut aliquando solus populo rerumque administrationi praeesset, fatale esset.[15])

Julio Caesari, victori ex Hispania reduci, a Senatu adulatore immensi humanoque fastigio ampliores decreti fuerant honores, quos inter Suetonius Jul. Caes. c. 76. ponit praenomen *Imperatoris*. Ac de eodem loquens decreto Dio Cass. Libr. XLIII. c. 44. addit: *καὶ τοσαύτῃ γε ὑπερβολῇ κολακείας ἐχρήσαντο, ὥστε καὶ τοὺς παῖδας τούς τε ἐγγόνους αὐτοῦ οὕτω καλεῖσθαι ψηφίσασθαι κ. τ. λ.* Illo igitur decreto illud Praenomen hereditarium factum erat et, cum Julius Caesar liberis legitimis careret, assumi illud poterat ab Augusto, qui sub conditione nominis ferendi adoptatus fuisset. At idem Dio Cassius Libr. LII. c. 40. inducit Maecenatem in ficta illa oratione pollicentem Augusto: *δώσουσι μέν σοι τὴν τοῦ αὐτοκράτορος* (sc. *κλῆσιν*), *ὥσπερ καὶ τῷ πατρί σου ἔδωκαν*, et ejusdem Libri c. 41. expressis verbis narrat, Augustum eo anno, quo Consul V. fuerit, h. e. anno U. C. 725. s. 29. nomen Imperatoris assumpsisse, non quale antiquitus honoris caussa impertiri soleret ducibus hostium victoribus, sed quo significaretur summa imperii, *τὸ κράτος, ὥσπερ τῷ πατρὶ αὐτοῦ τῷ Καίσαρι καὶ τοῖς παισὶ καὶ τοῖς ἐγγόνοις ἐψήφιστο.*[16]) Mirari subit, cur Augustus illud jure hereditatis non adsciverit cum nomine Caesaris, si non Brundisii, certe Romae confirmata per legem curiatam adoptione. Drumannus in Hist. Rom. Vol. III. p. 661. N. 93. ejus rei caussam in eo ponit, quod illud Senatus decretum rerum turbis Dictatoris caedem insecutis irritum fuisset. Id mihi, pace Viri eximii dixerim, secus videtur.

Notissimum est et a multis declaratum, vocabulum *imperatoris* apud Romanos temporum successu trifariam acceptum fuisse.[17]) Primum significabat quemcumque exercitus ducem, qui suis auspiciis rem gereret et imperium, id est, jus belli gerendi haberet. Deinde ducem victorem designabat, qui hostibus magno proelio fusis, militum acclamatione eo nomine affectus esset. Acclamationem militum sequi debebat approbatio Senatus decreta supplicatione. Quo facto licebat duci victori nominibus suis addere titulum *Imperatoris*, quo tamen titulo illi neutiquam aliquod novum jus, sed honos tantum impertitus est ob propulsa a finibus pericula, quae saluti Populi Romani imminerent.[18]) Jam cuivis planum erit, Augustum, cum hereditatem adire constituisset, nomen illud neutro significatu adsciscere potuisse quin non tam odium quam risum omnium sibi conflaret. Postquam autem, Cicerone suadente, a Senatu decretum fuerat, ut, quas tum privatus collegerat, legionibus praeesset ac pro Praetore bellum contra M. Antonium gereret, imperator erat priore illius vocabuli notione h. e. dux exercitus, in quo Senatus Populusque publicae salutis spem reponebat. Sed data simul ei erat facultas promerendi honorem illius tituli, quo dux victor a militibus salutari solebat. Itaque Cicero Philipp. XIV. c. 10. de Augusto Propraetore: „*cui quum imperium dabamus, eodem tempore etiam spem nominis ejus* (i. e. Imperatoris) *deferebamus.*“ Atque devicto ad Mutinam M. Antonio fugatoque, non solum Hirtius et Pansa Consules, sed etiam Augustus Propraetor, a militibus *Imperatores* salutati sunt isque titulus a Senatu decretis 50. dierum supplicationibus confirmatus, suadente Cicerone Philipp. XIV. c. 9—14. cl. Dione Cass. Libr. XLVI. c. 38. Hunc igitur titulum, quem Cicero virtutis et victoriae nomen esse dicit, Augustus primum tulit mense Aprili a. U. C. 711. s. 43. nec potest dubitari quin eum more recepto usurpaverit.[19])

---

15) Nomen *Caesaris*, proprium gentis Juliae, non constat quis Juliorum primus sibi imposuerit. De qua re, sicut de illius nominis etymologia diversas veterum scriptorum sententias collegit et examinavit Drumannus in Hist. Rom. Vol. III. p. 115 sq. cf. Doederlinius in Synon. et Etym. P. III. p. 17. Nobilitavit hoc nomen omnium primus C. Julius Caesar Dictator et per adoptionem ad Augustum translatum tantam per eum accepit majestatem ac vim historicam, quantam nullum aliud accepisse et per saeculorum decursum retinuisse novimus. Vere Spartianus in Ael. Vero c. I. appellat „*clarum et duraturum cum aeternitate mundi nomen.*“

16) Sturzius h. l. edidit *τοῖς ἐκγόνοις*, licet supra Libr. XLIII. c. 44. retinuisset lect. *τοὺς ἐγγόνους*. De utroque vocabulo subtiliter disseruit C. E. Chr. Schneiderus ad Platonis Polit. Libr. II. Vol. I. p. 131., quem ego secutus altero quoque Dionis loco *τοῖς ἐγγόνοις* scribendum esse censui, si quidem utroque loco de eadem re sermo est.

17) Ut ne eos hic nominem, quos Fabricius ad Dionis Cass. Libr. XLIII. c. 44. N. 222. Vol. V. p. 392. Strz. et Creuzerus in *Grundriss d. Roem. Alterth.* §. 188. p. 290. memorarunt, satis erit, praeter Eckhelii singularem Tractatum de Nomine Imperatoris in D. N. P. II. Vol. 8. p. 343—354. appellasse Phil. Eduard. Huschkium ad *Incerti Auctoris Magistratuum et Sacerdotiorum P. R. Expositiones Ined.* (*Vratisl.* 1829.) p. 77—88., quo nemo subtilius et doctius ea de re scripsit.

18) Omnis vis et significatio illius tituli redit ad primitivam propriamque v. *imperii* notionem, quam peracute explanavit Huschkius l. c. p. 79 sqq. Quodsi autem Vir doctissimus p. 85. contendit, nomen *imperatoris* nonnunquam accepisse eos, qui aliquam provinciam cum imperio obtinuissent ibique sine armorum usu et hostium caede imperium P. R. incolume servassent, id certe non cadit in C. Octavium, Augusti patrem, a quo Bessos et Thraces magno proelio fusos esse auctor est Suetonius Aug. c. 3.

19) Tacitus Ann. Libr. I. c. 9. et Dio Cassius Libr. LII. c. 41. tradunt, Augustum *semel et vicies* hoc nomen victoriis par-

Verum tamen mirum quemvis habeat necesse est, quod, ut Eckhelius in D. N. P. II. Vol. 6. p. 82. docet, Numi occurrunt intra annos U. C. 715—718. signati, in quibus non tantum: CAESAR. IMP. III. VIR. R. P. C., sed etiam: IMP. CAESAR DIVI F. III. VIR legatur et nomen *Imperatoris* nunc postpositum, nunc praepositum nomini *Caesaris* reperiatur: qua in re subdubito agnoscere opificis monetarii arbitrium quoddam et licentiam, ut statuere videtur Drumannus in Hist. Rom. Vol. III. p. 661. N. 98. Accedunt alia monumenta, in quibus, ut hic silentio praetermittam Tabulam Capuanam apud Pighium Ann. R. Tom. III. p. 494 sq. et apud Gruterum I. Th. p. CCIC. N. 1., magnae inprimis auctoritatis est Marmor Romae in aedibus Colotianis inventum, cujus partem ex Grutero p. CCXCVIII. N. 1. dederunt Eckhelius in D. N. P. II. Vol. 6. p. 70. atque Orellius Inscr. L. N. 594. In ea inscriptione notatum legimus, quo die Triumviratus initus fuerit et quo die primum exierit, his verbis: — —· EMILIUS. M. ANTONIUS. IMP. CAESAR. III. VIR. R. P. C. EX. A. D. V. KAL. DEC. AD. PR. CAL. JAN. SEXT. h. e. ex ante diem Kal. Dec. (U. C. 711.) ad pridie Kal. Jan. Sextas (U. C. 716.): quem numerandi modum illustrat Orellius.[20]) Sciens praetereo hic Inscriptionem apud Gruterum p. CLXVI. N. 6. utpote dubiae ea in caussa fidei testem, ut, contra Eckhelium in D. N. P. II. Vol. 8. p. 330., ostendit Orellius Inscr. L. N. 595. Atqui haec prolata a me monumenta, quae pariter ac Numi illi, quos Eckhelius descripsit, ad Augusti Triumviri tempora pertinent, adversa fronte repugnant Dioni Cassio narranti, praenomen illud ab Augusto assumptum demum esse a. U. C. 725. s. 29., atque alius testimonio Marmoris, quod Romae a se visum vulgavit Pighius A. R. Tom III. p. 503. et ex Grutero p. CCXXVI. N. 5. repetiit Orellius Inscr. L. N. 596.:

SENATUS POPULUSQUE ROMANUS.
IMP. CAESARI DIVI JULI F. COS. QUINCT.
COS. DESIGN. SEX. IMP. SEPT.
REPUBLICA CONSERVATA.

In hac Inscriptione, quam ad annum U. C. 725. s. 29. pertinere certum est, legitur vocabulum *imperatoris* ut honoris titulus, duci victori tributus, et simul tamquam praenomen, quale Julio Caesari concessum fuerat: quo testimonio Dionis fides mirifice communitur. Neque hercle est quod eam in dubium vocemus. Augustus in Urbem rediit mense illius anni Sextili.[21]) Jam si audimus Ovidium Fast. Libr. IV. v. 673 sqq. scribentem:

Hanc quondam Cytherea diem properantius ire
Jussit et aetherios praecipitavit equos,
Ut titulum imperii quam primum luce sequenti
Augusto juveni prospera bella darent:

collato Dionis testimonio efficietur, ut *Imperatoris* praenomen a Senatu Augusto decretum fuisse dicamus die XVI. Aprilis anni U. C. 725., quo Urbe adhuc abesset, atque illud ab eo, ut Dio ait, receptum et inde ab hoc tempore constanter usurpatum esse. Neque me dubium incertumque ea in caussa reddunt Numi isti per Triumviratus tempora signati. Nam quum Augusti juvenis versutum ingenium mecum reputo animumque ambitiosissimum, quo quidquid ornamenti et honoris avunculus habuerat, id omni labore ac studio consequi contenderet, non possum non facere cum Eckhelio ex istius κόμματος Numis in D. N. P. II. Vol. 6. p. 83. colligente, juvenem illum simulac Triumviratu inito satis potens sibi visus esset, sua sponte proprioque ausu usum esse privilegio, quod a Senatu patri ejusque posteris datum esset. Ac si nonnumquam in Numis eo abstinuit, quis est quin id callide ab eo factum esse dicat? Probe enim sensit, illud nomen haudquaquam populare et, quoad collegae, M. Antonius et M. Lepidus viverent rerumque constituendarum socii essent, ne aptum quidem ipsius loco et potentiae esse atque accommodatum. Proinde, dum illud nunc usurpabat nunc omittebat, civium explorabat animos, eos caussae paternae subinde admonebat et, quo sua consilia spectarent, tecte indicabat. Ea inita ratione poterat sperare, futurum esse, ut sibi quoque, rebus prospere gestis, illud privilegium quandocumque attribueretur. Nec spes eum fefellit. Quemadmodum enim Julio Caesari Urbe absenti illud praenomen nova plane significatione a Senatu adulatore decretum est oppressis in Hispania Pompejanis; sic Augusto item Roma absenti illud, debellato M. Antonio, Senatus consulto, quod d. 16. Aprilis a. U. C. 725. s. 29. factum esse ostendimus, concessum est. Fuit autem illud praenomen, quod vel collocatione opponebatur titulo victoriis parto, summi fastigii insigne. Ab Dione Cassio illius vis promiscue declaratur vv. κράτος, ἀρχή, αὐτοτελὴς ἐξουσία i. e. summa potestas in Urbe et in Provinciis et, quod

tam accepisse. Cum enim rerum solus potitus esset, usu venit, ut honos victoriarum, quas Legati sub ejus auspiciis reportaverant, ipsi accederet, ut docuit Eckhelius in D. N. P. II. Vol. 8. p. 345 sq., quocum conferatur Huschkius libr. c. p. 84. ejus moris rationem explicans. Caeterum Taciti et Dionis testimonium firmatur Numorum assensu: videsis, quos profert Fabricius ad Dionis l. c. N. 124. Vol. VI. p. 54. Strz.

20) Marmor istud margine detruncatum habet modo litteras —*emilius*, sub quibus „*Lepidus Aemilius*" (i. e. M. Aemilius Lepidus) latere certum est, ut jam monuit Pighius Tom. III. p. 474. Orellius illas litteras, lectore non monito, plane omisit ac tantum monuit, Antonii nomen erasum esse.

21) Hoc certe mense actos esse tres triumphos curules, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum, auctore Suetonio c. 22. probat ex Kalendario Antiatino Eckhelius in D. N. P. II. Vol. 6. p. 79.

cum ea conjunctum est, jus vitae ac necis.[22]) Hinc etiam intelligitur, qui factum sit, ut Augustus, simulac victor et unicus partium Julianarum dux in Urbem cum legionibus victricibus reversus esset, nollet *Imperatoris* nomine et auctoritate perdifficile rerum constituendarum opus aggredi: cuncta enim discordiis civilibus fessa nomine *Principis* sub imperium accepit, ut ait Tacitus Ann. Libr. I. c. 1. et 9. Id nomen blande fallax et ex liberae reipublicae temporibus mutuatum plus dignitatis quam potentiae significabat erarque in honorum titulis nihil offensionis habentibus. Auctore Dione Cassio Libr. LIII. c. 1., Augustus, cum Consul VI., assumpto M. Agrippa collega, censuram ageret, Princeps Senatus, *Πρόκριτος τῆς γερουσίας*, renuntiatus est a. U. C. 726. s. 28. Id quum antiquo more factum esse videretur, in hoc titulo haud invitus acquievit nota sua modestiae simulatione nescio dicam an metu odii, et lubenter se per totam vitam eo nomine salutari appellarique passus est accepto jam dudum nomine splendidiore sibique gratiore.[23])

Nam principio a. U. C. 727. s. 27., quo ipse VII. cum M. Agrippa III. Consulatum inierat, in Senatu habuit simulatam illam orationem, qua prae se ferebat imperio se abdicaturum esse. Mimus ille, quem tum agere coepit, eam vim habuit, ut precibus compulsus et invitus videretur suscepisse imperii decennis onus. Quo longius autem Romanos a regni suspicione abduceret, multa de provinciis cum Senatu communicandis aliisque rebus constituendis pollicitus fuerat, de quibus copiose Dio Cass. Libr. LIII. c. 12 sqq. agit et c. 16. pergit: *ἐπεὶ δὲ καὶ τῷ ἔργῳ αὐτὰ ἐπετέλεσεν, οὕτω δὴ καὶ τὸ τοῦ Αὐγούστου ὄνομα καὶ παρὰ τῆς βουλῆς καὶ παρὰ τοῦ δήμου ἐπέθετο. Βουληθέντων γὰρ σφῶν ἰδίως πως αὐτὸν προσειπεῖν, καὶ τῶν μὲν τὸ, τῶν δὲ τὸ καὶ ἐσηγουμένων καὶ αἱρουμένων, ὁ Καῖσαρ ἐπεθύμει μὲν ἰσχυρῶς Ῥωμύλος ὀνομασθῆναι· αἰσθόμενος δὲ ὅτι ὑποπτεύεται ἐκ τούτου τῆς βασιλείας ἐπιθυμεῖν, οὐκέτ' αὐτοῦ ἀντεποιήσατο, ἀλλὰ Αὔγουστος, ὡς καὶ πλεῖόν τι ἢ κατὰ ἀνθρώπους ὤν, ἐπεκλήθη. Πάντα γὰρ τὰ ἐντιμότατα καὶ τὰ ἱερώτατα, αὔγουστα προσαγορεύεται. Ἐξ οὗπερ καὶ Σεβαστὸν αὐτὸν καὶ ἑλληνίζοντές πως, ὥσπερ τινὰ σεπτὸν ἀπὸ τοῦ σεβάζεσθαι, προσεῖπον.* Vellejus Paterculus Libr. II. c. 91. §. 1. narrat, *Augusti* cognomen ei Planci sententia et consensu universi Senatus Populique Romani inditum esse. Quocum facit Suetonius c. 7., qui addit: „quum, quibusdam censentibus, Romulum appellari oportere, quasi et ipsum conditorem Urbis, praevaluisset, ut Augustus potius vocaretur, non tantum novo, sed etiam ampliore cognomine."[24]) De anno, quo id in Senatu actum est, cum Dione consentit Censorinus de D. N. c. 21. §. 8.: „ex ante diem decimum sextum Kal. Februarii Imperator Caesar D. F., sententia L. Munatii Planci, a Senatu ceterisque civibus Augustus appellatus est, se VII. et M. Vipsanio Agrippa III. Coss."; de die autem ingens est dissensus. Censorinus ponit d. 17. Januarii. Ovidius Fast. Libr. I. v. 587. affigit Idubus Januariis h. e. diei 13. Januarii, quum Caesari Germanico scribit:

Idibus in magni castus Jovis aede sacerdos
Semimaris flammis viscera libat ovis:
Redditaque est omnis populo provincia nostro,
Et tuus Augusto nomine dictus avus.

Orosius Libr. VI. c. 20. refert ad d. VIII. Idus Januarias h. e. d. 6. Januarii. Contra in tabula votiva arae Augusto a. U. C. 764. s. post Chr. n. 11. Narbone positae, quae est ap. Gruterum p. CCXXIX, et ap. Orellium Inscriptt. N. 2489. Vol. I. p. 433., dies 7. Januarii his verbis signatur: „VII. QUOQUE IDUS JANUAR.

---

22) Idem Dio Cassius quum Libr. LIII. c. 17. dicit, Caesares eo praenomine usos esse *πρὸς δήλωσιν τῆς αὐτοτελοῦς σφῶν ἐξουσίας ἀντὶ τῆς τοῦ βασιλέως τοῦ τε δικτάτωρος ἐπικλήσεως*, non satis accurate ac definite scripsit et in fraudem induxit Casaubonum et Ruhnkenium in Schol. ad Suetonii Jul. Caes. c. 76. aliosque. Nam potestas, quae cum illo Praenomine conjuncta erat, nihil quidquam commune habebat cum Imperio regum, nedum cum Dictatura, ut acute docuit Huschkius libr. cit. p. 86 sqq.

23) Id mihi videor colligere posse ex Horatii Libr. I. Od. 2. v. 50.: „*Hic ames dici Pater atque Princeps;*" Od. 21. v. 14.: „*a populo et Principe Caesare:*" cl. Libr. II. Epist. 1. v. 256. — Atque Ovidius Fast. Libr. II. v. 141. alloquitur Romulum cum Augusto compositum:

Vis tibi grata fuit, florent sub Caesare leges:
Tu Domini nomen, Principis ille tenet.

Nam ab ipso Augusto, quem vidimus ab initio *Principem Senatus* antiqua significatione appellatum esse, nomina *Principis* et *Principatus* ita jam usurpari coepta sunt, ut illud opponeretur *regi*, hoc *regno*: cf. Sueton. Calig. c. 22. et praeter Intpp. ad Taciti Ann. Libr. I. c. 1. et Fabricium ad Dionis Cass. Libr. LIII. c. 1. N. 8. Vol. VI. p. 59. St., inprimis Masson in Vit. Horat. p. 244 sqq. et Dacerii *Réponse à la Critique de M. Masson* in Opp. Horat. Vol. I. p. 180—188.

24) Senatum solum eo nomine commemorat ipse in Monum. Ancyr. Tab. III. a dextr. v. 16. in Chishulli Antiq. Asiat. p. 176., non *L. Munatium Plancum*, cui bellorum civilium desultori et maximo adulationis artifici procul dubio noluit ulla gratia obstrictus videri. De isto homine graviter ac sincere judicavit Drumannus in Hist. Rom. Vol. IV. p. 207 sqq. Inscriptionem Tiburtinam, quae ad eum spectat, a Sicklero accuratissime descriptam edidit Braunhardus in Ind. Horat. Fasc. II. p. 178. — Caeterum in Suetonii vv. *non tantum novo, sed etiam ampliore cognomine* aliquid vitii latere suspicatur Oudendorpius, partim lectionis in v. *tantum* discrepantia adductus, partim quia a nominis novitate nemo veterum id cognomen commendaverit. Ex Editt. Roman. exsulat v. *cognomine.* Inde conjecit legendum esse: *praevaluisset, ut A. potius vocaretur nomine novo, sed etiam ampliore* vel *nomine ut novo, sic etiam ampliore.* At vereor, ne sic ipse Suetonius, non librarius corrigatur. Vocabulum *cognomine* flagitatur a vv. *Augusti cognomen assumpsit,* et hoc cognomen *novum* erat h. e. a nemine ante Augustum gestum, incognitum adhuc gentibus Romanis idque simul caeteris amplius. Quodsi vox *tantum* suspecta est Codd. dissensu, poterit omitti per ellipsin intelligenda, judice ipso Oudendorpio p. 160.

QUA DIE PRIMUM (sic) IMPERIUM ORBIS TERRARUM AUSPICATUS EST." Hujus tabulae fidem amplexus est Lipsius ad Taciti Ann. Libr. I. c. 9. Istum scriptorum in definiendo die dissensum Fabricius ad Dionis Libr. cit. N. 106. Vol. VI. p. 73. Strz. ita tolli posse censet, ut Augustum ponamus imperium suscepisse die 7. Januarii, deinde die 13. ejusdem mensis provincias populo reddidisse, quod Dio verbis: *ἐπεὶ δὲ καὶ τῷ ἔργῳ αὐτὰ ἐπετέλεσεν* indicaverit, denique die 17. ejusdem mensis nomen *Augusti* a Senatu Populoque sibi tributum accepisse. Censorino igitur ea in re fidem adjungit Fabricius. Verum tamen multo potior auctoritas est Fastorum a Verrio Flacco ordinatorum, in quibus illud factum d. XVII. Kal. Februar. h. e. diei 16. Januarii assignatur: vid. Fogginius ad Fast. Praenest. Reliq. p. 13 sq. Hoc testimonium auctoris aequalis omnium fide dignissimum judicat Eckhelius in D. N. P. II. Vol. 6. p. 88.

Unus Dio Cassius memoriae prodidit, Augustum ipsum vehementer optasse, ut *Romulus* appellaretur, sed metuentem de suspicione regni affectati praetulisse *Augusti* nomen. Valde dubito, num ei data fuerit optio alterius utrius nominis. In Senatu disceptatum est de alterutro cognomento, ut contestatur etiam Florus Libr. IV. c. 12. §. 66.: „Tractatum etiam in Senatu, an, quia condidisset imperium, Romulus vocaretur: sed sanctius et reverentius visum est nomen Augusti." Atque in *Romuli* nomen facile poterant incidere Senatores reminiscentes, Augusto augurium consulatu primo capienti duodecim se vultures, ut olim Romulo, ostendisse, eique veluti Romuli auspiciis novam urbem ac regnum conditurо signum dedisse, ut verbis utar Suetonii c. 95. et Julii Obsequentis de Prodig. c. 129. Cf. Fabricius ad Dionem Cass. Libr. XLVI. c. 46. N. 219. Vol. V. p. 500. Strz.[25]) Neque absonum fuerit statuere, ea in re praeivisse poetas, qui illi vel Triumviro aliqua officiorum ac liberalitatis ratione obligati essent. Nam Virgilius Georg. Libr. III. v. 27.

In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto
Gangaridum faciam, victorisque arma Quirini:

non est dubium quin *Quirini* nomine Augustum voluerit intellectum.[26]) Veri igitur est simillimum, eam rem in Senatu actam esse, Augusto non praesente, atque aliis alia referentibus suadentibusque nomina, obtinuisse Planci sententiam, qua ille cognominatus est *Augustus:* quod cognomen non tantum novum et caeteris amplius, sed sanctius etiam ac reverentius visum est.

De originatione hujus cognominis dicturo mihi ut liceat esse brevissimo, cum aliorum, quos laudat Fabricius ad Dionis Cass. Libr. LIII. c. 16. N. 108. Vol. VI. p. 74. St., tum inprimis diligentia facit ac doctrina Eckhelii in D. N. P. II. Vol. 8. p. 354 sqq. Prae caeteris autem animum meum advertunt ista verba, quae ap. Suetonium Aug. c. 7. in Codd. et Editt. vulg. vv. *ampliore cognomine* subjecta leguntur: *quod loca quoque religiosa, et in quibus augurato quid consecratur, augusta dicantur, ab auctu vel ab avium gestu gustuve, sicut etiam Ennius docet scribens:*

„Augusto augurio postquam inclita condita Roma est."

Totum hunc locum licet jam dudum Criticorum obelis confossum sine ulla dubitatione pro genuino Eckhelius accepit.[27]) Jam fuerunt qui verba ista *ab auctu* ita probarent, ut *Augusti* nomen a v. *augendi* derivarent mirificas hujus cognominis notiones commenti. Non est hujus loci eas commemorare singulas, praesertim cum dudum explosae sint ab Jo. Fr. Gronovio, cujus disputationem juris publici fecit illius filius, Laur. Theod. Gronovius in Marmorea Basi, quae inserta est Jac. Gronovii Thesaur. Antiq. Graec. Vol. VII. Cap. VII. p. 460 sqq. Hoc *ἔτυμον*, ab Eckhelio quoque rejectum, sed adoptatum nuper a Freundio in Lexic. sub h. v., fatendum est nequaquam omni auctoritate destitutum esse: cf. Doederlinii Synon. et Etym. P. V. N. 184. p. 172. Sic, ut hoc utar, Isidorus Hispalensis Etymol. Libr. IX. c. 3. N. 16. Tom. III. Opp. p. 422. ed. Areval. scribit: *„Augustus ideo apud Romanos nomen imperii est eo quod olim augerent rempublicam amplificando. Quod nomen primo Senatus Octaviano Caesari tradidit, ut, quia auxerat terras, ipso nomine et titulo consecraretur."*

---

25) Idem Dio Cassius Libr. LIII. c. 16. domum Augusti in monte Palatino sitam ait aliquid splendoris accepisse propterea, quod ibi quondam Romulus habitasset: v. Fabricius ad h. l. N. 105. Vol. VI. p. 72. St.

26) Id ut verum sit, valde tamen dubito, num quidquam ex hac Augusti appellatione colligi possit de annis, quibus Georgica aut emendata aut aucta fuerint. Quidni enim Virgilius Augustum insignire poterat *Quirini* nomine, antequam illa res in Senatu acta esset? Quum ille collapsum imperium instauraturus esse videretur, *conditor* erat imperii dicique poterat *Romulus alter:* v. Intprr. ad Flori Libr. I. c. 3. §. 1. et IV. c. 12. §. 66. itemque Ruhnkenii Scholia ad Sueton. Aug. c. 7. p. 126. — Servius autem, qui Virgilii Aeneid. Libr. I. v. 292.: *Aspera tum positis mitescent saecula bellis, Cana Fides, et Vesta, Remo cum fratre Quirinus Jura dabunt:* nomine *Quirini* Augustum significatum et *Remum* pro Agrippa positum esse dicit, mirifice allucinatus est, ut jam Burmannus ad h. l. et Heynius in Excurs. IX. ad Aeneid. Libr. I. admonuerunt. Omnino quae ad utrumque Virgilii locum in Commentariis Servianis de Augusti nominibus tamquam ex Suetonio ducta hodie leguntur, tam parum sani continent, ea ut vix credi possit ab ipso Servio profecta esse. Similes de eisdem nominibus nugas legimus ap. Laurentium Lydum de Mensibus IV. c. 1. §. 72. p. 271. R.

27) Id valde mirum me habet, si quidem verba ista jam Gujetus insiticia esse censuit, assentiente Graevio. Inde nemo Editorum exstitit quin ea insulsa et Suetonii ingenio et doctrina indigna judicaret. Sunt ea ex Paulo, Verrii Flacci sive Festi epitomatore, assuta verbis Suetonii, ut pluribus docuit Cannegieterus in Observatt. Miscellan. Vol. VI. Tom. 3. p. 598 sqq., cui adstipulatus Oudendorpius ea uncinis inclusit, sequentibus Wolfio et Baumgarten-Crusio. Paldamus ea nuper plane induxit et textu ejecit. Id licet audacius factum esse concedam, tamen O. Müllero, genuinam eorum originem defendere conanti ad Sext. Pompej. Festum p. 1. assentiri nequeo.

EXCURSUS II.

DE

AEDE HERCULIS MUSARUM

EJUSQUE CONDITORE.

Inter eximia Augusti in Urbem merita etiam hoc ponit Vellejus Pat. Libr. II. c. 89. §. 4.: „Principes viri, triumphisque et amplissimis honoribus functi, hortatu Principis, ad ornandam Urbem illecti sunt.“ Quae quidem publica munificentia non subsistebat intra Augusti imperium, sed, aemulatione excitata, etiam sub Tiberio adhuc in more erat, auctore Tacito Ann. Libr. III. c. 72. qui, commemorato Lepido quodam ab Senatu petente, ut basilicam Pauli, Aemilia monumenta, propria pecunia firmaret ornaretque,[1]) addit: „nec Augustus arcuerat Taurum, Philippum, Balbum hostiles exuvias aut exundantes opes ornatum ad Urbis et posterûm gloriam conferre.“ Quo in loco *exuvias hostiles* ad Taurum et *exundantes opes* ad Philippum et Balbum referendas esse aliunde colligi licet. Caeterum Vellejo et Tacito disertior ea de re testis est Suetonius Aug. c. 29., ubi, enumeratis operibus publicis, quibus Augustus ipse Romam pro majestate imperii ornasset, sic pergit: „sed et caeteros principes viros saepe hortatus est, ut pro facultate quisque monumentis, vel novis vel refectis et excultis, Urbem adornarent. Multaque a multis exstructa sunt: sicut a Marcio Philippo aedes Herculis Musarum; a L. Cornificio aedes Dianae; ab Asinio Pollione atrium Libertatis; a Munatio Planco aedes Saturni; a Cornelio Balbo theatrum; a Statilio Tauro amphitheatrum; a M. vero Agrippa complura et egregia.“ Inter principes illos prae caeteris animum hic in se convertit nostrum *Marcius Philippus* ejusque *Aedes Herculis Musarum*, de qua diligentius agamus.[2])

De Herculis apud Romanos cultu, pervetere et ad Evandri tempora revocando, nihil attinet hic dicere. Quicumque ea de re scripserunt diversissima licet commentati, in eo tamen consentiunt, *Herculem Musarum* sive *Musagetam* serioris esse originis atque ejus notionem et cultum apud Romanos saeculo demum post Urbem conditam sexto videri natum esse. Id ut statuerent Viri Docti, quod sciam, omnes inducti sunt ab Eumenio, saeculi post Chr. n. tertii Rhetore, qui in Orat. pro Restaurandis Scholis c. 7., praedicaturus Constantii Chlori Caesaris liberalitatem §. 2. ait: „Quarum enim artium sive animi affectionum magnis hominibus ingeneratus ardor fuit, earum consecrata exsistere ad posteros monumenta voluerunt. Aedem Herculis Musarum in Circo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia censoria fecit, non id modo secutus, quod ipse litteris et summi poetae amicitia duceretur, sed quod in Graecia, cum esset imperator, acceperat, Herculem Musagetam esse, id est, comitem ducemque Musarum; idemque primus novem signa, hoc est, omnium Camenarum, ex Ambraciensi oppido translata, sub tutela fortissimi numinis consecravit: ut res est, quia mutuis opibus et praemiis juvari ornarique deberent: Musarum quies defensione Herculis, et virtus Herculis voce Musarum.“ Prudens adscripsi totum Eumenii locum, utpote hac in caussa plurimum auctoritatis nactum: in quo tamen haud pauca sunt quae mihi singula inquirenti scrupulum ac dubitationem injiciant et, productis comparatisque antiquioris aetatis scriptoribus pro testimonio dicentibus, omnem istius oratoris narrationem et fidem vehementer suspectam reddant.

Nam primum quum Eumenius dicit, Herculem Musagetam a Fulvio Nobiliore in Graecia, cum imperator esset, acceptum et cognitum esse, dubitari nequit quin rem suopte excogitatam ingenio exornatamque proposuerit nullius testimonio scriptoris confirmandam. Graecis notus erat Apollo *Μουσηγέτης* (v. Lobeck. ad Phrynich. p. 430.), non item Hercules: is quidem, admonente Heynio in Opusc. Acad. Vol. II. p. 305., a serioris aetatis artificibus et poetis lyram intendens ac pulsans fingitur ac describitur, sed a nemine umquam Graecorum veterum tamquam *Μουσῶν ἐπιστάτης* vel, ut Eumenius ait, Musarum comes et dux aut nominatus aut ab ullo artifice effictus est.[3])

---

1) Lipsius mihi videtur non temere urgere Plur. *Aemilia monumenta*, ut liquet ex eis, quae de illo opere publico scripserunt Sachsius in Hist. et Topogr. Urbis Romae P. I. p. 612 sqq. ac Drumannus in Histor. Rom. Vol. I. p. 7. 9. 11. cl. Vol. IV. p. 276.

2) In Suetonii Editt. aliq. vett. legitur: *Herculis et Musarum*, neque ego copulam per se ineptam judicaverim, licet nolim firmari eam auctoritate Plutarchi Quaest. Rom. c. 59. *διὰ τί κοινὸς ἦν βωμὸς Ἡρακλέους καὶ Μουσῶν:* si quidem dubito, num v. *βωμός* h. l. de templo recte intellexerint Torrentius ad Suetonii Aug. c. 29. et Wyttenbachius ad Plutarch. Animadv. Vol. II. P. I. p. 40. Principes Editorum Suetonii copulam, quam Servius ad Virgil. Aen. Libr. I. v. 8. etiam habet, jure deleverunt auctoritate Codicum et testimonio Inscriptionum et Numorum, de quibus conf. Oudendorpius ad Sueton. l. c. et Eckhelius in D. N. P. II. Vol. 5. p. 283. Cf. Millini Gall. Myth. Tab. CVIII. N. 473.

3) De *Apolline Musageta* conferatur O. Müllerus in libr. *Handbuch der Archaeologie der Kunst* (ed. 2. Bresl. 1835.) §. 361. N. 4. idemque de *Hercule Citharoedo* §. 410. N. 9. Heynii

visse. At Eumenius tamen expressis verbis affirmat, novem Musarum signa ex Ambraciensi oppido Romam a Fulvio primum translata esse et sub tutela fortissimi numinis, Herculis, consecrata. Jam Musarum mentionem faciunt etiam duo alii scriptores de belli istius Aetolici praeda ac manubiis loquentes. Spectat huc notissimus ille locus Ciceronis pro Arch. Poet. c. 11. §. 27.: „Decimus quidem Brutus, summus ille vir et imperator, Attii, amicissimi sui, carminibus templorum ac monumentorum aditus exornavit suorum. Jam vero ille, qui cum Aetolis, Ennio comite, bellavit, Fulvius, non dubitavit Martis manubias Musis consecrare.“ In quo tamen loco haud diffiteor mihi videri oratorem non satis enucleate locutum esse. Nam quocumque significatu vv. „*Martis manubias*“ accipis, ambiguum est atque obscurum, sitne cogitandum de aede aliqua de manubiis condita Musis, an de ornamentis tantum quibusdam in bello captis, quae Fulvius in aliquo loco Musis sacra esse voluerit. Posteriorem sententiam suadere videtur ipse Cicero, quum statim addat, imperatores prope armatos poetarum nomen et Musarum delubra coluisse: manifestum enim est, vv. „*poetarum nomen*“ ad D. Brutum respici, et ad Fulvium referri debere vv. „*Musarum delubra.*“ Eamdem rem attingit Plinius N. H. Libr. XXXV. c. 10. §. 66., ubi de Zeuxide ejusque operibus ait: „Fecit et figlina opera, quae sola in Ambracia relicta sunt, cum inde Musas Fulvius Nobilior Romam transferret. Zeuxidis manu Romae Helena est in Philippi porticibus et in Concordiae delubro Marsyas religatus.“ [9]) Plinius igitur memorat Musas a Fulvio Romam translatas, quarum de artifice nulla potest esse dubitatio. Totus enim hujus loci contextus flagitat, ut de solo Zeuxide cogitemus, qui cum non statuarius fuerit, sed pictor, sequitur, ut hic non signa Musarum, sed tabulas pictas intelligamus. Atque in praeda Fulvii Ambraciensi Polybius τὰς γραφάς, Livius et Aurelius Victor *tabulas pictas* [10]) nominatim proferunt. Jam vero quis est qui dubitet quin Musas illas a Zeuxide pictas cogitarit Cicero easque Martis manubiis designarit? Eas autem quum dicit a Fulvio Musis consecratas esse, quae tandem alia potest esse ejus mens, quam illas suspensas fuisse in aliquopiam Musarum delubro? Sic Fulvius recte dici poterat Martis manubias Musis consecrasse et imperator prope armatus Musarum templa coluisse. Quod Musarum delubrum apud Ciceronem intelligendum sit, supersedeo quaerere; [11]) id tantum admoneo, cum Ciceronis, tum inprimis Plinii testimonio confutari Eumenium, qui unus omnium scriptorum Musarum signa memorat a Fulvio Ambracia Romam advecta. [12])

Videndum nunc est de aede Herculis Musarum. Eam iste rhetor factam a Fulvio esse dicit non de belli Aetolici manubiis, ut quilibet exspectet, sed ex pecunia censoria. Fulvius ille Censor erat cum eodem M. Aemilio Lepido, quocum implacabiles adhuc exercuerat inimicitias, in Censurae autem initiis reipublicae caussa compositas, a. U. C. 575. s. 179. Ambo fideli concordia munus administrarunt suum. Postulantibus, ut pecuniae summa sibi, qua in opera publica uterentur, attribueretur, vectigal annuum decretum est, auctore Livio Libr. XL. c. 45. et 46. Id anni integrum vectigal ab Eumenio „pecuniae censoriae“ nomine significari, in aprico est. Jam Livius ibidem c. 51. accuratissime percenset opera publica, quae illi Censores ex pecunia attributa divisaque inter se confecerint magna et utilia, quae, Livio duce, copiosius exsecutus illustravit Sachsius in Hist. et Topogr. Urb. Rom. P. I. p. 511 sqq. Fulvii opera, ut ait Livius, plura quam Aemilii collegae fuerunt et majoris usus: „locavit enim portum et pilas pontis in Tiberim —; basilicam post argentarias novas et forum piscatorium, circumdatis tabernis, quas vendidit in privatum; et forum et porticum extra portam Trigeminam et aliam post navalia et ad fanum Herculis et post Spei ad Tiberim aedem Apollinis Medici.“ Quod a Livio hic simpliciter vocatur fanum Herculis, id haud dubie est *aedes Herculis Victoris*, quam in ea Urbis regione positam memorat Macrobius Sat. Libr. III. c. 6.: „Romae autem Victoris Herculis aedes duae

9) Zeuxidis *opera figlina*, quae Fulvius sine dubio ob vilitatem et fragilitatem in urbe Ambracia intacta reliquit, interpretatur Raoul-Rochettius in *Peintures antiq. inédit.* p. 118. *des figures en terre cuite:* de quibus videatur O. Müllerus in Archaeol. §. 305. p. 404 sqq.

10) Apud Livium Libr. XXXVIII. c. 43. legati Ambracienses inducuntur querentes, templa tota urbe a Fulvio spoliata *ornamentis*, in quibus noli dubitare *tabulas pictas* ponere cum Raoul-Rochettio in *Peint. antiq. inéd.* p. 121., ubi explicat *des peintures employées à l'ornement des temples, peintures sur bois:* cf. Böttigeri *Ideen zur Archaeologie der Malerei.* P. I. p. 282. Caeterum Plinius de illis Zeuxidis Musis ita loquitur, ut illius eas aetate jam interiisse appareat, si quidem tum Zeuxidis manu Helena modo et Marsyas Romae visebantur.

11) De Musarum συνεδρίᾳ in aede aliqua Herculis ne tenue quidem vestigium neque apud Ciceronem neque apud Plinium reperitur; quid, quod Cicero, commemorato Musarum delubro, Herculem velut Musarum σύνεδρον plane excludere videtur. Neque quidquam lucis praebent quae legimus in Commentariis Servii ad Virgil. Aen. Libr. I. v. 8.: „His (sc. Musis) Numa aediculam aeneam brevem fecerat, quam postea de coelo tactam et in aede Honoris et Virtutis collocatam Fulvius Nobilior in aedem Herculis transtulit: unde aedis Herculis et Musarum appellatur.“ Qui locus sive potius pannus Servii Commentariis assutus vereor ut desumptus sit et mentione templi Virtutis et Honoris auctus ex isto Eumenii loco c. 7. §. 1., de quo agimus. Ego ingenue fateor, me non intelligere, loco Serviano quid quantumve veri insit!

12) Subit mirari qui factum sit, ut Ciceronis Interpretes tantum non omnes, licet ipsos Plinii locus minime lateret, tamen mallent, unius Eumenii auctoritatem Pliniana multo leviorem secuti, cogitare de signis Musarum quam de tabulis pictis. Sed longe majorem mirationem facit quod, qui de his rebus data opera scripserunt Viri Docti, usi quidem ad unum omnes Plinii testimonio, tamen de statuis Musarum Ambraciensibus loquantur. Sic, ut A. Hirtium in Hist. Architect. Vett. P. II. p. 208., Jo. Gurlittum in Script. Archaeol. p. 368 sq., Ed. Jacobium in Lexic. Mythol. P. II. p. 429. aliosque praeteream, etiam O. Müllerus in Archaeol. §. 180. N. 2. sine ulla dubitatione non modo aedem Herculis Musarum a Fulvio conditam esse ait a. U. C. 573., sed adeo Musarum statuas, quae ex Ambracia Romam advectae in illa positae fuerint, *aeneas* dicit easque Polyclis fuisse suspicatur §. 393. N. 2. De Polycle statuario videsis Sillígii Catal. Artif. p. 360.

sunt: una ad portam Trigeminam, altera in Foro Boario." [13]) Priorem igitur illam aedem Herculis Victoris a Fulvio ex pecunia censoria porticu cinctam esse, testatur Livius: qui, cum aedem Apollinis Medici ab eodem Censore exstructam cum fide recensuerit, permirum esset, si de aede nova Herculi Musarum condita plane siluisset. Quid igitur fiet Eumenio? At is hanc aedem non ad portam Trigeminam, sed in Circo Flaminio a Fulvio Censore factam esse dicit. Qua in re pariter quemvis mirum suspensumque teneat Livii silentium. Is enim Libr. XXXIX. c. 5. diligentissime narravit, quid Fulvius eo die, priusquam triumphans in Urbem inveheretur, in Circo Flaminio egisset, sed de aede aliqua ibidem posthac ab eo condita ne verbum quidem usquam invenitur; imo ex accurata ejus operum a Fulvio Censore exstructorum descriptione apparet, hunc prae caeteris eam Urbis partem exornandam sibi sumpsisse, quae ad portam Trigeminam in regione Urbis XIII. sita esset.

Circus Flaminius in regione Urbis IX. antiquitate et usu proximus erat Circo Maximo et compluribus plenus monumentis ac templis, quae percensent Marliani in Urb. Rom. Topogr. Libr. V. c. 9., Donatus de Urbe Roma Libr. III. c. 14. apud Graevium Thes. Tom. III. p. 174 sqq. et p. 730 sqq. et inprimis Sachsius in Hist. et Topogr. Rom. P. I. p. 526 sqq. Qui quidem Viri Docti, antiquas ac fide dignas Urbis Romae topographias secuti aedem quamdam Herculis Musarum in Circo Flaminio memorant eamdemque unanimi consensu dicunt esse illam, quam Suetonius, Augusto imperante, a Marcio Philippo conditam esse referat. Cincta illa erat porticu, ut docet Martialis Libr. V. Epigr. 49. v. 12.:

Vites, censeo, porticum Philippi,
Si te viderit Hercules, peristi. [14])

Ab hac porticu Sachsius diversas esse suspicatur alias Philippi porticus, quas Plinius memoret, in eadem sitas Urbis regione. Contra Völkelius et Petersenius in una illa aedis porticu, praeter Zeuxidis Helenam, etiam celebratas illas Antiphili tabulas fuisse statuunt, quas laudat Plinius N. H. Libr. XXXV. c. 10. §. 66. et §. 114. Equidem cum Sachsio faciendum duco. [15]) Ut tamen cumque est, illud nullam videtur habere dubitationem, in illius aedis porticu Philippi fuisse signa Musarum. Ovidius enim, illam ipsam aedem cum porticu significans, scripsit A. A. Libr. III. v. 167.:

Nec rubor est emisse palam: venire videmus
Herculis ante oculos virgineumque chorum: [16])

quo in loco „*virgineus chorus*" inscite admodum, ut equidem puto, de Musis pictis accipitur.

Non est hujus loci ac temporis investigare, cujus artificis fuerint illae Musarum statuae, aut quo habitu cultuque Herculis simulacrum fuerit formatum; [17]) id autem quaeramus hic necesse est, num illa aedes a Philippo exstructa commune quid habuerit cum Fulvio Nobiliore? Omnes, quantum sciam, Viri Docti, qui ea de re scripserunt, Eumenii, rhetoris istius, fidei ac testimonio quasi mordicus adhaerescentes, si non affirmant, certe suspicantur, illam aedem Herculis Musarum cum porticu et signis Musarum primum a Fulvio Censore factam et per duorum ferme saeculorum decursum aut vetustate collapsam aut incendio deletam a Marcio Philippo refectam tantummodq et excultam esse. Verum tamen ego pauca quidem, sed certa rerum temporumque testimonia amplexus demonstrasse mihi videor, Eumenium non esse eum, quo quis auctore contra Livium et Plinium, qui istius rhetoris de Fulvio narrationi vel repugnantia vel plane contraria prodant, certo stare possit. Neque si tempora spectamus, quo ille Panegyrista vivebat, et consilium reputamus, quo illam orationem habebat, difficulter divinari potest, unde ista de Fulvio ejusque aede narratio orta ac conflata sit.

Quidquid tamen ejus rei est, quae sane in tanta testium paucitate ad liquidum vix perduci poterit, ego, rebus ac temporibus in utramque partem pensitatis, pro certo affirmare ausim, Aedem illam Herculis Musarum, quae Philippo conditori a Suetonio tribuitur, novum et a Fulviana Herculis aede, si qua usquam exstiterit, prorsus diversum in Circo Flaminio monumentum fuisse, atque illam ipsam Herculis et Musarum in una eademque aede veluti copulationem natam esse et nasci demum potuisse Augusti aetate. Numquam enim mihi persuaderi patiar, M. Fulvio Nobiliori, quamvis ipse litteris et summi poëtae, Ennii, amicitia duceretur, in mentem venisse Herculis et Musarum συνεδρίαν, eamque illius temporis hominibus, quibus vel poetae in castris contubernium probrosum visum esset, probari potuisse. At finitis bellis civilibus quum Augustus rerum solus potitus esset, omnia ad pacem et otium spectarent et illius auspiciis liberalium artium studia florerent, facile subnasci poterat

13) Hanc alteram aedem *Herculis Victoris*, ante quam *Ara Maxima* posita erat, pinxerat Pacuvius, Ennii sorore genitus, teste Plinio N. H. Libr. XXXV. c. 4. §. 19. Sachsius P. I. p. 513. immerito ambigit, utra aedes Herculis apud Livium intelligenda sit.

14) Ad aedem illam Herculis Musarum tabernae fuisse videntur, in quibus capilli ficticii aut arte medicati venales prostarent. Itaque Martialis, irridens calvitium Labieni cujusdam tribus in calva locis distinctum eumque ideo assimilans Geryoni τρικαρήνῳ, quem jugulaverat Hercules, illum cum acumine festivo monet, ut, si crines empturus iverit in Circum Flaminium, vitet Herculis aedem.

15) Videatur Sachsius P. I. p. 528., Völkelius in libr. *Ueber d. Wegführung der Kunstwerke u. s. w.* (Leipz. 1798.) p. 85. et Petersenius in *Allgem. Einleitung in das Studium der Archaeologie. Uebers. v. Friedrichsen.* (Leipz. 1829.) p. 109.

16) Hunc Ovidii locum illustravit Böttigerus in Sabina P. I. p. 120.

17) Sunt quibus, ob locum Ovidii Fast. Libr. VI. v. 812.: *Annuit Alcides increpuitque lyram:* Hercules in illa Philippi aede lyram pulsans effictus esse videatur. Apud Martialem l. c. pro epigrammatis acumine Herculem non tam *Citharoedum* quam *Clavigerum* cogitare debemus.

cumque opera publica cum ab ipso Augusto, tum ab ejus familiaribus, Agrippa et Tauro, exstructa erant, illa non hanc vim poterant habere, ut, priusquam Augusti Principatus satis firmatus ac domi forisque communitus esse videretur, homines nobiles ac locupletes ullum monumentum publicum susciperent suis sumptibus vel exstruendum a fundamentis vel instaurandum. Ditissimis quibusque illius temporis Romanis satius erat ac consultius, laudare et admirari publicam illorum munificentiam, quam aemulari, quandoquidem recens adhuc praeteritarum memoria calamitatum eos in tuendis erogandisque opibus diligentes esse perque cautos admoneret. Idcirco nihil etiam reperio quod nos impediat quo minus illos ipsos, quos Suetonius, praeter Agrippam, Taurum et Balbum, profert, viros triumphales multis demum annis post actum triumphum sive ex pecunia manubiali sive ex privatis opibus publicum quoddam opus struxisse suspicemur.[22]) Atque rebus temporibusque propius spectatis subtiliusque examinatis, vehementer etiam dubito, num Augustus primis Principatus sui annis, suspensa adhuc sollicitaque civitate, multum profecturus fuisset suis seu cohortationibus seu mandatis, etiamsi jam tum per suas ipsius et publicas res potuisset animum ad Urbis ornatum convertere. Id autem ipsi per primum Principatus si non decennium, certe quinquennium nequaquam licuisse, nemo ignorat nisi qui illorum res annorum ignorat. Posteaquam vero potestatem tribuniciam susceperat perpetuam, et M. Agrippam, data in matrimonium Julia filia, generum sibi adjunxerat et, nato sibi ex hoc matrimonio a. U. C. 734. s. 20. nepote, futuro successore, Principatum satis stabilitum septumque existimavit: intentius, ut ex multis ejus institutis atque operibus apparet, curare coepit, ut etiam sedi et domicilio imperii, Romae, major splendor atque ornatus accederet. Proinde viros quoque principes triumphisque et amplissimis honoribus functos hortando ad ornandam Urbem illexit, et dubitari nequit quin jam tum multa a multis exstrui coepta fuerint.[23]) Jam vero, ubi a. U. C. 736. s. 18. imperium in alterum quinquennium sibi prorogari passus erat et totidem in annos Agrippam potestatis tribuniciae collegam assumpserat, laetus hilarisque altero nepote a. U. C. 737. s. 17. nato, quo domum suam Principatusque sui diuturnitatem magis etiam firmatam fore confideret, facile eo progredi poterat, ut, quibus inde ab hoc tempore triumphandi potestatem daret, eisdem etiam Urbis aliquo opere adornandae officium injungeret, ut Dio Cassius tradit. Neque tamen hoc Dionis testimonio quamvis vero sic utor, ut Aedem Herculis Musarum post illum demum U. C. annum conditam esse contendam. Ex eo autem non est quod pluribus explicem plurimum probabilitatis accedere meae, quam universe jam significavi et argumentis qualibuscumque firmare studui, conjecturae, qua neque de Hercule Musageta neque de aede ei Musisque consecranda Romanorum quemquam prius potuisse cogitare censeo, quam Augustus, compositis bellis civilibus et rebus imperii domi forisque ordinatis et stabilitis, sese ipsum per plures annos veri nominis *Μουσηγέτην* praestitisset. Hac igitur ducti conjectura statuemus, illam aedem conditam esse primo Augusti Principatus decennio exeunte h. e. anno U. C. 736. s. 18.

Superest, ut quaeramus, quis fuerit ille *Marcius Philippus*, a quo Suetonius dicit Aedem Herculis Musarum, hortante Augusto, exstructam esse. Jam primum hunc Philippum affinitate attigisse Caesarem Augu-

---

scriptio autem quaedam ap. Gruterum p. CCCCXXXIX. 8. et ap. Orellium N. 590. cl. N. 591. cum Planci triumpho ex Raetis conjungit aedificationem et dedicationem aedis Saturni, quam Orellius nescio qua auctoritate assignat a. U. C. 737. s. 17. Is num unus sit idemque triumphus, quem ex Gallia egisse fertur, est quod dubitemus contra Drumannum in Hist. Rom. Vol. IV. p. 209. N. 65. — *C. Asinius Pollio* triumphavit pro Cos. ex Parthinis d. VIII. Kal. Novembr. a. U. C. 715. s. 39. actoque triumpho negotiis publicis abstinuit otium secuturus et litterarum studia. — Duorum Pollionem ap. Suetonium antecedentium principum triumphos, *L. Marcii Philippi* ex Hispania et *L. Cornificii* ex Africa, ex tabula Barberinorum edita a Marinio in *Att. e monum. de frat. Arv.* p. 607. Orellius Onom. Tull. Vol. VIII. P. 3. p. 161. cl. p. 247., expleturus lacunam in Fast. Capit. Triumph. ap. Gruter. p. CCXCVII., interposuit annis U. C. 720. et 723. Ea conjectura si vera est, intelligendus erit L. Cornificius Cos. a. U. C. 719. s. 35., qui haud dubie in Africa provincia Tauro Statilio successerat.

22) Itaque non est quod cum Drumanno in Hist. Rom. Vol. IV. p. 211. N. 91. negemus, mandatum illud Augusti de aedificandis operibus publicis pertinere potuisse ad Plancum. Ut mihi persuasum est, Plancum, quae esset hominis istius indoles, ante Principatum Augusti non cogitasse de ullo opere, quo de Urbis ornatu bene mereret; ita neminem credo propensiorem eo fuisse ad obsequium Principi sive hortanti sive mandanti praestandum. Sed mirum me, fateor, habet hos inter obsequiosos Augusti amicos Pollio, homo sui juris ac sententiae et alienati in istum Triumvirum animi, donec victoris praeda factus esset. Atrium Libertatis cum bibliotheca condidit dedicavitque certe ante annum U. C. 726. s. 28., quo anno templum Apollinis in Palatio et circa porticus cum bibliotheca Latina Graecaque ab Augusto dedicata esse, auctor est Dio Cass. Libr. LIII. c. 1. Atqui Pollio primus bibliothecam dicando ingenia hominum rem publicam fecit, ut ait Plinius N. H. Libr. XXXV. c. 2. §. 10. Ergo prius quam Augustus publicam bibliothecam instituit exsecuturus consilium, quod Julius Caesar jam animo agitaverat, teste Suetonio J. C. c. 44. Etiam Amphitheatrum Tauri licet dubitari num Augusti hortatu exstructum fuerit: certe plurimum gratiae a populo ad eum rediisse, relatum legimus apud Dionem Cass. Libr. LI. c. 23.

23) Usus sum hic Velleji et Suetonii ea de re verbis. Ac Suetonius aut vehementer fallor aut nova dumtaxat eaque insigniora monumenta Urbisque ornamenta profert. Noli dubitare: duplex commemorat genus monumentorum vel novorum vel refectorum et excultorum. Posteriora recensere et longum erat et supervacaneum; priorum septem nominatim affert conditores, quos inter primo loco ponit Marcium Philippum, postremo Agrippam, nulla alia, ut suspicor, adductus caussa, quam quod Augusti essent affines et magnificentiora caeteris erexissent monumenta. De aedibus Dianae et Saturni quid et quam acriter a Viris Doctis in utramque partem disputatum sit, me non fugit: sed adhuc sub judice lis est. Atrium Libertatis in Aventino si vere successit veteri templo Libertatis cum atrio, in quo rei publicae temporibus, teste Livio Libr. XLIII. c. 16., Tabularium fuerat, Asinii Pollionis opus haud dubie ejusmodi erat, ut, pristini aedificii forma ac vestigiis plane deletis, novum prorsus et a fundamentis inchoatum absolutumque monumentum dici haberique posset. Secus de Suetonii loco statuit Sachsius P. II. p. 99.

viam ubi, Elberlingio suasore, ingressi fuerimus, tantum abest ut in diluenda hujus rei obscuritate quidquam proficiamus, ut majoribus etiam difficultatibus impliciti haereamus. Nam quae supra Libr. I. §. 2. p. 10 sq. de aetate, matrimoniis ac liberis L. Marcii Philippi Consularis disputavi, eis mihi videor demonstrasse, illum, Atia mortua, non multos annos superstitem, certe vitae annis provectiorem fuisse, quam qui tertias cum uxoris mortuae sorore nuptias facere posset. Atque ipse Elberlingius sensit quantopere suae conjecturae aetas illius Philippi adversetur jure veritus, ne, si matrimonium cum illa matertera Augusti post Atiae matris mortem a Philippo initum fuisse statuerit, hujus vitam nimis producat eumque certe sexagenarium in secundas sive, ut verius esse ostendimus, in tertias nuptias transeuntem faciat. Nolo hic urgere scriptorum, praesertim Nicolai Damasceni silentium de Atiae sorore, Philippi aut prima aut tertia uxore; nolo etiam urgere, quod supra probatum ivi, Aedem Herculis Musarum non videri exstructam esse ante elapsum primum Principatus ab Augusto suscepti decennium, quo manifestum fit, conditorem aedis, clarum Philippum, non esse posse Augusti vitricum, nisi nonaginta eum et amplius annos vixisse statueris; id unice hic spectandum esse puto, quid consilii Ovidius in commemoranda et celebranda illius aedis dedicatione sequi potuerit. Etenim haec aedes si revera condita fuisset ab Augusti vitrico, eccui credibile est, Poetam Sulmonensem, hominem ingeniosum et callidum adulatorem, praetermissurum fuisse peropportunam ac veluti sponte oblatam blandiendi Augusto occasionem? Adeone autem stolidum eum insulsumque fuisse, ut, cum matrem Augusti, eximiam matronam, commemorare posset, potius *materteram* ejus nominaret, et, cum Philippum illum manifesto *clarum* appellaverit ob affinitatem cum Augusto, mallet *clarum* dicere non quia *matrem* Principis, sed *materteram* tantum ejus in matrimonio habuisset? Non, credo, Ovidius tam dissimilis sui fuit, ut tantopere deliraret! Quapropter aut ego vehementer fallor aut hoc uno argumento prorsus subvertitur opinio eorum, qui in loco Ovidiano intellectum velint Augusti vitricum eumque illius aedis conditorem faciant et qui, ut suam sententiam qualicumque modo stabiliant et cum Nasonis testimonio concilient, male ingeniosi comminiscantur, duas illum deinceps sorores, M. Atii Balbi filias, in matrimonio habuisse.

Haec si vera sunt, ut sunt, sequitur, ut jam alium investigemus illius aetatis Philippum, qui matrimonio cum Augusti matertera junctus Aedem Herculis Musarum exstruxerit. Atque Augusti materteram, ut ab hac ordiar, suspicor illam ipsam esse sororem Atiae, matris Augusti, Atiam minorem, cujus mentionem facit Nicolaus Damascenus: qui cum eam simpliciter dicat τὴν ταύτης ἀδελφήν, non addito mariti nomine, veri simillimum est, virginem eam tum fuisse et adhuc innuptam. Ac Marcius Philippus, cui illam nupsisse conjicio, nemo alius mihi esse videtur quam filius ab Augusti vitrico ex alia eaque prima, cujus nomen ignoramus, uxore susceptus, quem a. U. C. 710. s. 44. Praetorem fuisse Libr. I. §. 2. p. 10. ostendimus. Is post Atiae majoris, novercae suae, et patris mortem heres factus divitiarum et villarum, quas pater possederat, haud dubie nuptiis cum Atia minore initis id potissimum spectavit, ut novo hoc affinitatis vinculo cum Augusto artius conjungeretur ejusque gratia et patrocinio frueretur. Neque spes eum fefellit. Interiore enim Augusti familiaritate usus non mirum est quod circa a. U. C. 719. s. 35. in Hispaniam cum legionibus missus et ob res ibi gestas triumphi honorem adeptus est, ut supra Not. 21. ostendimus. Non magis autem mirum est quod, cum dives esset ac locuples, hortatu Augusti, opes exundantes suas ad Urbis ornatum, ut Tacitus testatur, contulit et eo, quo dixi, tempore, ad ipsum Principem honorandum, Aedem Herculis Musarum condidit. Atque hoc ipso tempore Philippum illum Praetorium et Triumphalem ea aetate fuisse liquet, qua belli labores pertaesi pacis artes colamus lubenter ac promoveamus. Itaque sive spectamus aetatem hujus Philippi sive magnas ejus opes paterna hereditate et ex manubiis acquisitas sive denique artiorem ejus cum Augusto necessitudinem, ea omnia nobis suadent, ut non Augusti vitricum, sed hujus filium, L. Marcium Philippum, et Atiae minoris maritum, illius aedis conditorem fuisse dicamus amplexi Ovidii testimonium, quo nihil potest esse magis perspicuum ac fide dignius. Caeterum locus ille Ovidii Fastorum simul contestatur, Philippum Praetorium et Atiam, Augusti materteram, vita jam defunctos fuisse, cum Fasti ab Poeta Sulmonensi scriberentur, quos ante quam Tomos abiret a. U. C. 762. s. post Chr. n. 9., absolutos esse, docuit Jahnius in Introduct. in Metamorph. Libros p. 2.

Ex hoc Philippi Praetorii et Atiae minoris connubio nata est *Marcia* quaedam filia. Haec et Augustus consobrini h. e. ex duabus nati sororibus erant. Eam cum ipso Ovidio necessitudinis ac propinquitatis vinculo aliquo conjunctam fuisse, vel insignes, quibus eam ornat, laudes evidenter declarant. Nupta enim erat haec Marcia cum Fabio Maximo quodam et his in nuptiis Hymenaeum dixerat Ovidius, ut ipse refert in Epistola ad Fabium illum scripta ex Ponto Libr. I. ep. 2. v. 133.:

Ille ego, qui dixi vestros Hymenaeon ad ignes,
Et cecini fausto carmina digna toro.
Cujus te solitum memini laudare libellos,
Exceptis, domino qui nocuere suo.
Cui tua nonnumquam miranti scripta legebas.
Ille ego de vestra cui data nupta domo.

Hanc probat et primo dilectam semper ab aevo
Est inter comites Marcia censa suas:
Inque suis habuit matertera Caesaris ante:
Quarum judicio si qua probata, proba est.

In hoc quoque loco „*matertera Caesaris*" intelligenda est Atia minor Philippo Praetorio nupta. Cum utriusque filia, Marcia, gloriabundus memorat Ovidius suam uxorem a teneris familiariter conjunctam vixisse, ita ut ab Atia quoque, Marciae matre, dum in vivis erat, diligeretur ac probaretur. Loquitur autem Ovidius de tertia sua conjuge, Fabia, genere propinqua Fabio Maximo, Marciae marito.[27] Hic Philippi Praetorii et Atiae minoris gener dubitari nequit quin genus deduxerit suum ab altero filio L. Aemilii Paulli Macedonici, qui a patre in adoptionem datus Q. Fabio Maximo, Auguri et Fabii Cunctatoris nepoti, nominatus est Q. Fabius Maximus Aemilianus: v. Vellejus Pat. Libr. I. c. 10. §. 3. et II. c. 5. §. 3. Hujus ex posteris erat qui in Fastis Capitolinis ad a. U. C. 742. s. 11. (Varr. 743.) consignatus est Consul *Paullus Fabius Q. F. Maximus.*[28] Atque hunc ipsum Consulem Marciae maritum fuisse dicit Lipsius ad Taciti Ann. Libr. I. c. 5., itemque Ovidii amicum et patronum, cui non una ex Ponto epistola inscripta sit. Lipsii sententiam impugnat Massonus in Vit. Ovidii ad a. U. C. 767. ac Consulis potius illius filium Ovidii amicum fuisse censet his adductus argumentis. Primum enim, cum Ovidius dicat se in Fabii Maximi et Marciae nuptiis Epithalamium cecinisse, liquere ait Massonus, huncce Fabium tum demum uxorem duxisse, cum ab illo jam carmina pangi solita fuissent; deinde quia Fabius Libr. II. ex Pont. Ep. 3. v. 55. *juvenis* dicatur: denique quod ibidem v. 69. de illo scriptum sit:

Movit amicitiae tum te constantia longae,
Ante tuos ortus quae mihi coepta fuit.
Et quod eras aliis factus, mihi natus amicus:
Quodque tibi in cunis oscula prima dedi.
Quod, cum vestra domus teneris mihi semper ab annis
Culta sit, esse vetus nunc tibi cogar onus.

Inde colligit Massonus, hunc Marciae maritum aliquot annis post Ovidium h. e. post a. U. C. 711. s. 43. natum esse. Equidem Lipsio assentior, licet Massonus recte monuerit, Fabium Maximum cum Marcia aliquanto juniores fuisse quam Ovidium. Nihil tamen impedit quo minus Ovidius, ipse adhuc puer in domo Fabiana notus et dilectus, fingi cogitarique possit Fabio illi puerulo in cunis jacenti prima oscula dedisse aut in ejus nuptiis admodum juvenis, nequedum editis clarus poematis, nuptiale carmen lusisse. Quum autem Massonus negat, Fabium duobus et viginti annis post Consulatum commode vocari potuisse *juvenem,* videtur non meminisse, quam late hujus nominis significatio praesertim apud poetas pateat et quam mature Augustus, quicumque ipsum aliqua propinquitate attingebant, illi magistratui solitus sit admovere. Ut omittam hic *Gajum Caesarem* Cos. a. U. C. 754. s. post Chr. n. 1. vicenarium, commemorasse sufficiet *Iulum Antonium* Cos. a. U. C. 744. s. 10. vix tricenarium. Ac, si verum est, quod certe veri simillimum esse jam professus sum in Comment. *de Cassio Parmensi* §. 4. N. 9., eumdem Paullum Fabium Maximum ab Horatio Libr. IV. od. 1. quae circa a. U. C. 739. s. 15. composita est, significari dicique v. 15. *centum puerum artium;* magis etiam injecta a Massono dubitatio tollitur atque evanescit. Orellius intelligit apud Horatium Fabium Cos. eumque *puerum* appellari existimat juvenem XXXV. vel etiam plures annos natum, atque adstipulatus Massono Ovidii amicum facit Consulis filium. At vereor, ne, hac conjectura approbata, vitaturi Charybdim incidamus in Scyllam et Ovidii amicum facere debeamus juniorem et immaturioris aetatis, quam qui a Poeta Sulmonensi, homine quinquagenario, familiaris haberi et praepollens apud Augustum patronus coli potuerit. Neque in Consulis filium cadit nutrita a teneris annis studiorum inter utrumque communio et magna doctrinae et eloquentiae laus, quam ei in illis ex Ponto epistolis passim impertiit.[29] Quae cum ita sint, non est, quod Ovidii amicum secernamus a Consule Fabio Maximo, qui circiter a. U. C. 765. s. post Chr. n. 12. id aetatis adhuc esse poterat, ut ab Ovidio, paene sexagenario, blande „*juvenis*" salutaretur.

Apud Augustum magna pollebat gratia, auctoritate ac familiaritate, ut idem Ovidius contestatur usus eo culpae suae apud illum deprecatore. Interioris cum Principe necessitudinis documentum haberi potest libere

27) Ovidius tres duxerat deinceps uxores, ut ipse narrat Trist. Libr. IV. Eleg. 10. v. 69 sqq., quem locum illustravit Massonus in Vit. Ovid. ad a. U. C. 731. probavitque, tertiam, antea Suillio Rufo, Augusti amico nuptam, oriundam fuisse de gente Fabia multisque cognationibus amicitiisque claram. Harum rerum eam admonet ipse ex Pont. Libr. III. Epist. 1. v. 75.:

Hoc domui debes, de qua censeris, ut illam
Non magis officiis, quam probitate, colas.
Cuncta licet facias, nisi sis laudabilis uxor,
Non poterit credi Marcia culta tibi.

28) Glandorpius in Onom. p. 324. refert, apud Cassiodorum huic Fabio tribui praenomen *Publii;* ipse praefert *Quinti:* sed conferatur Cannegieterus de Nomin. Mutat. p. 2.

29) Illae epistolae testantur, haud exiguam ejus doctrinae famam fuisse. Iniquius de eo judicarunt Cassius Severus et M. Annaeus Seneca, quorum locos tractavi in Comment. *de Cassio Parmensi* §. 4. p. 195 sq. Spaldingius ad Quintil. Inst. Or. Libr. VI. c. 3. §. 52. suspicatur, Ovidium fortasse hac laude demereri voluisse amicum, quem scilicet potentem esse et gratiosum apud Augustum.

dictum illud apud Quintilianum Inst. Or. Libr. VI. c. 3. §. 52: „Fabius Maximus, incusans Augusti congiariorum, quae amicis dabantur, exiguitatem, *heminaria esse* dixit.“ Peraeque potens et gratiosa apud Augustum ejusque uxorem, Liviam, videtur Marcia fuisse. Id confirmari licet Inscriptione Graeca, quam a Comite *Car. Vidua* in insula Cypro inventam illustravit Letronnius in *Journal des Savans*. Paris. 1827. p. 173 sq. Ea cum nonnihil lucis huic scriptioni meae praebeat, facere non possum quin eam vulgaribus descriptam litteris hic apponam: „*Μαρκίᾳ Φιλίππου θυγατρὶ, ἀνεψιᾷ δὲ Καίσαρος θεοῦ Σεβαστοῦ, γυναικὶ Παύλου Φαβίου Μαξίμου, Σεβαστῆς Πάφου ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος.*“ Jam hanc Inscriptionem, sine dubio olim in basi statuae lectam, Letronnius suspicatur cohaerere cum illa calamitate, qua Cypri urbs, *Πάφος νέα*, a. U. C. 740. s. 14. terrae motu afflicta fuerit, testante Dione Cass. Libr. LIV. c. 23. et narrante de Augusto: *Παφίοις τε σεισμῷ πονήσασι καὶ χρήματα ἐχαρίσατο, καὶ τὴν πόλιν Αὔγουσταν καλεῖν, κατὰ δόγμα ἐπέτρεψεν.* Paphii igitur in instauranda urbe sua insignem Augusti liberalitatem experti veniam petiverunt atque impetrarunt, ut urbem recens conditam, mutato nomine, *Augustam*, *Σεβαστήν*, ut in Inscriptione est, appellarent. Id nomen num haeserit et ad posteros propagatum sit, cum nulla usquam ejus vestigia reperiantur, in dubium vocat Tzschuckius ad Pomp. Melae Libr. II. c. 7. §. 5. Vol. III. P. 2. p. 629 sqq. Fidem Dionis nunc certam praestat Inscriptio illa alio etiam nomine memorabilis. Nam Letronnio Paullum Fabium Maximum, qui ibi memoretur, statuenti fuisse Consulem a. U. C. 743. s. 11., nemo dubitabit suffragari; at quum idem suspicatur, hunc Fabium ante Consulatum Cypro insulae praefectum fuisse, equidem non intelligo, cur non post, quam Consulatu functus esset, pro Consule potius huic insulae praefuisse dicatur? Sed haec quoque conjectura nihil habet, quo se tueatur. Jo. Meursius quidem de Cypro Libr. I. c. 18. Opp. Vol. III. p. 587. probare studuit, in urbe Papho Proconsulem Romanum sedem habuisse; sed falli eum, docuit Tzschuckius monens, Cyprum insulam Ciliciae provinciae attributam fuisse. De Fabio Maximo autem, Ciliciae Proconsule, nihil usquam proditum legimus. Enimvero Letronnius, quam vana esset ea suspicio, ipse sensisset, si attendisset, illam Inscriptionem minime factam esse in honorem et memoriam Fabii Maximi, sed unius Marciae, uxoris ejus. Manifestum enim, si quid intelligo, totique rei congruum est, adjectis illis verbis: *ἀνεψιᾷ δὲ Κ. θ. Σ. γυναικὶ Π. Φ. Μ.* nihil aliud spectari, quam ut haec Marcia distinguatur cum ab aliis hujus nominis mulieribus, tum inprimis ab Philippi Consularis filia, haud ignobili illa M. Catonis uxore, de qua dictum est Libr. I. §. 2. p. 11. Cum igitur haec *Φιλίππου θυγάτηρ* in Inscriptione designetur *ἀνεψιὰ Καίσαρος θεοῦ Σεβαστοῦ*, ultro deducimur ad Philippum Praetorium ejusque uxorem, Atiam minorem, Augusti materteram, quorum ex connubio genita est Marcia, uxor Paulli Fabii Maximi, *ἀνεψιὰ* Augusti, quam Ovidius ut Fabiae, uxoris suae amicam ac patronam, multis laudibus effert. Bene monet Letronnius, in Augusti titulo *θεοῦ* nihil esse impedimenti, quo minus, Augusto vivente, illam Inscriptionem in aliqua statua exaratam esse dicamus: cur autem Vir Doctus eam annis U. C. 740. et 743. includat, ejus rei nullam video caussam idoneam. Quodsi vero quaerimus, ob quod meritum ac beneficium Marciae a Senatu Populoque Paphi honos ille habitus impertitusque fuerit, plane faciendum esse arbitror cum Letronnio suspicante, eam fortasse de hac urbe post terrae motum instaurata bene meruisse. Atqui ea poterat afflictos Paphi incolas si non privatis juvare opibus, certe sua apud Augustum gratia et auctoritate efficere, ut hic majoribus pecuniae largitionibus illis succurreret. Ergo Paphii ut Augustum honorarunt petentes, ut urbem suam, mutato pristino nomine, Augustam appellarent, ita Marciae, ejus consobrinae, erecta in publico statua cum inscriptione, grati animi sensum testificari voluisse existimandi sunt.

Utrique autem conjugi artior illa cum domo principali necessitudo brevi ante Augusti obitum d. 14. Kal. Septembr. a. U. C. 767. s. post Chr. n. 14. perniciosa ac funesta fuit. Eam rem Plinius N. H. Libr. VII. c. 45. §. 150., ubi magna sortis humanae, quam Augustus subierit, volumina suo more recenset, his verbis significat: „abdicatio Postumi Agrippae post adoptionem desiderium post relegationem, inde suspicio in Fabium arcanorumque proditionem.“ Quibus verbis lux accedit ex Taciti Libr. I. c. 5.: „Rumor incesserat paucos ante menses Augustum electis consciis et comite uno Fabio Maximo Planasiam vectum ad visendum Agrippam: multas illic utrimque lacrimas et signa caritatis spemque ex eo fore, ut juvenis penatibus avi redderetur. Quod Maximum uxori Marciae aperuisse, illam Liviae: gnarum id Caesari: neque multo post exstincto Maximo, dubium an quaesita morte, auditos in funere ejus Marciae gemitus semet incusantis, quod caussa exitii marito fuisset.“ Apud Plinium et Tacitum agi de Paullo Fabio Maximo Cos. a. U. C. 743. s. 11., Philippi Praetorii et Atiae minoris genero, in aprico est. Hunc unum ex interioris admissionis amicis Augustus secum duxerat: ex quo apparet, quam familiariter eo usus sit et quanta cum fiducia sua ei consilia arcana commiserit. Exitium inopinum ei peperisse statuenda est Marcia non tam temeraria quadam garrulitate quam imprudens potius et Liviae in se animo ac studio nimis confisa. Rem tragicis coloribus depinxit Plutarchus *περὶ Ἀδολεσχίας* c. 11.: *Φάβιος δὲ ὁ Καίσαρος ἑταῖρος τοῦ Σεβαστοῦ γέροντος ἤδη γεγονότος, ἀκούσας ὀδυρομένου τὴν περὶ τὸν οἶκον ἐρημίαν, καὶ ὅτι, τῶν μὲν δυεῖν θυγατριδῶν αὐτοῦ ἀπολωλότων, Ποστούμου δὲ, ὃς ἔτι λοιπός ἐστιν, ἐκ διαβολῆς τινος ἐν φυγῇ ὄντος, ἀναγκάζεται τὸν τῆς γυναικὸς υἱὸν ἐπεισάγειν τῇ διαδοχῇ τῆς ἡγεμονίας, καίπερ οἰκτείρων καὶ βουλευόμενος ἐκ τῆς ὑπερορίας ἀνακαλεῖσθαι τὸν θυγατριδοῦν· ταῦτα ὁ Φάβιος ἀκούσας ἐξήνεγκε πρὸς τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα, πρὸς δὲ Λιβίαν ἐκείνη,*

Λιβία δὲ καθήψατο πικρῶς Καίσαρος, εἰ πάλαι ταῦτα ἐγνωκὼς οὐ μεταπέμπεται τὸν θυγατριδοῦν, ἀλλ' εἰς ἔχθραν καὶ πόλεμον αὐτὴν τῷ διαδόχῳ τῆς ἀρχῆς καθίστησιν. Ἐλθόντος οὖν ἕωθεν, ὡς εἰώθει, τοῦ Φαβίου πρὸς αὐτὸν καὶ εἰπόντος· Χαῖρε, Καῖσαρ, Ὑγίαινε, εἶπε, Φάβιε. Κἀκεῖνος νοήσας ᾤχετο εὐθὺς ἀπιὼν οἴκαδε, καὶ τὴν γυναῖκα μεταπεμψάμενος, Ἔγνωκεν, ἔφη, Καῖσαρ ὅτι τὸ ἀπόῤῥητον οὐκ ἐσιώπησα· καὶ διὰ τοῦτο μέλλω ἀναιρεῖν ἐμαυτόν. Ἡ δὲ γυνὴ, Δικαίως, εἶπεν, ὅτι μοι τοσοῦτον συνοικῶν χρόνον, οὐκ ἔγνως οὐδ' ἐφυλάξω τὴν ἀκρασίαν· ἀλλ' ἔασον ἐμὲ προτέραν. Καὶ λαβοῦσα τὸ ξίφος, ἑαυτὴν προανεῖλε τοῦ ἀνδρός.[30]) Plutarcho auctore, Marcia quoque, arrepto gladio se ipsa, inspectante viro, interfecit. Quod facinus non alienum fuerit ab ejus animo virili et mariti amantissimo. Sed Taciti, in Fabii funere gemitus uxoris commemorantis, fides potior est quam Plutarchi, quem hac ratione Fabii casum *τραγικώτερον* facere voluisse apertum est. Taciti testimonium etiam ab Ovidio confirmari, qui Fastor. Libr. VI. v. 803 sqq. de Marcia loquatur tamquam viva adhuc et florente, opinatur Massonus; at illum Fastorum librum aliquot annis ante Fabii quoque interitum fuisse absolutum, supra monuimus. Certius hujus rei testimonium fortasse repeti potest ex Ovidii Libr. IV. ex Pont. ep. 6., quam, peracto jam exsilii quinquennio ad Brutum scripsit et questus, quod sibi Fortuna spem in deprecatione Fabii Maximi apud Augustum positam maligne subtraxerit, amicum et patronum nuper sibi ereptum, sine Marciae conjugi fortiter commortuae mentione, ita alloquitur v. 9.:

Certus eras pro me, Fabiae laus, Maxime, gentis,
Numen ad Augustum supplice voce loqui.
Occidis ante preces: caussamque ego, Maxime, mortis,
Nec fueram tanti, me reor esse tuae:

ubi, cum veram Fabii interitus caussam ignoraret, se dicit mortis caussam, sollicito animo suspicatus, amicum propter amorem studiumque poetae exsulis Principis gratia excidisse ideoque mortem quaesivisse.

Caeterum Paullus Fabius Maximus, de quo egimus, postremus erat, qui Liviae artibus interiret et velut victima suspicaci et meticuloso Augusti animo mactata concideret, ut utar Senecae verbis Octav. v. 145.

EXCURSUS III.

DE

Q. SALVIDIENO RUFO ET M. VIPSANIO AGRIPPA,

APOLLONIENSIBUS AUGUSTI CONTUBERNALIBUS.

Salvidienum et Agrippam ab Augusto ob nutrimentorum lusuumque puerilium quamdam consuetudinem Roma abductos fuisse Apolloniam ibique in contubernio convictuque habitos, probabili conjectura ductus scripsi Libr. 1. §. 7. p. 24. Id quod hic paulo accuratius exponam.

M. Vipsanius Agrippa, ut ab hoc dicere exordiar, intima familiaritate conjunctus erat adolescenti Caesari Augusto, teste Cornelio Nepote in Vit. Attic. c. 12. §. 1. Is quum a. U. C. 742. s. 12. morbo intra paucos dies raptus esse dicatur a Plinio N. H. Libr. VII. c. 8. §. 6. anno aetatis quinquagesimo uno, efficitur,

30) In illo Plutarchi loco sine haesitatione edidi *Φάβιος* pro vulg. *Φούλβιος*. Reiskio ad h. l. Vol. VIII. p. 22. adnotante, jam Rualdus in Animadv. ad Plutarch. 45. statuit, *Fulvium* pro *Fabio* appellatum esse a Plutarcho per memoriae errorem: cui sententiae accedit Reimarus ad Dion. Cass. Libr. LXIX. c. 18. N. 146. Vol. VI. p. 674. Strz. Wyttenbachius Vol. III. P. 1. p. 46. commemorata Meziriaci conjectura *Φάβιος*, confitetur, id nomen et rem et auctoritatem Taciti postulare. Idem cum ipse in duobus Codd. Mstis *Πούπλιος* pro *Φούλβιος* invenerit eamdemque varietatem lectionis ab aliis quoque Viris Doctis ex Codicibus enotatam repererit, licet dubitari, num iste error ipsi Plutarcho imputandus sit. Librariorum stuporem maluerim agnosci cum in hoc nomine, tum in n. *Ποστουμίου*, pro quo, suadente Reiskio, scripsi *Ποστούμου* i. e. Agrippae Postumi.

ut eodem, quo Augustus anno U. C. 691. s. 63. natus fuerit.[1]) Communem utriusque educationem et institutionem contestatam legimus apud Nicolaum Damascenum de Inst. Aug. c. 7.: *Ἦν εἰς τὰ μάλιστα Καίσαρι τῷ νέῳ συνήθης καὶ φίλος Ἀγρίππας, ἐν ταὐτῷ τε παιδευθεὶς καί τινα ἔχων ὑπερβολὴν ἑταιρείας.* Atque haec animorum studiorumque similium communio, quam si non a puero, certe ab ineunte adolescentia Romae initam ab utroque nutritamque esse paene certum est, sine dubio in caussa erat, ut M. Agrippa, posita praetexta, sub Julio Caesare, amici avunculo, prima stipendia faceret, cum contra frater ejus in Pompejanorum castris meruisset. Nicolaus enim narrat, Agrippae fratrem, qui impense coluisset M. Catonem ejusque castra secutus fuisset, in bello Africano a. U. C. 708. s. 46. captum et, intercessione Augusti illum deprecantis ab avunculo ex Africa reverso, libertate ac venia donatum esse.[2]) Hunc Agrippae fratrem natu majorem patris praenomine *Lucium Vipsanium Agrippam* appellatum esse suspicor. Illud patris praenomen, praeter Inscript. Athenis in basi magna ante Propylaea arcis ap. Boeckhium Corp. Inscriptt. Gr. Vol. I. p. 408. N. 309. et duo numos ap. Eckhelium D. N. P. II. Vol. VI. p. 165., inprimis confirmat Inscriptio Panthei Romani ap. Orellium N. 34.: „M. AGRIPPA L. F. COS. TERTIUM FECIT.“ Jam cum M. Agrippa, Cos. III. a. U. C. 727. s. 27. et rebus domi forisque gestis clarus, in Panthei dedicatione non negligeret se paterni praenominis nota insignire, haud scio an recte inde colligam, patrem ejus non tam obscurum atque ignobilem fuisse hominem, ut nollet paterni nominis mentione ab aliis Agrippis distingui. Ab M. Seneca Controv. Libr. II. c. 12. p. 173. B. amicus ille Augusti inter eos ponitur, qui non nati sunt nobiles, sed facti; a Vellejo Pat. Libr. II. c. 96. et c. 127. dicitur novitatem suam multis rebus nobilitasse et apud Tacitum Ann. Libr. I. c. 3. ignobilis loco audit: quae omnia nos minime cogunt ut hominem infimo adeoque sordido loco natum intelligamus. Quum autem M. Seneca ibidem narrat: „Tanta sub divo Augusto libertas fuit, ut praepotenti tunc M. Agrippae non defuerint, qui ignobilitatem exprobrarent. Vipsanius Agrippa fuerat. Vipsanii nomen quasi argumentum paternae humilitatis sustulerat, et M. Agrippa dicebatur. Cum defenderet reum, fuit accusator qui diceret, M. Agrippam et quod medium est: volebat Vipsanium intelligi:“ valde dubito ea ita accipere, ac si ipsum gentis suae puduisset, ut aliquammulti cum Mureto Opp. Tom. IV. p. 24. R. sentiunt. Nam primum excelsi ille vir animi non is erat qui petulanti accusatoris joco et irrisione permotus omitteret nomen, quod, quamvis nullis illustre imaginibus, tamen non sordidum esset. Deinde, si fides est Tacito Ann. Libr. I. c. 12. et III. c. 19., ipse suae filiae ex Pomponia, Attici filia, susceptae nomen *Vipsaniae* imposuerat et ita videtur servare ac propagare voluisse memoriam gentis suae: cujus si ipsum puduisset, dubium est num id facturus fuisset.[3]) Denique Cornelius Nepos, scriptor aequalis, eum gentilicio illo nomine non haesitavit commemorare in Vita Attici, soceri illius, c. 12. §. 1. Verum tamen utcumque haec sunt, M. Senecae testimonium eo maxime suspectum redditur, quod cognomen *„Agrippa“*, cujus unius usu gentilicii nominis sordes vitare voluisse creditur, non minus humile fuerit quam illud, adeoque male ominati, ne dicam portentosi quid significaverit. Nota sunt, quae de hujus nominis originatione et significatione scripserunt Plinius N. H. Libr. VII. c. 8. §. 45 sqq. et, qui inde profecit, Gellius N. A. Libr. XVI. c. 16., ut omittam pannum assutum Servii Comment. ad Virgil. Aen. Libr. VIII. v. 682. Propterea id ipsum nomen aliorum ludificationibus patebat. Fuisse enim caussarum actorem qui aliquando ei propter hoc cognomen illuderet, idem Seneca auctor est l. c. p. 174. B.: „Concurrite: Agrippa malum habebit, respondit Vipsanius.“[4])

Haec scripsi, ut, motis quibusdam dubitationibus, occurrerem partim opinationi eorum, qui unius M. Senecae auctoritatem secuti M. Agrippae illiberalem gentis suae pudorem impingunt, partim conjecturae cuidam nuperrime

1) Qui de *M. Vipsanio Agrippa* scripserunt Viri Docti, G. Chr. Gebauerus in Exercitatt. Academ. ed. Weissmantel (Erford. 1777.) Vol. II. p. 803 sqq., Abbas le Blondius in Histoire de l'académie des Inscriptt. Vol. XL. (Paris. 1780.) p. 37 sqq. et Enn. Q. Viscontius in Iconogr. Roman. (Milan. 1819.) Vol. II. p. 263 sqq., eos memoravit et eorum operam doctrinamque in suam rem convertit sobrie auxitque P. S. Frandsenius in libello eleganter et ingeniose scripto, quem jam laudavi Libr. I. §. 10. N. 92. Ad eruendum Agrippae annum natalem omnes usi sunt loco Plinii. Quod si vero H. Norisius in Cenot. Pis. Dissert. II. c. 2. p. 97. provocans ad Nicolaum Damascenum, qui scripserit, Agrippam natu majorem fuisse ipso Augusto, ideoque illum prope initium anni U. C. 691. s. 63. natum esse dicit, fateor me frustra quaesivisse Nicolai locum, quo ea opinio nitatur, licet veri sit simillima. Hic nonnulla tantum dicturus sum de Agrippae natalibus et adolescentia, de qua Frandsenius Cap. 38. p. 222 sqq. scripsit.

2) De hoc Augusti adolescentis facto, in quo describendo Nicolaus Damascenus suo more multa pigmenta consumpsit ad humanitatem illius et verecundiam erga avunculum efferendam, scite egit Drumannus in Hist. Rom. Vol. IV. p. 251.

3) A caeteris scriptoribus, quod sciam, omnibus illa Agrippae filia, tanto patre dignissima, appellatur *Agrippina*, ita ut videatur fuisse binominis, ut statuit Eckhelius quoque in D. N. P. II. Vol. VI. p. 164. Apud Tacitum Hist. Libr. I. c. 31. memoratur *Vipsania porticus*: quo nomine non memini alias dici porticum Argonautarum ab Agrippa exstructam, nisi forte huc referri placet *Vipsanias laurus* ap. Martial. Libr. I. Ep. 109. v. 3. cf. N. 4.

4) Controversa est hujus nominis scriptura: aliis *Vipsanius*, aliis *Vipstanus*, aliis denique *Vipstanius* probatur. Nomen familiae diversae ab Agrippa videtur esse *Vipstanus* ap. Tacit. Ann. Libr. XI. c. 23. ibique vid. Intpp. Gentilis nominis forma est *Vipsanius*, ut erudite demonstravit Ant. de Rooy in Conject. Crit. p. 12 sq. et ap. Martialem Libr. I. Ep. 109. v. 3.: *„At mea Vipsanias spectant coenacula laurus,“* et Libr. IV. Ep. 18. v. 1.: *„Qua vicina pluit Vipsaniis porta columnis:“* utroque illud loco per Synizesim legendum esse recte monuit. — M. Senecae verba, supra apposita, dedi ex emendatione Bipontinorum, licet mihi arrideat minus violenta correctio Jo. Schultingii: *„Concurrite Agrippae: malum habebitis, nisi responderitis:“* in qua acerbior inest Agrippae ejusque pedum vitiosorum irrisio: vid. M. Senecae Opera. Amstelod. 1672. p. 174 sq.

propositae a Frandsenio, qui longius illis progressus contenderit, amicum illum Augusti primum ex Vipsaniis, omisso ob ignobilitatem hoc nomine gentili, etiam cognomen Agrippae in gente Vipsania antea non obvium assumpsisse. Verum enim vero non multos in ejus sententiam transituros esse arbitror, qui, praeter ea, quae modo disputavi, mecum haec quoque apud animum reputaverint. Quid ei opus fuisset patris praenomen in monumentis publicis suo subjicere, nisi idem cognomen neque patri neque fratri fuisset? quid tandem lucratus fuisset gentili nomine ignobilitatis caussa abjecto et assumpto cognomine novo quidem, sed non magis nobili et honesto? M. Senecae verba: „*Vipsanius Agrippa fuerat*" sc. nominatus, evidenter, ut mihi quidem videtur, demonstrant, Agrippae cognomen a patre ad filium transiisse. Proinde, sicut mihi non est credibile, nomen gentile, etiamsi, ut nonnulli suspicantur, adjuncta ei fuisset humilitatis cujusdam et sordium notio, quae nos lateat, omissum ab eo esse vel ignobilitatis pudore vel ludificationum fuga; ita mihi etiam persuasissimum est, eumdem, si gentilicii nominis usu in perpetuum abstinere et novum prorsus gentique Vipsaniae adhuc incognitum familiae nomen sibi imponere voluisset, aut nobilius quodpiam et in Fastis Romanis celebratius electurum aut certe praeoptaturum fuisse honestum illud et quo vivebat tempore haud ignobile cognomen istius patris, quem Frandsenius miro acumine expiscatus est et pro L. Vipsanio Agrippa, qui vulgo pater illius fuisse creditur, homine sane quam obscuro atque aliunde non cognito, substitutum esse voluit. Nam Vir Doctissimus probatum ivit, M. Agrippae, de quo agimus, patrem videri fuisse *Atticum Vipsanium,* Rhetorem et Apollodori Pergameni discipulum, quem M. Seneca Cont. Libr. II. c. 13. p. 179. memoraverit, neque veri dissimile esse judicavit, ipsum Augustum adolescentem cum M. Agrippa condiscipulo, hujus patri, artem rhetoricam Romae profitenti, operam dedisse. At, id quod pace Viri Doctissimi dixerim, vehementer vereor, ut pro Junone ne nubem amplexus sit! Primum enim, cum opera M. Senecae rhetoris pessime a librariis affecta hodieque mendis obruta jaceant, quis, rejecto Strabonis Libr. XIII. c. 4. §. 3. Vol. V. p. 464. Tz. testimonio de Dionysio Attico quodam, Apollodori Pergameni discipulo, praestet, vere exstitisse umquam rhetorem, *Vipsanium* Atticum? Deinde ut pro certo ponamus, Romae vixisse ac docuisse rhetorem, *L. Vipsanium Atticum,* eumque genuisse filium, Marcum, Augusti posthac contubernalem et amicum, quis est qui probabilem excogitare possit caussam, ob quam filius iste, simulac sui juris erat, paternum *Attici* cognomen aspernatus maluerit cognominari *M. Agrippa,* praesertim quum assumpto isto cognomine simul socerum suum, Pomponiae, uxoris primae, patrem honorasset? Ac si forte Agrippae cognomen sibi imposuisset, quia contra naturam in pedes conversus partu editus esset, dubitari vix potest quin Plinius, in notandis hujuscemodi rebus curiosus, id diserte memoriae prodidisset, ut de M'. Curio Dentato Libr. VII. c. 16. §. 68.; sed is refert dumtaxat, M. Agrippam, fama ferente, ita genitum esse, nequaquam eum inde cognomen invenisse. Denique si Augustus cum amico Romae Vipsanii Attici rhetoris disciplina usus fuisset, nemo erit quin permirum esse dicat, quod Julius Caesar sororis suae nepoti, Apolloniam abituro, maluerit comitem dare Apollodorum jam grandem natu, quam Vipsanium Atticum, virum haud dubie integrae aetatis et Marci filii condiscipulatu illi perfamiliarem. Alia, quae Frandsenianae sententiae obstant, praetereo utpote fusius et subtilius pertractanda quam quae hic locus capiat.

Jam, ut quod ipse sentio breviter dicam, concedo quidem, illum Augusti amicum per publicae vitae negotia solitum esse simpliciter sese nominare M. Agrippam, ut, praeter Numos, quos supra memoravi, et Panthei Inscriptionem, etiam Fragmentum Inscriptionis Brixiae nuper inventum ap. Orellium N. 632. evincit, sed nulla eum alia adductum esse arbitror caussa, quam simplicitatis et brevitatis studio quodam, in quo ipsum Augustum haberet quem imitaretur. Et quod ad locum natalem ejusque parentes attinet, lubet in medium proferre conjecturam aliis, nisi mea me fallit opinio, neque vaniorem neque insulsiorem. Plinius N. H. Libr. XXXV. c. 4. §. 26. appellat M. Agrippam, quem ob praecipuum tabularum pictarum amorem manifeste laudaturus sit, *virum rusticitati propiorem quam deliciis.* Quae verba quoties legi, toties mihi visus est Plinius consulto ambiguitatem captasse verborum, quibus simul tecte significaret illius natales. Nam *deliciis,* quas loci contextus docet accipi debere de oblectamentis ex artium operibus eorumque studio percipiendis, opponitur *rusticitas* sic, ut animum designet haud imbutum a teneris artium elegantia, sed vitae potius rusticae rebus, studiis laboribusque innutritum.[5]) Quid multa? Mihi videor inde colligere posse, M. Agrippam non Romae, sed ruri natum fuisse, et patrem ejus, L. Vipsanium Agrippam, fuisse unum ex rusticis qui dicerentur Romanis, qui cum de plebe essent, tum de ordine equestri et fructibus praediorum percipiendis et vendendis quaestum facerent ac plerumque divitiis aeque ac vitae simplicitate et honestate insignes essent. Pater igitur quamvis fortasse de plebe ideoque ignobilis, tamen homo honestus et opulentus fuisse existimandus est. Marcus filius, dum puer erat, ruri nutritus educatusque a prima aetate eas addiscebat virtutes, quas illi hominum generi proprias fuisse scimus, laboris patientiam,

---

5) Illis verbis sic explicatis, apparet, quam inique Gebauerus §. 17. p. 832. reprehendat Plinium, quod Agrippae rusticitatem attribuere non sit veritus, et quam temere dicat, id frivole et inepte factum esse, ratus, Plinio scribenti obversatam esse Maecenatis mollitiem ac delicias: cum eo facit quadamtenus Frandsenius p. 255. Ad eumdem animum cultumque rusticitati propiorem, haudquaquam, ut Gebauerus facit, ad vultum referenda mihi videntur ejusdem Plinii verba ibidem lecta: „*eadem illa torvitas tabulas duas Ajacis et Veneris mercata est*" etc. Haec salva Agrippae dignitate et laude scribi poterant a Plinio, qui quanti illum fecerit caeteris verbis satis declarat.

frugalitatem, verecundiam, candorem:[6]) quibus virtutibus omnibus M. Agrippam per totam vitam excelluisse nemo ignorat. Pater haud dubie, animadversa naturae bonitate, Marcum suum adultiore aetate Romam deduxerat ibique eum liberali educatione doctrinaque instituendum curaverat. Etiamsi non suspicemur, mansisse quaedam in M. Agrippae vita moribusque vestigia ruris, tamen apertum est, natalium ratione habita eum rusticitati propiorem quam deliciis a Plinio dici, ideoque eo magis mirandam esse ejus orationem, quam, ut Plinius ibi refert, habuerit magnificam et maximo civium dignam de tabulis omnibus signisque publicandis, quod fieri satius fuisset, quam in villarum exilia pelli. Oratio tam delicati argumenti non poterat non cuivis mira videri ac notabilis, utpote habita ab eo, quem constaret ruri natum esse ibique pueritiae annos transegisse. Hanc conjecturam secuti intelligimus, qua ratione M. Agrippa dici potuerit ignobilis loco ac novitatem nobilitasse suam. Facilius etiam assequimur acumen L. Senecae de Benef. Libr. III. c. 32. §. 2. scribentis: „Utrum majus beneficium dedit M. Agrippae pater, ne post Agrippam quidem notus: an patri dedit Agrippa, navali corona insignis, unicum adeptus inter dona militaria decus?“ A patre, quamvis obscuro, tamen locuplete ac divite, videntur etiam magnae divitiae hereditate pervenisse ad filium, quem non credibile est ex solis manubiis muneribusve Augusti, sed ex privatis quoque opibus tot ac tanta excitasse monumenta. Postquam autem a patre Romam deductus et rhetoribus Latinis Graecisque in disciplinam datus fuerat, sine dubio forte fortuna accidit, ut Augusto subinde innotesceret atque eisdem, quibus ille, usus magistris artiore familiaritate conjungeretur. Sed tamen rebus utriusque ac temporibus penitius spectatis non multum abest quin communia illa studia, si ab eloquentia discesseris, ad res potissimum militares revocanda esse arbitrer. Sic M. Agrippa non tam doctus, quam bonus militia evasit ac fortis et hostium victor,[7]) neque veri est dissimile, eum prius quam Augustum, sumpta toga virili, Dictatoris castra secutum si non bello Africano, certe Hispaniensi interfuisse. Illud autem si quid aliud certum est atque evidens, in M. Agrippa, adolescente ac tirone, mature eas animi ingeniique virtutes emicuisse atque ab Julio Caesare, homine perspicacissimo, animadversas probatasque esse, quibus eum, nullis licet majoribus ortum, Augusti condiscipulatu et Apolloniensi contubernio dignum haberet. Neque tamen quisquam, nisi qui ad ea, quae Libr. I. §. 10. de studiis Augusti Apolloniensibus disserui, opinionem attulerit ante conceptam, vere et ex animi sententia contendet, M. Agrippam cum Augusto Apolloniam profectum aut ab illius avunculo missum esse, ut simul in hac urbe coepta Romae studia eloquentiae Apollodoro Pergameno duce et magistro persequeretur ac perficeret, aut in pergula Theogenis Mathematici eas artes perdisceret, quibus posthac exsisteret architectus et agrimensor laudatissimus et de Urbe et imperio meritissimus!

In eodem fere loco ac numero habendus est *Q. Salvidienus Rufus*, quem alterum Augusti contubernalem Apolloniae fuisse vidimus.[8]) Ejus majores, si non obscuriores certe aeque ac Vipsanii Agrippae ignobiles fuerunt. Nam Vellejus Pat. Libr. II. c. 76. §. 4. de eo scribit: „Qui natus obscurissimis initiis parum habebat summa accepisse et proximus a Cn. Pompejo ipsoque Caesare ex equestri ordine Consul creatus esse, nisi in id ascendisset e quo infra se et Caesarem videret et Rempublicam.“ Etiam Suetonius in Aug. c. 66. eum ex infima fortuna usque ad Consulatum ab Augusto provectum esse dicit et Dio Cass. Libr. XLVIII. c. 13. praeterea addit, illi ἐξ ἀφανεστάτων orto gregem olim pascenti flammam e capite emicuisse: de quo prodigio futuram alicujus magnitudinem portendente videatur Fabricius ad h. l. N. 154. Vol. V. p. 559. St. Nusquam traditum legimus, quo tempore quave occasione Augusto adolescenti innotuerit in ejusque familiaritatem sese insinuaverit. Neque in ejus vita rebusque gestis quidquam invenimus, ex quo colligi possit, alterum alteri communibus litterarum studiis Romae conjunctum fuisse. Nihilo tamen secius dubitari vix potest quin tam infimae conditionis ac fortunae adolescens, qualem Salvidienum fuisse accepimus, Julio Caesari insignioribus aliquibus virtutibus se commendaverit, atque Augusto pristina quadam lusuum consuetudine carus spectatusque fuerit, alioquin in hujus contubernio Apolloniensi non invenisset locum. Hujus autem contubernii testis est Vellejus Pat. Libr. II. c. 59. §. 5., qui refert, Salvidienum cum Agrippa, nuntiata Dictatoris caede, Augusto suasisse, ut

---

6) Nescio an quidquam colligi possit de puerili M. Agrippae educatione ejusque ratione ex verbis Manilii, qui unus omnium scriptorum matrem ejus memorat Astronom. Libr. I. v. 795.: „*Matrisque sub armis Miles Agrippa suae:*“ qui locus perobscurus, utcumque legitur et explicatur, nos certe vetat de molli et urbana cogitare educatione. Erat *miles Agrippa*, ut verbis Horatianis Libr. III. Od. 6. v. 37. utar, ex *rusticorum mascula militum prole, Sabellis docta ligonibus versare glebas et severae matris ad arbitrium recisos portare fustes.*

7) Sunt verba Horatii Libr. I. od. 6., in qua nihil nisi bellica Agrippae virtus laudatur, sed splendido et animo verae admirationis pleno! Nondum me poenitet judicii, quod de Agrippae doctrina feci in Comment. *de Q. Horatii Fl. Obtrectatoribus* §. 1. (Poet. Lat. Reliq. p. 275.), licet dissentiat Frandsenius p. 182 sq. injuria Poetam Venusinum oblique perstringens tamquam cupidiorem et iniquiorem doctrinae Vipsanianae aestimatorem, scilicet quia de illa tacuerit. At, ut mea fert opinio, aliud est bonas artes litterasque nosse, aliud eas amare et pro parte virili juvare!

8) *Salvidienorum* nemo ante hunc Augusti contubernalem in historiae Romanae monumentis reperitur. Integro, quod posui, nomine memoratur a Dione Cass. Libr. XLVIII. c. 13. Praenomen *Quinti* habet etiam Livii Epit. 127. Ab aliis scriptoribus solita nominum et cognominum trajectione dicitur nunc *Rufus Salvidienus*, nunc simpliciter *Salvidienus*. L. Begerus in Thes. Brandenb. Tom. II. p. 582. ex numo Caesaris Augusti profert *Salvium* quemdam et hunc, de quo agimus, Salvidienum esse putat, de quo non injuria dubitat Fabricius ad Dionis l. c. N. 42. Vol. V. p. 546. St. Formam nominis si spectamus, reducimur ad gentile *Salvidius*, ut *Nasidienus* a *Nasidius:* illud autem nusquam occurrit.

Senatores non essent, tamen Consulatum adepti fuerant.[11]) De Consulatu idem testatur Suetonius, et Dio Cassius ait: *ἐς τοσοῦτον δὲ ὑπὸ τοῦ Καίσαρος προήχθη, ὥστε αὐτόν τε ὕπατον, μηδὲ βουλεύοντα, ἀποδειχθῆναι:* ubi, cum Fasti nomen Salvidieni Consulis non habeant, Fabricius N. 155. bene monet, a Vellejo debuisse scribi *designatus* pro *creatus.* Pighius Annal. Tom. III. p. 485. suspicatur, nomen illius in Fastis omissum esse, quia hostis judicatus fuisset. Sed, vera si est conjectura de tempore, quo ei spem Consulatus adipiscendi factam esse credo, numquam hoc magistratu functus est de medio sublatus fraudulenta Augusti crudelitate sive, ut L. Seneca de Clement. c. 9. §. 5. loquentem ea de re inducit Liviam, severitate, qua nihil profecerit, anno U. C. 714. s. 40. exeunte. De mortis genere paullulum discrepant scriptores. Livius (Epit. 127.) narraverat, voluntaria eum morte periisse; contra, Suetonio teste, Augustus eum Senatui damnandum tradidit, aut, ut Dio Cassius ait, cum in Senatu accusavit de insidiis sibi structis: quo facto ille *ὡς πολέμιος ἐκείνου καὶ τοῦ δήμου παντὸς ἐσφάγη.* Res haud dubie isto se habuit modo. Defectionis consilium, indicio M. Antonii protractum, effecit, ut a Senatu damnaretur et damnatus mortem sibi ipse conscisceret.

---

11) De Cn. Pompejo, qui ante diem Consul factus est a. U. C. 684. s. 70., cum adhuc eques Romanus esset, conferatur Vellejus Pat. Libr. II. c. 30. §. 2. ibiq. Krause.

LIBER SECUNDUS
DE
CAESARIS AUGUSTI
POEMATIS LATINIS ET GRAECIS.

---

§. 1.

Caesar Augustus, auctore Suetonio c. 85., summatim attigit Poëticam: quibus verbis significatur, eum nonnumquam animi caussa periclitantem, quid ingenii vires valerent, etiam carminibus scribendis aliquid operae ac temporis tribuisse. Neque tamen ex hujus artis studio liberali quidem, sed levi ac veluti subsecivo, quidquam laudis et admirationis tulisse videtur apud aequales. Id inprimis poëtarum ea de re silentium facit ut verum existimari oporteat. Quis enim est qui dubitet, quin, alios ut praeteream, certe Virgilius et Horatius, qui per blanditias haud illiberales Asinii Pollionis, viri ingenio et doctrina praestantis, cothurnum Sophocleum laudibus utcumque meritis in coelum ferrent, multo studiosius Augustum eo nomine celebraturi fuissent, si insigniora quaedam ejus carmina cognita habuissent? Et Horatius quidem, cui tot ac tantae se offerrent occasiones laudandi ingenium doctrinamque Principis, tantum abest, ut cum in aliis carminibus ad eum scriptis, tum maxime in Libri II. Epistola prima poëticam ejus facultatem commemoret, ut nihil in eo nisi judicium, rectum illud ac subtile, de aliorum poëtarum operibus collaudet ac magni faciat. 1) Neque id mirum videri debet. Numquam ille, opinor, in animum induxerat, ut hocce artis doctrinaeque genere ullam nominis famam adipisceretur, quippe quem amplioris gloriae stimuli a prima adolescentia agitassent. Cum autem eloquentiae opinionem et laudem cupide ac laboriosissime captaret, ne poterat quidem pro eo quod tum more receptum erat aliter facere, quam ut, dum juvenis erat, cum eloquentissimorum quorumque hominum, tum inprimis etiam avunculi exemplo incitatus in arte poëtica se exerceret atque ejusmodi exercitationibus dicendi scribendique facultatem excoleret. His assuetus provectiore etiam aetate negotiorum intervalla hujuscemodi studiis ludicris eleganter dispungere et otium oblectare solebat. Atque ex hoc genere pleraque, quae scripsisse fertur, poëmata esse arbitror.

§. 2.

Suetonii aetate exstabat adhuc unus liber scriptus ab eo hexametris versibus, cujus et argumentum et titulus erat *Sicilia*. Ex quibus Suetonii verbis nihil aliud colligi licet, quam

---

1) Praeter epistolam illam Augusto inscriptam huc pertinent Libr. II. Sat. 1. v. 83 sq. et Libr. I. Epist. 13. v. 18. Qui autem ab Horatio Libr. II. Epist. 1. v. 108 sqq. ipsum Augustum notatum esse opinantur, eos vehementer falli existimo. Quo enim tempore illa epistola exarabatur, haud dubie Augustus jam quinquagenarius ludicris istis studiis dudum valedixerat.

carmen illud complexum esse descriptionem Siciliae insulae et eorum, quae haberet miraculosa, in his Aetnam, sollemnem omnibus poëtis locum, ut recte monet Casaubonus. Idem tamen Vir Doctus ea de re mihi videtur non injuria dubitasse, permotus loco Senecae Epist. LXXIX. §. 4. et 5. Seneca enim Lucilium Juniorem rogat, ut in descriptione Aetnae, quam velut episodium majori suo de Sicilia carmini inserere cogitet, ne nimis modeste de se sentiens desperet, priores poëtas, qui in eo monte describendo versati essent, a se vinci posse, si quidem etiam Cornelius Severus neque a Virgilio neque ab Ovidio deterreri se passus fuisset, quo minus in carmine suo de Bello Siculo illius montis descriptionem includeret. 2) Jam Senecae silentium de Sicilia, Augusti poëmate, hac in caussa utique haud exiguum habet momentum. Non enim probabile est, Senecam taciturum fuisse, si idem de Aetna locus, qui in Siciliae descriptione praeteriri neque posset neque deberet, etiam ab Augusto tractatus fuisset. Accedit, quod non satis idonea excogitari potest ratio, qua illum Principem impulsum esse putemus, ut de argumento geographico, quamvis ubere ac jucundo, carmen componeret idque in vulgus emitteret, praesertim cum illud de terra ageret, in qua ipsum Fortuna plures per annos multis laboribus, ignominiis et cladibus exercuerat. Quapropter adduci nequeo, ut poëma istud non nisi descriptionem Siciliae insulae et eorum, quae haberet miraculosa, complexum esse credam, nisi forte suspicari placet, hoc fuisse ex eo genere carminum, quae Augustus, veterum exempla oratorum secutus, ad dictionem stylo formandam ex Graeco aliquo carminis cognominis exemplari in Latinum transtulisset. 3) At huic suspicioni cum alia refragantur, tum inprimis, quod valde dubitandum est, num tale non tam ingenii poëtici rudimentum quam merum industriae specimen Augustus suo umquam nomine editurus fuisset. Neque etiam credibile est, Suetonium, cui illud ad manus esset, hujuscemodi opusculum Principi illi adscripturum fuisse tamquam peculiare ac proprium carmen, quo appareret, illum Poëticam summatim attigisse. Haec reputanti mihi in opinionem venit, illi poëmati argumentum subjectum fuisse bellum cum Sext. Pompejo inde ab a. U. C. 712. s. 42. usque ad a. U. C. 718. s. 36. per intervalla et ancipiti fortuna gestum, cujus praecipua sedes Sicilia fuerat. Jam quod in caeteris Augusti scriptis tantum non omnibus observabimus, ea exarata videri ab eo et in lucem prodita, ut suae potissimum vitae res et rationes cum aequalibus communicaret illisque quocumque posset modo exornatis suae apud posteros famae consuleret, id etiam in hoc poëmate scribendo propositum sibi habuisse, mihi persuasum est. Non defuerunt ei caussae admodum graves, ut prae caeteris hoc bellum versibus exponendum sumeret. Nam sicut, teste Suetonio c. 16., in nullo alio bello nec plura nec majora adierat pericula, ita etiam non facile alias turpiora subierat ignaviae et vecordiae dedecora, quae sine dubio non soli M. Antonio, ut Suetonius refert, irridendi et exprobrandi materiam praebuerant. Itaque a vero minime abhorret, cum in describendo illo bello id potissimum spectasse, ut se purgaret atque ignominiosa hominum de se judicia confutaret. Id quo tectius

2) De *Cornelio Severo* ejusque Bello Siculo, quod post editas Ovidii Metamorphoses h. e. post a. U. C. 762. s. post Chr. 9. scriptum esse, Senecae testimonium evincit, docte et copiose egit Wernsdorfius P. L. M. Tom. IV. P. 1. p. 25 sqq.

3) Vertere Graeca in Latinum veteres Romani oratores optimum judicabant, ut ait Quintilianus Inst. Or. Libr. X. c. 5. §. 2. Nec dubium est quin Augustus, eloquentiae studiosissimus, graviter usus sit his styli exercitiis, quae, Cicerone exemplum praeeunte et commendante, etiam ad poëtarum Graecorum, inprimis Alexandrinorum qui dicuntur opera transferebantur. Jam Nicandrum Colophonium carmen *Σικελίας* nomine scripsisse novimus, cujus librum decimum citat Stephanus Byzantius s. v. *Ζάγκλη*, et cujus fragmenta collegit J. G. Schneiderus ad Nicandri Theriac. p. 287. Idne Augustus Latine verterit et in brevius contraxerit, cum ejus *Sicilia*, teste Suetonio, unus fuerit et modicus liber, ariolari piget.

faceret, fortasse nonnulla attexuerat de ipsa Sicilia, [4]) idque poëma hujus insulae nomine inscripserat callida usus dissimulatione, ne sua tantum caussa scripsisse videretur. Qua in re dicendus erit aemulatus esse avunculum, Julium Caesarem, a quo, cum in Hispaniam contra Cn. Pompeji M. filios festinaret, poëma similis argumenti et consilii, ut mea quidem fert opinio, compositum est, quod *Iter* inscripsit, teste Suetonio Jul. Caes. c. 56. Huic qualicumque meae de argumento ac consilio poëmatis Siciliae conjecturae consentaneum erit statuere, id non multo post belli Siculi finem circiter a. U. C. 719. sive 720. scriptum et evulgatum esse.

Caeterum praeterquam a Suetonio istud poëticum Augusti opus a nemine scriptorum et Grammaticorum veterum memoratur: quod nescio an eo evenisse dicam, quod illud quantumcumque opus obscuraverit Cornelii Severi Bellum Siculum, pluribus comprehensum libris, quorum primum cum laude commemorat Quintilianus Inst. Or. Libr. X. c. 1. §. 89.

§. 3.

Exstabat porro Suetonii aetate alter aeque modicus liber *Epigrammatum*, quae fere tempore balnei meditabatur. In hoc poëmatum genere Augustus videtur admodum promptus fuisse et ad extemporalitatem facilis. Neque hoc cuiquam, qui eum noverit, mirum videbitur. Fuit enim ingenio acri, arguto et procaci, nec tam facetus ac festivus quam petulans et mordax homo, ut ex ejus Apophthegmatis, quae memorantur, abunde patet. Atque ut natura major ei fuit hujusmodi poëmatia ludendi facultas, sic etiam inter imperii negotia ac curas uberius temporis otium, quod his lusibus velut innoxiae remissionis deliciis oblectaret. Hinc natus est modicus, ut Suetonius ait, Epigrammatum liber i. e. collectio eorum non exigua, ab ipso haud dubie facta et in lucem edita, ita ut in vulgi notitiam perveniret ac manibus versaretur.

Quaerentibus nobis, cujus naturae, artis et argumenti in universum fuerint ista poëmatia, non desunt, qui, hoc quoque libro vetustate nobis intercepto, testimonium dicant adeoque nobismet ipsis judicandi faciant copiam. C. Plinius Secundus, qui de Hendecasyllabis suis parum severis ac pudicis multum sermonem ac judiciorum diversitatem esse comperisset, de hoc indecorae petulantiae crimine sese excusaturus apud Titum Aristonem amicum Libr. V. Epist. 3. §. 4. profert Romanos, viros summos, gravissimos et doctissimos, qui similia scripserint in eisque non modo lascivia rerum, sed ne verbis quidem nudis abstinuerint, in quibus divum Julium, divum Augustum, divum Nervam, Titum Caesarem nominat. Inde discimus, Augusti epigrammata petulantiora fuisse ac lasciviora. Quid quod judicandi de illis potestatem nobis fecit Martialis, qui ad suorum epigrammatum lasciviam ac turpitudinem splendido Principis exemplo excusandam poëmatium Augusti ἑξάστιχον intermedium posuerit Libr. XI. Epigr. 20.:

Caesaris Augusti lascivos, Livide, versus
Sex lege, qui tristis verba Latina legis:
Quod futuit Glaphyren Antonius, hanc mihi poenam
Fulvia constituit, se quoque uti futuam.

---

4) Fortassis argumenti sui via deductus etiam est ad Aetnam montem, cujus describendi opportunitatem dabant quae legimus relata apud Appianum B. C. Libr. V. c. 117. Neque tamen eum locum ita tractasse videtur, ut memoratu dignus existimaretur a Seneca.

Fulviam ego ut futuam? Quid si me Manius oret
Paedicem, faciam? Non puto, si sapiam.
Aut futue, aut pugnemus, ait. Quid quod mihi vita
Carior est ipsa mentula. Signa canant!
Absolvis lepidos nimirum, Auguste, libellos,
Qui scis Romana simplicitate loqui. 5)

Hoc Epigramma Augusti a Martiale servatum Rutgersius impudicum quidem esse dicit ac nihil minus quam Romani Principis majestate dignum; verum ea Latini sermonis castitate, tam simplici atque inaffectata venustate, ut e tanto carminum numero, quae eum Principem fecisse constet, hoc solum nobis relictum esse videatur, quo desiderium amissorum excitaret. Quod Rutgersius de dictione et forma hujus epigrammatis admonet, nemo non probabit; non idem de ejus argumento sentiet quicumque sine cupiditate haec secum reputaverit. Ac primum quidem dubitari vix potest quin Martialis epigramma elegerit omnium spurcissimum, quo faciliorem suis ipse spurcidicis versibus veniam et excusationem pararet. Deinde utique aliquid dandum est Romanae, quam Martialis dicit, simplicitati a nostris moribus alienissimae, quae quantam habuerit vim in praestantissimos quosque et gravissimos viros, nemo evidentius ostendit quam Cicero in Orat. pro M. Caelio c. 17. et 20. Ea si legimus, quae orator ille, quem Plinius inter sanctissimos homines primo loco ponit, non erubuerat dicere in concione ac defendere, minus offensionis habebit istud epigramma, praesertim si meminerimus, id non scriptum esse ab Augusto Principe, qui demum ordinem rectum restituisse et evaganti licentiae frena injecisse merito laudatur ab Horatio Libr. IV. Od. 15. v. 9 sqq., sed a Triumviro i. e. eo tempore, quo ille protervus adhuc juvenis in omnium libidinum cupiditatibus viveret et variorum dedecorum, inprimis adulteriorum infamia flagraret. Denique id potissimum attendi par est, illos versus non animi caussa ab Augusto otioso, hilari ac jocante lusos esse, sed, ut sequentia docebunt, ei indignationis et irae plenissimo expressos, cum suas res quorumdam hominum clandestinis consiliis ac malitia in summum discrimen adductas videret. Itaque ego non tam miror, quod umquam tam obscoenum tamque indignum libero homine carmen scripsit idque ad sugillandos publice adversarios evulgavit, quam quod, Principatum ubi adeptus fuerat, illud servari et posteritati quoque tradi passus est. 6)

5) Hoc Epigramma Augusti ediderunt Scaliger Libr. I. Catalect. p. 207. et alii, quos laudat Burmannus in Anthol. Lat. Libr. III. Epigr. 247. Vol. I. p. 675. Adde H. Meyeri Anthol. Latin. N. 80. Vol. I. p. 20. Jo. Conr. Schwartzius in Carminibus et Fragment. Familiae Caesareae (Coburgi 1715. 8.) poëmation istud Augusti memoravit quidem, sed ipsa verba non apposuit subjecta hac adnotatiuncula: „Poëmation Caesaris Octaviani ponere religio fuit, quia Paulus ad Ephes. IV. 29. ita praecipit: *πᾶς λόγος σαπρὸς ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν μὴ ἐκπορευέσθω!*“ Vers. 2. *verba Latina* sunt simplicia, nuda. Sic qui plane et aperte loquitur nulla circuitione usus, dicitur *Latine* loqui: v. Cicero Philipp. VII. c. 6. Verrin. Libr. IV. c. 1. §. 2. ibiq. Zumpt. p. 653. Adde ex Priap. Carm. III. v. 9.: *Simplicius multo est*, „da paedicare,“ *Latine Dicere. Quid faciam? Crassa Minerva mea est*: ubi cf. Burmannus Anthol. Lat. Vol. II. p. 482. — Vers. 5. ediderunt Burmannus et Meyerus: *quid, si se Manius oret Paedicem?* Sed *me* tuentur Codices et Editiones vett. Cortii et Böttigeri, quorum Apparatus Criticus, qui dicitur, ad Martialem apud me est. — Vers. 6. *si sapiam*: quam loquendi formulam multis illustravit Peerlkampius ad Horat. Libr. I. Od. 11. p. 56. — Vers. 8. legunt et interpungunt Codd. nonnulli: *quid, quod mihi vita Carior est ipsa. Mentula signa canat*: quae varietas nata est ex perperam intellecta locutione *signa canere*, de qua accurate exposuit Kritzius ad Sallustii Catil. c. 59. §. 1. p. 312. Burmannum, qui vv. *signa canant* interpretatur *signa receptui canant*, confutavit jam Ouwensius in Noctib. Hagan. p. 201. Itaque fingitur dilemma a Fulvia Augusto propositum: *Aut futue aut pugnemus*: cui Augustus respondet: *signa canant* h. e. bellum incipiatur! Parum apte ex Aristophanis Lysistr. v. 129. *ὁ πόλεμος ἑρπέτω*, contulit Florens Christianus in Commentar. ad h. l. Vol. VIII. p. 34. Dindf.

6) Id eo magis mirandum est, cum ille posteritatis judicium reveritus eamdem ob caussam existimetur vetuisse ne

C. Libr. V. c. 14. *ὁ τῆς ἀποδημίας ἐπιτροπεύων τῷ Ἀντωνίῳ Μάνιος.* Conjunctus cum L. Antonio et Fulvia auctor exstitit suasorque, ut coloniarum deductio in M. Antonii adventum procrastinaretur. Fulviam cunctantem instigavit ad bellum, dictitans, Marcum, pacata Italia, moraturum apud Cleopatram, ea autem bello turbata, propere adventurum. Idem L. Antonium a pace non alienum incitat ad bellum calumniatus et criminatus Augustum, et conficta M. Antonii epistola aliisque commentis effecit, ut legati Senatus Praeneste missi infectis rebus a L. Antonio abirent. Orto bello mittitur, ut Ventidium et Pollionem arcesseret. M. Antonius, cum vere primo a. U. C. 714. s. 40. Alexandria, ubi hiemem transegerat, profectus Asiam permigraret et nuntium de rebus ad Perusiam gestis acciperet, Manii factum valde improbavit. Jam cum Fulvia mortua M. Antonius, pacis Brundisinae firmandae caussa, Octaviam in matrimonium duceret et nuptias Romae celebraret, Manium, postulante sine dubio ac criminante Augusto, occidi jussit, quod Fulviam criminationibus Cleopatrae exasperasset tantorumque malorum auctor fuisset. 9) Eo supplicio Manium affectum esse sub finem a. U. C. 714. s. 40. inde colligas, quod pax Brundisina facta demum est mense Septembri illius anni, ut ostendit Norisius Cenot. Pis. Dissert. II. c. 6. p. 139. sive primis diebus Octobris, ut statuit Spohnius in Prolegom. ad Virgilii Eclog. ap. Wagner. Vol. I. p. 44. At in Augusti epigrammate Manius ut vivus adhuc ac potens designatur. Scena igitur rei ibi depictae revocanda est ad primos Triumviratus annos, per quos ubi comitati fuerimus M. Antonium, inveniemus etiam *Glaphyren*, cujus consuetudo ei ab Augusto exprobratur.

Quum auctumno a. U. C. 712. s. 42. exeunte in campo Philippensi pugnatum esset, M. Antonius in Graeciam abiit et inde in Asiam trajectus provincias obiit tributa imponens et exigens, ut accurate narrat Appianus B. C. Libr. V. c. 7 sqq. In hoc itinere composuit etiam suo arbitrio civitatum et regum controversias ad ipsum delatas. De regno Cappadociae Archelaus Sisinna 10) tum contendebat cum Ariarathe, *ὧν τῷ Σισίννῃ (ὁ Ἀντώνιος) συνέπραξεν ἐς τὴν βασιλείαν, καλῆς οἱ φανείσης τῆς μητρὸς τοῦ Σισίννου Γλαφύρας,* teste Appiano, qui id factum esse refert a. U. C. 713. s. 41. At Dio Cassius Libr. XLIX. c. 32. eamdem rem his usus verbis: *ὁ δ᾽ οὖν Ἀντώνιος — δυναστείας — ἔδωκε καὶ — προσθεὶς Ἀρχελάῳ δὲ Καππαδοκίας, ἐκβαλὼν τὸν Ἀριαράθην. ὁ δ᾽ Ἀρχέλαος οὗτος πρὸς μὲν πατρὸς ἐκ τῶν Ἀρχελάων ἐκείνων τῶν τοῖς Ῥωμαίοις ἀντιπολεμησάντων ἦν, ἐκ δὲ μητρὸς ἑταίρας Γλαφύρας ἐγεγέννητο,* assignat a. U. C. 718. s. 36., quo anno M. Antonius, bello Parthis improspere illato, redire coactus fuerat. Hunc Appiani et Dionis dissensum non difficile factu fuerit ita componere, ut dicamus, Archelao Sisinnae a. U. C. 713. s. 41. promissum dumtaxat esse regnum Cappadociae a Triumviro isto Glaphyrae, pulchrae ejus matri gratificante, sed demum a. U. C. 718. s. 36., pulso Ariarathe, confirmatum. 11) Ab utroque scriptore discessionem tacite fecit Drumannus in

---

9) Quae de *Manio* isto succincte hic retuli, prolixius enarrata sunt ab Appiano B. C. Libr. V. c. 19. 21. 22. 29. 32. 52. et 66. Aliunde cum homo iste non sit cognitus, ambigi potest, sitne appellatus nomine gentili, an praenomine, quo solo nonnumquam scriptores Graeci Romanos designant. Sic, ut hoc utar, Plutarchus in Flamin. c. 15. et 16. *Manium Acilium Glabrionem* Cos. nude *τὸν Μάνιον* nominat, atque Praenomina seriori tempore in Gentilia et Cognomina transiisse, docuit Cannegieterus de Mutat. Nom. Cap. I. p. 6 sq.

10) Qui ab Appiano B. C. Libr. V. c. 7. nominatur *Sisinna*, eum appellant *Archelaum* alii scriptores, quos profert Schweighäuserus in Adnotatt. Vol. III. p. 859. Idem ap. Strabonem Libr. XII. c. 2. §. 6. *Sisinna* et §. 12. *Archelaus* vocatur: hinc eum binominem non temere fecit Freinshemius in Supplem. Livii Libr. CXXVI. c. 5. *Archelaum Sisinnam* appellans. Sed dissentire videtur Norisius Cenot. Pis. Dissert. II. c. 11. p. 225.

11) Eam sententiam comprobat Appiani v. *συμπράττειν,*

petulantia abreptus eo processit, ut impudicitiam Manio et Fulviae coitus libidinem publice objiceret. Utrumque confinxit, quo gravius stylo vulneraret. Non enim mihi persuaderi patiar, Fulviam, mulierem vetulam et effetam, eo vecordiae progressam esse, ut Augustum juvenem amoris gaudiis et artibus irretire et Cleopatrae ad instar partes suscipere voluerit suae aetati ineptas.[14])

Caeterum spirat hoc Epigramma superbum istum animum et lascivientem fastum, quo plenum fuisse scimus Augustum Triumvirum. Malo, inquit, bellum oriatur, quam ut me subjiciam et mancipem Fulviae. Hanc sententiam obscoenis verbis expressit quippe non per circuitus locutus illam, ex qua nascimur, omnium parentem, quam sanctus Numa mentulam vocabat, ut ait Bilbilitanus iste nequitiarum magister, Martialis Libr. XI. Epigr. 15. v. 8 sqq.

§. 4.

Apud Macrobium Sat. Libr. II. c. 4. p. 343. B. scriptum legimus: „Temporibus triumviralibus, Pollio cum *Fescenninos* in eum Augustus scripsisset, ait: At ego taceo. Non est enim facile in eum scribere, qui potest proscribere.“ Quemadmodum Augustus, irae atque animo obsecutus suo illud in Fulviam et Manium Epigramma lasciviente stylo chartis illuserat; sic etiam non temere existimabimus, istos in Pollionem versus Fescenninos, quos sua natura petulantes, obscoenos plenosque dicteriis fuisse novimus, ab eo exaratos esse, ut licentius jocando et lacessendo animum expleret. Solebat autem, dum Triumvir erat, in adversarios suos non modo gladium, sed, ut Caligulam de se dictitasse refert Suetonius c. 53., etiam lucubrationis suae telum stringere. Atqui per Triumviratus tempora Asinius Pollio in eis fuit Romanis, quos incertum sit timueritne magis Augustus, an oderit. Quapropter ad intelligendum non est difficile, quo animo ac consilio Fescenninos istos in Pollionem composuerit. Id factum esse dicit Thorbeckius de C. Asinii Pollionis Vita p. 18. anno U. C. 711. s. 43., quo Triumviratus initus est et proscriptione omnis Sullani temporis atrocitas erupit. Id autem mihi secus videtur. Namque Augustus non facile poterat nisi irritatus ac laesus virum illum bonum ac fortem, quem praesertim sciret caussae Caesarianae esse studiosissimum, vel jocularibus versibus publice insectari. Jam Triumviratus principio nullamdum fuisse illi constat offensionis aut inimicitiae cum Pollione suscipiendae caussam. Posteaquam autem intellexerat, Pollionem, M. Antonii ducem in Italia relictum, ortis cum Fulvia dissensionibus, L. Antonio Cos. favisse eumque, confecto adeo bello Perusino, constantem in tuendis augendisque M. Antonii partibus hujus appulsum quoque in Italiam adjuvisse, habebat quod ei succenseret ejusque in M. Antonium assiduum fidumque studium aegerrime ferret. Itaque prius, quam haec evenissent, subdubito an Augustus animum inducturus fuisset quidquam in Pollionem scribere. Atque ubi ipsum Pollionis responsum considero ac perpendo, togato potius homini quam sagato accommodatum, non multum abest,

14) Jo. G. Hoffmannus in Fellenbergii Thesaur. Tom. I. ad Leg. Jul. de adulteriis p. 152. laudat Augusti pudicitiam, qua bellum maluerit quam impuros Fulviae amplexus! — Etiam J. G. Loebellius de Principatu Augusti in Raumeri Prompt. Histor. V. (1834.) p. 247. N. scripsit: „*Merkwürdig ist dieses Epigramm übrigens auch in historischer Beziehung, indem es auf eine geheime, aber wahrscheinlich sehr wirksame Ursache es perusinischen Krieges anspielt und in den letzten Worten gleichsam den Anfang des Krieges selbst bezeichnet.*“ Loebellio adstipulatur Frandsenius de M. Agrippa p. 97. Equidem facio cum Drumanno in Hist. Rom. Vol. I. p. 397. de Fulvia verissime scribente: „*Kein Schriftsteller bestätigt, dass sie sich Octavian antrug, um ihn abhängig zu machen, und wegen verschmähter Liebe einen Krieg unter den Cäsarianern erregte, mit welchen sie selbst nur stehen und fallen konnte.*“

quin versus istos Fescenninos non ante scriptos ab Augusto et evulgatos esse putem, quam Asinius Pollio, acto d. VIII. Kal. Novembr. a. U. C. 715. s. 39. triumpho, in vitam privatam et otium sese abdidisset. In quo otio quum nimiam istam, qua erat, ac ferocem cogitandi dicendique libertatem retineret et inprimis Antonianae factionis studium prae se ferret, non est quod miremur, Augustum stomachantem cum isto pertinacis animi homine aliquando eum, quem constaret artis poëticae studiosum esse, versibus Fescenninis sive ex animo sive per petulantiam incessivisse, ipsum autem Pollionem, tum maxime otii et pacis amantem, Augusto Triumviro, qui inceptam proscriptionem utroque collega acerbius nuper exercuisset, nihil rescripsisse.

De Fescenninis Augusti unus testis exstat Macrobius. Quodsi igitur J. A. Fabricius in Bibl. Lat. Libr. IV. c. 3. Tom. III. p. 307. ed. Ern. scripsit: „Supersunt et Fescennina quaedam Augusti in Antonium in Catalectis poetarum;“ aut cogitavit de isto apud Martialem epigrammate, aut manifesto erravit, quia ne verbum quidem ex illius Fescenninis apud ullum reperitur Grammaticum. Idem Fabricius graviter fallitur, quum Fescenninos ab Augusto scriptos esse censet in *Vedium Pollionem*, saevum istum lurconem, quem memoravit Dio Cass. Libr. LIV. c. 23. N. 189. Vol. VI. p. 123. Strz.

§. 5.

Caesar Augustus etiam in numerum Poëtarum apud Romanos Tragicorum receptus est a Viris Doctis, qui de historia litterarum Latinarum scripserunt.[15]) Nam teste Suida s. n. *Αὔγουστος Καῖσαρ, ὁ καὶ Σεβαστὸς καὶ Ὀκταβιανὸς ἐπικληθεὶς, ἔγραψε — καὶ τραγῳδίαν Αἴαντός τε καὶ Ἀχιλλέως:* quocum convenit Eudocia in Villoisoni Anecd. Gr. Tom. I. p. 69.

Cum nemo alius veterum scriptorum *Achillis* tragoediae ab Augusto compositae mentionem fecerit, Rutgersius ad h. l. suspicatur, Suidam non duas intellexisse tragoedias, sed unam *Ajacis* nomine inscriptam et addidisse vv. *καὶ Ἀχιλλέως,* quoniam Achillis arma Ajaci mortis caussa fuerint. At eam conjecturam valde improbabilem censeo. Apertum enim est, apud Suidam de duabus diversi argumenti tragoediis sermonem esse. Nam si forte haec tragoedia binominis fuisset, ut aliae, de quibus dixi in Comment. *de Laevio Poeta* §. 10. in *Poet. Lat. Reliq.* p. 81 sq., debebat a Suida scribi: *Αἴαντος ἢ Ἀχιλλέως.* Itaque ex fide Suidae et Eudociae consensu, sane quam exili ac sublesto, Augusto attribuemus *Achillem* tragoediam. Qui apud Graecos Romanosque scripserunt hujus nominis fabulam, recensentur a Welckero in Trilog. Aeschyl. p. 428., Fr. Stievio in Dissert. de rei scenicae ap. Roman. origine (Berol. 1828.) p. 88. et H. Duentzero in Dissert. de Livio Andronico (Berol. 1835.) p. 22. Augustus cur hoc argumentum tragoediae subjecerit, ejus rei aliqua ratio reddi potest ex Appiano B. C. Libr. III. c. 13., qui refert, Augustum Achillis exemplo moveri solitum esse et excitari ad eloquentiam, ut jam admonuit Bergerus in Specim. I. Rhetor. Aug. (Viteberg. 1710. 4.) p. 62. Horatio scribenti ad Pisones ac praecipienti v. 120 sqq.: „*scriptor honoratum si forte reponis Achillem, Impiger, iracundus, inexorabilis, acer Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis:*“ obversatam esse Augusti Achillem et oblique ab eo improbatam, vel hanc ob caussam adduci nequeo ut credam, quia hujusmodi opusculum Principis scriniis umquam exivisse et evulgatum esse non est veri simile

15) Praeter libros A. Delrii, P. Scriverii, Fr. H. Bothii Tragoediae Roman. in Opusc. p. 25. ed. Jac. Vol. V. P. 1. p. 256. laudasse sufficiet A. G. Langii Vindicias

De *Ajace*, Augusti tragoedia, dubitari non licet propter certa scriptorum testimonia.[16]) Suetonius c. 85., commemorato Epigrammatum libro, qui sua adhuc aetate exstiterit, pergit: „Nam tragoediam magno impetu exorsus, non succedente stylo, abolevit: quaerentibusque amicis, quidnam Ajax ageret, respondit, Ajacem suum in spongiam incubuisse.“ Inter amicos illos, qui de Ajace quaererent, haud dubie fuit L. Varius poëta, teste Macrobio Sat. Libr. II. c. 4. p. 340. B.: „Ajacem tragoediam scripserat (sc. Augustus), eandemque, quod sibi displicuisset, deleverat. Postea L. Varius, tragoediarum scriptor, interrogabat eum, quid ageret Ajax suus; et ille, „In spongiam,“ inquit, „incubuit.“ Recepi enim sine haesitatione h. l. pro vulg. *Lucius gravis tragoediarum scriptor* conjecturam *Lucius Varius*, quam satis defendisse ac communivisse mihi videor in Comment. *de L. Vario Poeta* §. 2. N. 5. p. 8. Suetonius in genere amicos dicit; de fide Macrobii referentis, Augustum a L. Vario de Ajace interrogatum esse, non est quod dubitemus, cum clarissimus ille poëta ex Caesarianis esset ideoque apud Principem gratiosus, neque ab ipsius persona et studiis alienum, scire, num illud opus mox ad umbilicum esset perventurum. Quaesitum est, utrum Augustus eam fabulam ex antiquis ac diversis de Ajace narrationibus suopte ingenio composuerit, an forte Graeci cujusdam poëtae fabulam cognominem in sermonem Latinum transferre voluerit cum aliorum virorum summorum, tum inprimis avunculi exemplum ac laudem aemulaturus.[17]) Ex poëtis Graecis qui hujus nominis tragoediam scripserunt, eos memoravit Fr. Osannus de Sophoclis Ajace (Berol. 1820. 8.) p. 69 sqq. Qui quidem Vir Doctus non dubitavit scribere, ab Augusto Sophoclis Ajacem Latine conversam esse. In qua sententia secutus est Jo. Laurentium Lydum de Mensib. III. 39. p. 45. Bekk., qui utique tamquam rem certam et exploratam narrat, *ὅτι Αὔγουστος τὸν τοῦ Σοφοκλέους Αἴαντα εἰς τὴν πάτριον φωνὴν μετήνεγκεν*. Quorum verborum fidem et auctoritatem quo melius perspicias, operae pretium fuerit subjicere reliqua, quibus pergit: *εἶτα ἀκμαζούσης αὐτῷ μετὰ τὴν πρακτικὴν καὶ τῆς ἐκ λόγων ἀρετῆς, ὡς ἀναξίαν ἐκ παραβολῆς πρὸς Σοφοκλέα τὴν ἑαυτοῦ διεγίνωσκε τραγῳδίαν, ταύτην ἐξήλειψεν. Εἶτα ἐρωτηθεὶς πρὸς τοῦ Κικέρωνος, παρ᾽ ᾧ μετὰ σπουδῆς ἐπαιδεύετο, ποῦ τυγχάνοι ὁ γραφόμενος Αἴας, αὐτὸν ἀστείως ἅμα καὶ νουνεχῶς ἀποκρίνασθαι σπόγγῳ τὸν αὐτοῦ Αἴαντα, καθάπερ σιδήρῳ τὸν τοῦ Σοφοκλέους, περιπεσεῖν*. Verum jam A. G. Langius in Vindiciis Trag. Rom. p. 25. monuit, narratiunculam de Augusti Ajace, quae apud Suetonium et Macrobium legatur, a Laurentio Lydo mirifice exornatam esse. In eamdem sententiam Ferdin. Schulzus de Vita Sophoclis Poëtae (Berol. 1836. 8.) p. 90 sqq. ita transiit, ut hac in caussa unice sequendum existimaret testimonium Suetonii simpliciter dicentis, Ajacem tragoediam ab Augusto scriptam, neutiquam significantis, ex ullo exemplo Graeco translatam esse. Quo in judicio prorsus cum Viro Docto faciundum esse censeo. Enimvero Laurentius Lydus, ut omnino est scriptor fidei perquam dubiae, ita narratiunculam quoque istam non tam exornasse quam turpibus *ἀνιστορησίας* erroribus con-

16) His testimoniis excludendus est locus Virgilii Eclog. VIII. v. 6 sqq., quem Beroaldus et alii de illa tragoedia accipiunt, jam satis refutati a Burmanno ad h. l. Tom. I. p. 123 sq.

17) Videsis quae collegi in Comment. *de C. Licinio Calvo* §. 9. N. 30. in Poet. Lat. Rel. p. 127 sq. Ab Julio Caesare et a puero et ab adolescentulo ferebantur scriptae *Laudes Herculis*, epicis procul dubio versibus, et tragoedia *Oedipus*, auctore Suetonio c. 56. Cur hos quoque libellos Augustus vetuerit publicari (v. supr. N. 6.), nulla apparet ratio, nisi cum C. W. de Rhoer Cap. III. §. 3. p. 45. statueris, prospicere eum voluisse avunculi famae, ne, horum librorum comparatione cum caeteris facta, poëtici illi fetus tanto ingenio indigni censerentur.

taminasse arguendus est. Primum enim quum dicit, Augustum apud Ciceronem eruditum esse, id quam falsum et ineptum sit, jam Libro I. §. 9. p. 30 sqq. ostendimus. Deinde quo demum cumque tempore Ajacem ab Augusto scriptam esse statuimus, id pro certo affirmari licet, eam longe post Ciceronis obitum exarari coeptam esse, et Laurentium Lydum, pro L. Vario Ciceronem nominantem, in magno versari errore, ut jam pervidit et admonuit Heynius ad Donati Vit. Virgilii c. XIV. §. 53. Proinde etiam planum est, nullo in numero ac loco habendum esse ejus testimonium, quo Augustus dicatur Sophoclis Ajacem in patrium sermonem transtulisse et acquisita sibi majore eloquentia et facta Ajacis suae cum Sophoclea comparatione sensisse, quantum sua jaceret, eamque hanc ob caussam prae pudore quodam delevisse. Id unum ex Augusti responso, quod amicis quaerentibus dabat, manifestum fit, eum pariter ac Sophoclem communem antiquitatis famam de violenta, quam sua sibi manu intulerat, Ajacis morte secutum esse, rejectis aliis ea de re narrationibus, quas recenset Lobeckius ad Sophoclis Ajac. v. 863. p. 376 sqq. ed. 2. Atque propter hanc similitudinem fortassis Laurentius Lydus commentus est, quae de dramatis Graeci interpretatione Latina, Suetonio et Macrobio tacentibus, in medium profert.

Si quis autem quaerat, quid Augustus scribenda argumenti Graeci tragoedia spectaverit, haud scio an quidquam verius possit responderi, quam drama hoc qualecumque ab eo scribi coeptum esse, non quo aliquando id doceret, sed ut, si quid temporis a negotiorum publicorum administratione et cura liberum haberet, id ingenua hac et eleganti studiorum ratione disponeret atque oblectaret. Nam totus assentior Car. Passovio in Vit. Horatii p. CXII. N. 254. neganti, Augustum ad rem Graecorum tragicam Romae disseminandam alendamque et magnum studium et acre elegantiae et subtilitatis Atticae judicium attulisse. Quibus autem rationibus permotus fuerit, ut prae caeteris Ajacem Telamonium ejusque obitum tragoediae suae argumentum faceret, et num forte istius virtutes herois praecipue admiratus, an funestum ejus casum commiseratus ad scribendum sese dederit, ut per otium aetatis heroicae contemplatione animum suum pasceret, valde ambiguum perque incertum est. Certe praecipuae admirationis, qua fortassis, uti Achillem, de quo paulo ante diximus, ita Ajacem quoque coluerit, documentum in eo, quod ejus statuam prope *Αἰάντειον* in littore Rhoeteo positam, quae a M. Antonio sublata et Alexandriam avecta fuerat, Rhoetiensibus, subacta Aegypto, reddiderit, inveniri nequit, si quidem alia etiam signa Alexandriae capta pristinis possessoribus ab eo restituta esse memoriae prodit Strabo Libr. XIII. c. 1. §. 30. Multo minus de miseratione, qua tactus hoc argumentum tractandum sibi sumpserit, cogitari licet. Verum tamen observasse mihi videor, Augustum plerumque caussis extrinsecus accedentibus ad scribendum impulsum fuisse et in scriptis conficiendis tantum non omnibus suam potissimum rationem duxisse ac de se suisque dumtaxat rebus cogitasse. Propterea non vereor, ne vana prorsus finxisse ac magnas nugas dixisse insimuler, si conjecero, Augustum ad Ajacem tragoediam componendam adductum, ne dicam invitatum fuisse M. Antonii fatis et interitu. Nam utriusque viri haud dispar vitae ac mortis ratio. Sicut Ajax pro Achillis armis, ita M. Antonius pro imperio contenderat; uterque caussa victus sua vim vitae intulerat et in gladium incubuerat, ne alia consecter, quae in utroque sunt consimilia. Huc accedit, quod non credibile est, Augustum tanti, quanti tragoedia est, ambitus carmen scribere aggressum esse, priusquam de imperio jamjam securior uberiore otio et pace frui posset.

Jam vero tractanti ei ac stylo persequenti hoc de Ajace Telamonio argumentum non poterat non certaminis, ex quo tamquam alter Ulysses superior discesserat, prosperrimus obversari exitus, quo in sinu suo laetaretur: magnus enim ille adversarius, M. Antonius, de medio tandem sublatus, non amplius obstabat quo minus imperii clavum solus capesseret. Atque hujus ipsius argumenti, cujus haud dubie mox pertaesum esset, sive rationem sive ambitum simul in caussa fuisse suspicor, ut hanc tragoediam, ubi magnus, quo eam exorsus erat, impetus deferbuisset, ad umbilicum nondum perductam aboleret et quaerenti de hoc opere L. Vario, velut ipse inanem sui ingenii nisum irridens, responderet, Ajacem suum in spongiam incubuisse. Cujus responsi acumen non assecuti sunt qui, ut Scip. Maffejus de Amphitheatro Libr. I. c. 14. et Burmannus ad Sueton. Vol. I. p. 428. b. *spongiam* de ferro aliove instrumento nescio quo accipi maluerunt propter v. *incumbendi*, quod spongiae usibus non aptum videretur. Sed intelligenda est *spongia deletilis*, de cujus usu exposuit H. Hugo de pr. scribendi origine p. 6 sq. coll. R. de Prado ad Martialis Libr. IV. Ep. 10. p. 306. Verborum sententia haec est: Sicut verus Ajax in gladium incubuerat et exstinctus est, ita Ajax, tragoedia scripta, in spongiam incubuit et deleta est, allusione vocum *in spongiam* pro *in gladium* adhibita, ut recte Oudendorpius monet. J. Laurentio Lydo visus est Augustus *ἀστείως ἅμα καὶ νουνεχῶς ἀποκρίνασθαι;* ego assentior Fr. A. Wolfio ad Sueton. Vol. I. p. 211. scribenti: „Frigidior est jocus, quamquam suo ferendus loco. Sed inepte a nonnullis hodie traducitur ad serium genus scribendi: v. c. quum conjecturas suas Critici *in spongiam incumbere* jubent."

§. 6.

Quo longius aetate Augustus progrediebatur ac quo magis refrigescebat juvenilis iste animi aestus, quo ad poëmata vel contumeliosa et componenda et evulganda ferebatur, hoc rarius eum levioribus his artis poëticae studiis per otium vacavisse credibile est. Huic suspicioni patrocinatur scriptorum silentium: quae enim hactenus carmina percensuimus, ea dubitari vix potest quin maximam partem ab Augusto Triumviro scripta fuerint. Neque tamen existimandus est istis studiis virili aut senili aetate ita valedixisse, ut, qua pollebat, versus scribendi facultate numquam uteretur, imo jam quatuor et quinquaginta annos natus voluit hujus facultatis suae publicum quoddam documentum exstare. Nam a. U. C. 745. s. 9. privignum suum, Drusum, qui in Germania ex fractura cruris mortuus et Romae in Campo Martio sepultus fuerat, non solum splendide laudavit pro concione, sed etiam non contentus, elogium tumulo ejus versibus a se compositis exsculpsisse, vitae memoriam prosa oratione composuit, ut refert Suetonius in Vit. Claudii c. 1. Quo in loco *elogium*, ut ap. Ciceronem de Senect. c. 17. §. 61., significat inscriptionem sepulcralem, quam ille versibus, ut Suetonius ait, a se compositis tumulo exsculpserat h. e. versibus haud dubie elegiacis conceptam monumento Drusi incidendam curaverat. Vide infra Libr. III. §. 2. N. 15.

Jam superest, ut de carmine quodam Latino dicamus, quod hodieque exstat et olim Caesari Augusto attributum est. Plinius N. H. Libr. VII. c. 30. §. 114. ait: „Divus Augustus carmina Virgilii cremari contra testamenti ejus verecundiam vetuit, majusque ita vati testimonium contigit, quam si ipse sua probavisset." Pertinent haec ad Aeneidem, quam nondum satis elimatam ut adolerent amici impense rogaverat Virgilius morbo oppressus et morti proximus, refe-

rente A. Gellio N. Att. Libr. XVII. c. 10. Quod igitur carmen ipse Poëta igni legavit, ut ait Macrobius Sat. Libr. I. c. 24. p. 324. B., id vetuit cremari Augustus. Hujus ipsius plures eadem de re ac clarissimos versus exstare, scribit Donatus in Vit. Virgilii c. XV. §. 58. allegans septem hexametros et hemistichium ex carmine, quod in haud paucis Virgilii Codicibus reperitur diversis titulis Caesari Augusto adscriptum.[18]) Sic Codex Petavii a N. Heinsio collatus et Colbertinus: *Carmen Octaviani Caesaris Augusti de laudanda arte et sublimanda per saecula P. V. M.* In Thuan. Mentel. Heins. Dorvill.: *Octaviano Caesari*, et in Voss.: *Vetat Caesar Aeneidem comburi.* Pulmannus etiam edidit sub titulo: *Octavii Augusti edictum de Aeneide Virgilii non abolenda.* Hoc carmen quamvis Augusti ingenio et doctrina indignum, huc tamen transscripsi, non committendum ratus, ut quidquam, cui Rutgersius et Fabricius inter Augusti Scriptorum reliquias locum concesserant, hic desideraretur:

Ergone supremis potuit vox inproba verbis
Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes
Magnaque doctiloqui morietur Musa Maronis?
Ah scelus indignum! solvetur littera dives,
Et poterunt spectare oculi, nec parcere honori
Flamma suo, dignumque operi servare decorem?
Noster Apollo veta, Musae prohibete Latinae!
Liber et alma Ceres succurrite! Vester in armis
Miles erat, vester docilis per rura colonus.
Nam docuit, quid ver ageret, quid cogeret aestas,
Quid daret autumnus, quid bruma novissima ferret.
Arva reformavit, sociavit vitibus ulmos,
Curavit pecudes, apibus sua castra dicavit.
Haec dedit, ut pereant, ipsum si dicere fas est?
Sed legum est servanda fides; suprema voluntas
Quod mandat fierique jubet, parere necesse est.
Frangatur potius legum veneranda potestas,
Quam tot congestos noctesque diesque labores
Hauserit una dies, supremaque jussa parentis
Amittant vigilasse suum! Si forte furenti
Erravit in morte dolor, si lingua locuta est
Nescio quid titubante animo, non sponte, sed altis
Expugnata malis odio languoris iniqui,
Si mens caeca fuit: iterum sentire ruinas
Troja suas, iterum cogetur reddere poenas,
Ardebit miserae post vulnera vulnus Elissae?
Hoc opus aeternum ruet, et tot bella, tot enses

18) Hoc carmen ediderunt Pithoeus Libr. II. p. 70., Scaliger in Catal. p. 141., Schwartzius in Carm. et Fragm. Fam. Caesar. p. 157 sq., Burmannus in Anthol. Lat. Libr. II. Epigr. 184. Vol. I. p. 357 sqq., Heynius in Testimoniis de Virgilio N. VII. Vol. I. p. CXLII. ed. Wagn. et nuperrime Henr. Meyerus in Antholog. Latin. N. 858. Vol. I. p. 266. coll. Adnot. p. 216.

In cineres dabit hora nocens et perfidus error?
Huc huc Pierides nemorum per lustra loquaces
Tendite, et ardentes ignes fluvialibus undis
Mergite, ne pereat tam clari musa poetae,
Famaque vanescat. Vivat Maro clarus in orbe
Ingratusque sibi, sed quod male jusserat ipse,
Sit vetuisse meum. Sacer est post tempora vitae,
Sicque erit aeternum tota resonante Camena,
Carmen et imperii divi sub nomine vivat.
Laudetur, vigeat, placeat, relegatur, ametur.

Hujus carminis textum, quem dicunt, operas typis exscribere jussi ex H. Meyeri Anthologia Latina, omissa omni lectionum varietate rejectaque, ut par est, rerum verborumque adnotatione, qua id cum alii editores instruxerunt, tum inprimis Burmannus. Una enim hodie est ac consentiens Virorum Doctorum vox, hos versus nequaquam ab Augusto, sed a poëta quodam serioris aevi scholastico compositos esse, utqui ne scierit quidem susceptam Principis personam cum aliqua laude sustinere. Leve enim est illud, quod Burmannus de v. 17. et v. 33. monet, in quo τὸ ἦθος Augusti optime expressum esse judicat. In Cod. Vatican. N. 1586. hoc carmen tribuitur *Valerio Martiali:* non majore jure quam Augusto, licet illum non excludat syllabae postremae in v. *ergo* v. 1. correptio, quam prae caeteris urget Broukhusius ad Propertii Libr. III. Eleg. 5. v. 1. p. 239. Conferatur docta adnotatio Lennepii ad Ovidii Heroid. Epist. V. v. 59. At totum carmen a venusto Poëtae Bilbilitani ingenio abhorret. Acerbe quidem, sed vere Schwartzius: „Totum id equidem“, inquit, „ineptum puto, quod ad Virgilium dehonestandum valet, cum auctor id ad laudes Virgilii comparatum esse voluerit. Tanta fuit hominis insipientia et insulsitas.“ At Voltarius in *Essai sur la Poesie épique* Chap. 3. Oeuvr. Compl. Tom. XII. p. 345. (Bas. 1791.) istos versus non modo Augusto tribuit, verum etiam magnopere probat scribens: *„ils sont beaux et semblent partir du coeur.“* De quo judicio scite Heynius ad Donati Vit. Virgilii l. c. ait: „Ita vides, ad verum pulcrarum sententiarum sensum et judicium sermonis intelligentiam aliquam esse necessariam!“

§. 7.

Etsi Augustus, ut apud Suetonium c. 89. legimus, linguae Graecae non ita peritus erat, ut aut loqueretur expedite aut componere aliquid auderet; tamen idoneis scriptorum testimoniis cognitum habemus, eum per occasionem lusumve adeo versus Graecos vel ex tempore fecisse. Ejus rei documentum servatum nobis est a Macrobio Sat. Libr. II. c. 4.: „Solebat descendenti a palatio Caesari honorificum aliquod epigramma porrigere Graeculus. Id cum frustra saepe fecisset, rursumque eum idem facturum vidisset Augustus, breve sua manu in charta exaravit Graecum epigramma: pergenti deinde ad se obviam misit. Ille legendo laudare; mirari tam voce, quam vultu. Cumque accessisset ad sellam, demissa in pauperem fundam manu, paucos denarios protulit, quos principi daret. Adjectus hic sermo: *Μὴ κατὰ τὴν τύχην σήν, Σεβαστέ· εἰ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδουν.* Secuto omnium risu, dispensatorem Caesar vocavit, et

sestertia centum millia numerare Graeculo jussit.“[19]) Istud quantivis pretii epigramma, subito exaratum, saltem ostendit, non defuisse illi cum promptam satis linguae Graecae, tum artis etiam scientiam, ex multa ac diligenti poëtarum Graecorum lectione haustam. Verum Augustus non modo joculāriter versus Graecos nonnumquam fecit, sed etiam data opera eos composuisse videtur adeoque publicasse. Id probari affirmarique posse puto loco Plinii N. H. Libr. XXXV. c. 10. §. 91.: „Venerem exeuntem e mari Divus Augustus dicavit in delubro patris Caesaris, quae Anadyomene vocatur, versibus Graecis tali opere, dum laudatur, non victo sed illustrato: cujus inferiorem partem corruptam qui reficeret, non potuit reperiri. Verum ipsa injuria cessit in gloriam artificis. Consenuit haec tabula carie, aliamque pro ea Nero principatu substituit suo, Dorothei manu.“[20]) Venus Ἀναδυομένη, picta ab Apelle sive Phrynes sive Pancastes exemplari, dono data fuerat ab Artifice Coi insulae incolis, popularibus suis, ibique servata in aede Aesculapii, auctore Strabone Libr. XIV. c. 2. §. 19. Nobile hoc et primarium Apellis opus Augustus, remisso Cois tributo centum talentûm, paravit et Romae in delubro Divi Julii Caesaris dicavit, cum Venus esset ἡ ἀρχηγέτις τοῦ γένους αὐτοῦ, ut Strabo ait.[21]) Callimachus Fragm. N. 254. B. κατ᾽ ἐξοχὴν appellat γράμμα Κώϊον, idque certatim illustrarunt poëtae, elegantissime Leonidas Tarentinus, quem imitati sunt, alius alio infelicius, Antipater Sidonius, Archias, Democritus, Julianus Aegyptius, in quos docte commentatus est Ilgenius in Opusc. Philol. Tom. I. p. 13—44. Ex poëtis Latinis illud artis miraculum respiciunt Propertius Libr. I. Eleg. 2. v. 22., III. 7. v. 11., Ovidius Amor. Libr. I. Eleg. 14. v. 33., A. A. Libr. III. v. 401., Trist. Libr. II. v. 527., ex Pont. Libr. IV. Ep. 1. v. 28.

Jam Augustum insigne illud Apellis opus dicasse versibus Graecis, quos ipse composuerit, manifestum fit ex verbis Plinii, fatente etiam J. Sam. Bergero in Specim. I. Rhetorices Aug. p. 67. Qua de caussa vehementer dubito, num Henr. Ed. Dirksenius cuiquam probaturus sit suam sententiam, qua versus illos jam pridem in ipsa Graecia a poëta quopiam tabulae Apelleae subscriptos fuisse statuit.[22]) Nam primum ut concedam, jam apud Coos versibus illam fuisse inscriptam utpote a plurimis celebratam poëtis; tamen nulla cogitari potest ratio, ob quam Plinius ejus rei tam disertam fecerit mentionem, omisso praesertim nomine poëtae, a quo istud elogium scriptum esset. Quod si Plinius Libr. cit. c. 12. §. 154. tradit, Damophilum et Gor-

19) Edidi *breve sua manu — exaravit*, ut est in Aldin. aliisque editt. pro *brevi:* in quo interpretando mirifice allucinatus est Pontanus, jam ab Jac. Gronovio refutatus. Genuina si esset lectio *brevi*, explicanda foret *ἐν βραχεῖ*, *in Kurzem*, h. e. sine praevia meditatione. Sed praestat *breve*, quod ad v. *epigramma* referri debet. Pro vulg. *sestertia centum millia*, quae efficiunt 5456. Imp., Jo. Fr. Gronovius de Pec. Vet. Libr. I. c. 4. legendum conjecit *sestertium mille* vel, si illud nimium sit, *sestertios centum*. Hac narratiuncula usus est Fr. Jacobsius in Scriptt. Miscell. Vol. VI. p. 446 sq. In verbis Graeculi videtur legendum esse aut *κατὰ τὴν τύχην σου* aut *τὴν σήν*.

20) In loco Pliniano fidenter recepi felicissimam conjecturam Broterii: *non victo*, cum sine negatione, quae a librariis supinis facile omitti posset, loci sententia minime constet. Eam cum Lacherio in Comment. de Venere p. 107. et Millino in Monum. Inedit. Tom. II. p. 229. probat etiam doctissimus operis Pliniani editor, Silligius ad h. l. et in Catal. Artif. p. 69.

21) De hac Apellis imagine qui scripserunt, eos partim Beierus ad Ciceronis de Offic. Libr. III. c. 2. §. 10. Tom. II. p. 198 sq. memoravit, partim Silligius in Catal. Artif. p. 69 sq., quibus addendi sunt Petersenius in Introd. in Stud. Archaeol. p. 95 sq. et Müllerus in Archaeol. §. 141. 3. p. 138. ed. 2.

22) Videatur Dirksenii Commentatio inscripta: *Ueber den öffentlichen Gebrauch fremder Sprachen bei den Römern*, quae legitur in ejus libro: *Civilistische Abhandlungen* P. I. p. 1—92. (Berol. 1820. 8.) Ibi p. 29. haec scripsit: „*Die griechischen Verse, welche unter einem Gemälde der Venus Anadyomene von Apelles standen, das August in dem Tempel des Jul. Caesar stiftete, rührten augenscheinlich aus früherer Zeit her, als das Werk sich noch in Griechenland befand, von wo aus schon Jul. Caesar verschiedene Gemälde für römische Tempel erstanden hatte.*“

gasum, plastas eosdemque pictores, Romae Cereris aedem utroque genere artis suae excoluisse, versibus inscriptis Graece, quibus significarent, ab dextra opera Damophili esse, ab laeva Gorgasi; non est quod Dirksenio, viro eruditissimo, multis ostendam, quam diversus hic locus ab illo sit, in quo verba: *versibus Graecis* nullo pacto a v. *dicavit* divelli possunt. Deinde versus istos si non ab ipso Augusto scriptos esse statuimus, summa obscuritate laborant verba: *tali opere, dum laudatur, non victo, sed illustrato*, quae de Augusto tantum accepta commodam praebent sententiam. Plinii enim mens haec est: quamvis hoc opus ab Imperatore Caesare Augusto laudatum sit, tamen istis versibus tantummodo illustratum est, non victum, si ejus praestantia spectatur. Augustus procul dubio Apellis Venerem illam non modo ob artificis manum laudaverat, sed quod eam deam Julius Caesar ut Genitricem, Ἀφροδίτην γενέτειραν, prae caeteris coluisset.[23]) Denique nihil est veri similius, quam pretiosum istud artificis Graeci opus non Latinis, sed Graecis versibus dicatum esse ab Augusto, utqui ea in re ut mirabili et insolenti sibi placeret; Plinio autem id ipsum mirum et notatu dignum visum est, quod Princeps in dedicanda versibus tabula non Latina, sed Graeca lingua usus esset. Elogium illud Augusti intercidisse, non est mirandum, cum ipsa tabula jam Neronis principatu carie consenuisset, ut Plinius refert.

His rationibus et argumentis adductus non dubitavi istum Plinii locum ponere in testimoniis de Augusti facultate vel ligata oratione, si luberet et occasio ferret, Graece scribendi. Illud autem, quod, auctore Suetonio c. 98., in Caprearum secessu fecit, ubi exhilaratus fausta nautarum Alexandrinorum acclamatione, comitibus inter alia legem quoque proposuit, ut Romani Graeco, Graeci Romano sermone et habitu uterentur, non tam malis ominibus vicinaeque mortis praenuntiis,[24]) quam senis praegrandis lusibus nugisque, ne dicam deliramentis adnumeraverim. Quum in postremo, quod dimissurus Tiberium in Illyricum suscepit, itinere, quo Campaniae oram proximasque insulas circuibat, animo esset ad otium et ad omnem comitatem remississimo neque ullo hilaritatis genere abstineret, Caprearum, quas Graeci incolerent,[25]) secessui quatriduum impendit ibique non solum ephebos ex vetere instituto se exercentes assidue spectavit iisdemque epulum praebuit, permissa, imo exacta jocandi licentia, sed etiam ob Graecos insulae illius incolas uti voluit suos comites sermone Graeco, eoque ipse usus est. Nam vicinam Capreis insulam Ἀπραγόπολιν appellabat a desidia secedentium illuc e comitatu suo: quod nomen ipse per jocum lusumque formasse videtur, quo significaret locum negotiis vacuum sive urbem desidiae altricem, *Faulenzerstadt*.[26])

---

23) De re satis nota videsis Intpp. ad Suetonii J. Caes. c. 6 et 61. itemque ad Dionem Cass. Libr. XLIII. c. 22. Vol. V. p. 374. Strz. et Schlegelium in Morellii Thes. Imper. Tom. I. p. 36 et 58.

24) In ea opinione est Dirksenius l. c. p. 89. scribens: „*Die Hofsprache war, so lange Rom der Mittelpunkt der römischen Weltherrschaft blieb, ohne Ausnahme die lateinische. Dass August bei seinem Aufenthalt in Capreä für sich und sein Gefolge die griechische Sprache zur alleinigen Umgangssprache erhob, wird, als etwas ganz Ungewöhnliches, zu den Vorboten von dem bald darauf erfolgten Tode des Kaisers gezählt.*“ Id vereor ut satis probetur locis Suetonii Aug. c. 97. 98. cl. c. 89., quos Vir Doctus in medium profert.

25) *Capreas*, antiquitus *Teleboûm domos* (v. Statius Sylv. Libr. III. Carm. 5. v. 10.), a Neapolitanis, facta Pithecusarum sive Aenariae permutatione, sibi vindicaverat Augustus easque aedificiis instruxerat, auctore Strabone Libr. V. c. 4. §. 9. cl. Sueton. c. 92. Id factum anno U. C. 725. s. 29. assignat Dio Cass. Libr. LII. c. 43. cf. Fabricius ad h. l. N. 145. Vol. VI. p. 56. Strz.

26) In formando hoc nomine Augusto praeiverat quodammodo M. Terentius Varro, a quo Saturam Menippeam „*Marcopolis*“ dictam pari cum lepore scriptam esse scimus: v. Fragmenta in Edit. Bip. Tom. I. p. 289 sq.

In eodem secessu Capreensi lusit etiam duobus Trimetris ex tempore pronuntiatis. Apponam verba Suetonii c. 98.: „Sed ex dilectis unum, Masgaban nomine,[27]) quasi conditorem insulae, *κτιστὴν* vocare consuerat: hujus Masgabae ante annum defuncti tumulum, quum ex triclinio animadvertisset magna turba multisque luminibus frequentari, versum compositum ex tempore clare pronuntiavit:

Κτιστοῦ δὲ τύμβον εἰσορῶ πυρούμενον.

Conversusque ad Thrasyllum, Tiberii comitem, contra accubantem et ignarum rei, interrogavit, cujusnam poëtae putaret esse: quo haesitante subjecit alium:

Ὁρᾷς φάεσσι Μασγάβαν τιμώμενον;

ac de hoc quoque consuluit: quum ille nihil aliud responderet, quam, cujuscumque essent, optimos esse, cachinnum sustulit atque in jocos effusus est.“ Nemo non videt, in utroque Trimetro, quo Augustus, senex velut repuerascens, eruditum Graecum, Thrasyllum,[28]) animo hilari ludificatus est, non tantum ingenii et artis inesse quin hujuscemodi versus quivis unus, dummodo non prorsus hospes ac peregrinus sit in Graecorum praesertim tragicorum poëtarum operibus, multos animi caussa conglutinare possit. Augustus autem quam gnaviter in Graecorum utriusque generis scriptorum lectione versatus sit, vel ex Epistolis ejus et Apophthegmatis manifestum fit, in quibus pro Latinis Graeca ponere amat et inprimis versus Graecos frequenter usurpare memoriterque recitare consuevit. Quid plura? ipse Suetonius, licet contestetur, eum neque expedite Graeca lingua usum neque quidquam componere ausum esse, tamen expressis verbis ait c. 89.: „Sed plane poëmatum (Graecorum) quoque non imperitus delectabatur etiam comoedia veteri, et saepe eam exhibuit publicis spectaculis.“[29])

Haec habui, quae in tanta testium paucitate de Caesaris Augusti poëticis utriusque linguae opusculis dicerem: quibus probatum esse arbitror, quod, auctore Suetonio, in principio posui, hunc Principem summatim tantum Poëticam attigisse.[30])

---

27) *Masgabas*, nomen barbarum, obvium quoque ap. Livium Libr. XLV. c. 13. de Masinissae filio, probat, illum fuisse ex Augusti dilectis seu delicatis, deliciis, *παιδαρίοις* h. e. ex minutis pueris, quos facie et garrulitate amabiles undique conquirebat, praecipue Mauros et Syros, teste Suetonio c. 83. ibiq. Casaub. Tales fuerunt *Marathus* ap. Sueton. c. 79. ibiq. Oudendorp. et *Sarmentus*, de quo dixi in Comment. *de C. Valgio Rufo* §. 7. N. 12. in P. L. Reliq. p. 224 sqq. Utroque honoratior videtur fuisse Masgabas, quem Casaubonus putat colonos in illam insulam deduxisse ideoque per jocum *κτιστὴν* esse appellatum, licet proprie ipse Augustus fuerit *κτιστής*, conditor. Nam is Capreas a Neapolitanis redemptas incolis frequentaverat feceratque *ἴδιον κτίσμα*, ut ait Strabo Libr. V. c. 4. §. 9. Paldamus maluit *κτιστὴν* accipi de curatore et rectore insulae, et, quia *conditor* a Latinis hac significatione dici non soleat, additum esse suspicatur *quasi*, ad mitigandum insolitum v. *conditoris* usum. Cf. Burmannus ad h. l. et Tzschuckius ad Pomp. Melae Libr. II. c. 7. §. 5. Vol. III. P. 2. p. 628.

28) De *Thrasyllo* Mathematico, Tiberii comite inprimis caro, expositum est supra Libr. I. §. 10. N. 131.

29) Postrema illa Suetonii verba, quae nonnihil obscuritatis ac dubitationis habent, a nemine interpretum, quos quidem nôvi, illustratum sublatumve, fusius explanavi in Excurs. I.

30) Vidésis infra Excurs. II.

EXCURSUS I.

DE

LOCO SUETONII AUG. C. 89.

Augustum pro eo, quo a teneris eum imbutum fuisse docuimus, litterarum Graecarum amore ac studio privatim delectatum esse comoediae veteris licentia, non est quod miremur; sed Eupolidis, Cratini, Aristophanis aliorumque comoedias populo Romae eo, quo Suetonius dicit, tempore Graece exhibitas esse, est sane quod mirationem cuivis faciat reputanti, id dici factum esse a Principe, libertatis publicae osore et oppressore, atque apud populum, qui haudquaquam videatur jam tum linguae et institutorum Graecorum tam gnarus fuisse, ut fabulas Graecas, praesertim comoedias veteris quae dicitur aetatis, intelligere eisque oblectari posset. Sunt, ut Lipsius ad Taciti Ann. Libr. XIV. c. 21. aliique, qui opinentur, Romae ludos scenicos triplicis generis, Latinos, Oscos et Graecos, de more solitos esse edi. Cui sententiae alii non temere controversiam movent. Equidem hic, omissa subtiliore hujus rei exploratione, id modo profiteor ac contendo, linguae Graecae scientiam Romae jam ante Augustum latius patuisse ejusque usum apud populum publice privatimque videri multo frequentiorem fuisse, quam statuerit et nuper probare conatus sit H. Ed. Dirksenius in libr. *Civilistische Abhandlungen* Tom. I., qui p. 33 sqq. in fabulis quoque scenicis unius linguae Latinae usum regnasse et, sicubi *actores Graeci* memorentur, non de lingua Graeca, sed de argumento et descriptione dramatis cogitandum esse affirmat.[1]) Non vacat hic accuratius examinare duo istos Plutarchi in Vit. Marii c. 2. et in Vit. Luculli c. 29. locos, quibus suam sententiam stabilire studet: id tantum admoneo. C. Marius quum dicitur post secundum triumphum *ἐπὶ ναοῦ τινος καθιερώσει θέας Ἑλληνικὰς παρέχων,* necesse est, si quid judico, intelligantur dramata Graeca, quoniam Plutarchus eorum mentionem fecit, ut Marii linguae et litterarum Graecarum ignorantiam ostenderet ac contemptum: addit enim, illum ingressum quidem esse theatrum et assedisse, sed statim discessisse. Nec video caussam idoneam, ob quam *πολλοὺς τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν*, quos captis Tigranocertis in Luculli potestatem venisse Plutarchus ait, non liceat accipere de actoribus Graecis proprie sic dictis? Operae pretium autem fuerit majore cum cura tractare insignem illum, quo idem Vir Doctus in suam rem usus est, locum Suetonii Jul. Caes. c. 39.: „Edidit spectacula varii generis: munus gladiatorium, ludos etiam regionatim urbe tota, et quidem per omnium linguarum histriones.“ Dirksenius quemadmodum apud Plutarchum *τοὺς περὶ τὸν Διόνυσον τεχνίτας,* ita etiam apud Suetonium „*histriones*“ de Pantomimis interpretatur. At, ut ne urgeam, et nomen et artem Pantomimorum demum Augusti aetate in usu esse coepisse, ut docuit Böttigerus in Opusc. Latin. p. 342 sqq., alia etiam inveniuntur quae huic interpretationi refragentur. Memorabilis hac in caussa locus reperitur apud Nicolaum Damascenum de Inst. August. c. 9.: *Βουλόμενος δ' αὐτὸν* (i. e. Augustum) *ὁ Καῖσαρ καὶ ἔμπειρον τοῦ ἀγωνοθετεῖν ἐν ταῖς τοιαύταις χορηγίαις εἶναι, δυοῖν ὄντοιν θεάτροιν, τοῦ μὲν Ῥωμαϊκοῦ, ἐν ᾧ αὐτὸς παρὼν τὴν φροντίδα εἶχε, θατέρου δὲ Ἑλληνικοῦ, τούτῳ ἐπέτρεψεν ἐκείνου τὴν ἀγωνοθεσίαν.* Quo in loco cum duo nominentur theatra, alterum Romanum, in quo ipse

1) Non alienum fuerit Dirksenii verba adscribere: „*Bei dramatischen Darstellungen auf den römischen Theatern war gleichfalls die lateinische Sprache ausschliesslich herrschend; wie wohl einzelne Dialekte derselben gewissen Gattungen dieser Dramen eigenthümlich waren, wie z. B. den Atellanen, bei denen freilich auch ein rein römischer Text nicht ungewöhnlich war, der oskische Dialekt. Unsrer Ansicht steht die Erwähnung von* actionibus graecis *auf dem römischen Theater keineswegs entgegen; da diese sich von den* fabulis latinis *nicht in der Sprache, sondern im Stoffe und in der Oekonomie des Stückes unterschieden. Ebensowenig darf uns die Erzählung von griechischen Schauspielen, welche Marius nach seinem zweiten Triumphe zur Feier einer von ihm veranstalteten Tempelweihe in Rom gegeben haben soll, irre machen. Denn wahrscheinlich haben wir hier nicht an eigentliche Dramen, sondern an die Vorstellungen der damals schon sehr in Mode gekommenen Pantomimen zu denken. So verwendete L. Lukullus zu seinem Triumphzuge die Mimen, welche Tigranes aus allen Gegenden Asiens zusammengesucht hatte, um den Glanz seiner Spiele zu erheben; und auf gleiche Weise ergötzte Julius Cäsar bei seinem grossen Triumphzuge den Pöbel Roms, indem er Pantomimen von allen Zungen auf den Strassen Roms ihr Spiel treiben liess.*“ Quas Dirksenius memorat *actiones Graecas* oppositas *fabulis Latinis*, non memini apud ullum scriptorem me legere; *actores Graecos* profert Cicero in Divinat. in Caecil. c. 15. §. 48. ubi videndus est Zumptius Vol. I. p. 34. Cf. Lersch in Mus. Rhenan. VI. 4. p. 515 sqq.

Julius Caesar erat *ἀγωνοθέτης*, alterum Graecum, cui sororis nepos praesidebat, evidens est ac certum, illa theatra a ludis scenicis, qui utrobique agi solerent, appellata esse. Distinguuntur autem ludi *Romani* et *Graeci* h. l. nequaquam sic, ut illi fabulis respondeant togatis, hi palliatis, sed ut ab histrionibus et ab lingua, qua edebantur, designentur. Proinde dubitari nequit quin Graecae linguae usus in scena jam ante imperium Augusti Romae receptus fuerit. Nicolaus Damascenus illo loco, ut jam Valesius vidit, loquitur de ludis scenicis, quos Julius Caesar ob dedicationem Fori sui edidit a. U. C. 708. s. 46. Hos ludos, debellatis in Hispania Pompejanis, repetiit a. U. C. 709. s. 45. eosque, cum anno superiori se non cunctis satisfecisse inaudivisset, ita amplificavit, ut hujuscemodi ludos tota Urbe regionatim et per omnium linguarum histriones ederet.[2]) Histriones illi si fuissent, ut Dirksenius opinatur, Pantomimi h. e. qui fabulas in scena non voce et cantu, sed gestu tantum et saltando agebant, non opus erat addi: „*omnium linguarum*.“ Id autem instituit Julius Caesar, ut omnibus omnium gentium hominibus Romae magna copia degentibus consuleret.

Hac via ac ratione, qua nihil erat popularius, Augustus, quem omnino spectaculorum et assiduitate et varietate atque magnificentia omnes antecessisse ait Suetonius c. 43. coll. Ovidii Trist. Libr. II. v. 509., longius progressus est, ita ut frequenter vicatim ac pluribus scenis per omnium linguarum histriones faceret ludos itaque etiam Graecos. Quapropter non mirandum est, a Principe rerum potito, qui, ut Tacitus ait, civile rebatur, misceri voluptatibus vulgi, saepe exhibitam esse Romae comoediam veterem Graeciae non amplius metuente, ne horum dramatum lenociniis animi civium servitii ac jugi fierent impatientes. Nam libertatem illam ac voluptatem non solum Graecis est gratificatus, sed etiam Romanis, si quidem ipsius auspiciis linguae Graecae studium Romae in dies magis magisque creverat et litterarum rerumque Graecarum amor in omnium ordinum animis jam altiores quam vulgo creditur radices egerat: cf. G. Bernhardyus in libr.: *Grundriss der Griechischen Litteratur mit einem vergleichenden Ueberblick der Römischen.* Tom. I. p. 391 sqq.

EXCURSUS II.

DE

AUGUSTI STIRPE POËTICES STUDIOSA.

Poëtices studia Caesaris Augusti quantulacumque fuerunt, tamen hanc habuere vim, ut ex ipsius stirpe ac domo fere nullus exsisteret quin sicut in utroque eloquentiae et eruditionis genere, ita etiam in Poëtices amore et studio aliquam laudem vel purpura sumpta consectaretur et compositis utraque lingua poëmatis et evulgatis pro suo quisque ingenio innotesceret. Eorum carminum, quae a scriptoribus memorantur, brevem hic dare recensum, non incommodum fuerit neque ingratum lectoribus corollarium, praesertim quum ipsius Augusti rebus ac studiis aliquid lucis inde accessurum esse sperem.

Ac primum quidem *Tiberius*, Augusti privignus natu major, ut omnino, teste Suetonio c. 70., artes liberales utriusque generis studiosissime coluit, ita carminibus quoque scribendis vel adultiore aetate operam dedit. Composuit, ut Suetonius ait, carmen lyricum, cujus est titulus: *Conquestio de L. Caesaris morte.* In quo loco aliq. Codd. lectio *Conquisitio* in manifestis habenda est calami erroribus, neque potior est *J.* pro *L.* Caesaris varietas merito ab Editoribus repudiata. Non enim ulla excogitari potest caussa, ob quam Tiberius Julii Caesaris caedem tam multis annis post lyrici argumentum carminis fecerit. At nihil erat subdolo ac diro ejus animo convenientius, quam in L. Caesarem, Augusti nepotem, suum futuri imperii aemulum, quem jam de medio sublatum esse in sinu gauderet, scribere carmen *ἐπικήδειον* eoque, dissimulata laetitia, mortem ejus sive Liviae matris artibus ac dolis sive sinistra Fortuna adductam publice deplorare, quo tectius sese in Augusti vitrici gratiam atque amorem insinuaret. Cur aliquot mensibus post C. Caesaris, nepotis natu majoris, mortem omiserit car-

---

2) Eruditam harum rerum expositionem invenies in Drumanni Hist. Rom. Vol. III. p. 617 sqq. et p. 657 sq., qui simul Velleji et Suetonii incuriam res ac tempora non satis distinguentium acute notavit p. 618. N. 70.

mine lugere, nil attinet quaerere. Augustus utrumque nepotem in duodeviginti mensium spatio amisit, auctore Suetonio Aug. c. 65. Lucius natu minor Massiliae morbo succumbens obiit d. XII. Septembr. a. U. C. 755. s. p.Chr. n. 2., et istud carmen eodem anno compositum esse a Tiberio annos quadraginta et amplius nato, veri est simillimum. Sed Tiberius, ut Suetonius pergit, „fecit et Graeca poëmata, imitatus Euphorionem et Rhianum et Parthenium." Inde conjectura fieri potest, illum in carminibus eruditionis potius quam ingenii laudem quaesivisse: cf. Meinekius de Euphorionis Vit. et Poës. p. 44.

De *Claudii Drusi* doctrina ac scriptis nihil usquam memoriae proditum reperimus; sed credibile est, eum Tiberio fratri etiam in hoc laudis genere haud inferiorem fuisse. Certe curavit, ut filii, quantum quidem eos novimus, artium liberalium scientia haud mediocri innutrirentur. Inter eos *Caesar Germanicus* ingenium habuit in utroque eloquentiae doctrinaeque genere praecellens, teste Suetonio Calig. c. 3., neque minus poëticis studiis et scriptis aequalium laudem et admirationem adeptus est, ut Ovidii Fast. Libr. I. v. 23 sqq. et ex Pont. Libr. IV. Epist. 8. v. 67 sqq.[1]) Sciens praetereo hic ejus Aratea, utpote satis cognita Virorum Doctorum disputationibus, itemque Epigramma illud in Burmanni Anthol. Latin. Libr. I. Epig. 103., injuria ab aliis Hadriano tributum, ut demonstravit Meyerus in Anth. Lat. N. 117. Tom. I. Annotatt. p. 60. Ea tantum hic commemorabo carmina, quae minus nota sunt ac celebrata. Pertinet huc locus Plinii N. H. Libr. VIII. c. 42., qui prolato Alexandri M. Bucephalo §. 155. pergit: „Nec Caesaris Dictatoris quemquam alium recepisse dorso equus traditur, idemque humanis similes pedes priores habuisse, hac effigie locatus ante Veneris Genetricis aedem. Fecit et Divus Augustus equo tumulum, de quo Germanici Caesaris carmen est."[2]) Augustus igitur, quem in levissimis quibusque rebus avunculum magnum imitatum esse animadvertimus, suo etiam equo, aliunde non cognito ac famigerato, exsequiarum quarumdam honores impertitus tumulum fecerat, de quo cum dicatur a Plinio exstare Germanici carmen, aut egregie fallor aut Epitaphium breve intelligendum est in Augusti avi fortasse rogantis gratiam versibus elegiacis compositum. In hoc enim carminum genere utraque scriptorum lingua videtur Germanicus plurimum studii et operae collocasse. Sic praeter ea, quae paulo ante laudavi, cum Scaligero Meyerus illi potius quam Julio Caesari aut ipsi Augusto adscriptum esse vult Epigramma Anthol. Latin. N. 69. Tom. I. Annotatt. p. 28. Quid, quod Graeca quoque Epigrammata ei attributa reperiuntur: unum in Anal. Br. Tom. II. p. 159. (p. 146. ed. Lips.); in Vatic. Membr. duo, quae ab aliis putantur esse Hadriani: vid. Anal. Br. Tom. II. p. 287. (p. 257. N. X. ed. Lips.) et Jacobsius in Animadverss. Vol. II. P. 2. p. 315 sq. Caeterum utcumque de his Germanici poëmatis judicatur, in quibus scribendis simul linguae Graecae amorem et scientiam ostenderat,[3]) aliud idque locuples ejusdem facultatis testimonium legimus apud Suetonium in Calig. c. 3.: „Oravit caussas etiam triumphalis: atque inter caetera studiorum monumenta reliquit et comoedias Graecas." Quamquam non alias horum dramatum fit mentio, quae numquam evulgata, nedum in scenam producta videntur, tamen, spectatis illius egregii viri dotibus ac studiis, dubitari de iis vix licuerit. Atque nescio an quidquam lucis inde afferri queat eis, quae Suetonius de Imperatoris Claudii c. 11. insana adversus Manes suorum pietate loquens inter alia scribit: „Ad fratris (Germanici) memoriam, per omnem occasionem celebratam, comoediam quoque Graecam Neapolitano certamine docuit ac de sententia judicum coronavit." Qui quidem locus haud parum habet obscuritatis! Sed primum monendum est, Claudium, quaecumque tum Neapoli ageret copiosius enarrata a Dione Cassio Libr. LV. c. 6., in eis ob oculos habuisse Augustum avum ejusque Capreensem secessum, de quo paulo ante Libr. II. §. 7. dictum est, nimia ac paene puerili assimulatione expressisse. Sicut Augustus comitibus legem proposuerat, ut Romani Graeco, Graeci Romano habitu et sermone uterentur; ita Claudius Neapoli cum suis Graecanico ritu vivebat; musicum autem certamen in Graeca illa urbe ita nobilitavit, ut ipse comoediam Graecam doceret. Jam cum *docendi* verbum in re scenica de eo dicatur, qui fabulam a semet ipso compositam profert spectandam eamque ab histrionibus disci jubet, nusquam autem de poëticis Claudii studiis quidquam memoriae proditum reperiatur, Suetonii editores animo judicioque fluctuati aut mendosam esse censuerunt lectionem *docuit* aut ipsum verbum *καταχρηστικῶς* usurpatum, aut denique contenderunt ac probatum iverunt, istam

---

1) De *Caesare Germanico*, eloquentia ejus et scriptis post Cellarium in Dissertatt. Academic. XI. p. 646 — 670. veterum locos congessit Menckenius in Biblioth. virorum mil. ac scriptis illustrium p. 216—222. Carmina ejus quae exstant conjunctim edidit cum H. Grotii commentariis integris aliorumque notis Jo. Conr. Schwartzius. Coburg 1715. et *Aratea* emendata ac suppleta Orellius ad calcem Phaedri (Turici 1831. 8.) p. 137—211. cl. Bernhardy in Hist. Litter. Rom. N. 394.

2) Hunc Plinii locum J. A. Fabricius nescio quo argumento permotus in Imp. Caesaris Augusti Orationum et Sermonum Fragment. N. VII. p. 185. reposuit.

3) *Caesar Germanicus* quanta cum cura providerit, ut filii quoque sui in utroque eloquentiae doctrinaeque genere erudirentur, vel *C. Caesar Caligula*, turbatae iste mentis homo, ostendit. Quem quum Suetonius c. 53. dicit minimum eruditioni h. e. litteris Graecis et Latinis, eloquentiae plurimum attendisse, confirmat id, quod Suidas refert: *Γάϊος Καῖσαρ, ὃς ἐπεκλήθη Καλλιγόλας, ῥητορικὴν τέχνην ἔγραψε Ῥωμαϊκῶς:* quem librum Lipsius ad Taciti Ann. Libr. XIII. c. 3. potius Germanici esse putat. Eloquentiae famam quanto studio Caligula affectaverit, discimus ex Dionis Cass. Libr. LIV. c. 19., ubi Fabricius Lipsii suspicionem non immerito rejicit N. 205. Vol. VI. p. 387. Teste Suetonio c. 20. edidit in Gallia Lugduni certamen Graecae Latinaeque facundiae: nam Graecae linguae eum haud imperitum fuisse, auctor est Josephus A. J. Libr. XIX. c. 2. §. 5., a quo dicitur *ῥήτωρ τε ἄριστος καὶ γλώσσῃ τῇ Ἑλλάδι καὶ τῇ Ῥωμαίοις πατρίῳ ἠσκημένος:* quae ad verbum inveniuntur in Dionis Cassii Fragm. Vatic. A. Maji N. 83. p. 184. ed. Lips. — Poëticam non videtur attigisse.

comoediam a Claudio, non linguae Graecae magis quam Poëtices perito, vere scriptam fuisse.[4]) At omnes Codices Msti in lectione vulg. consentiunt neque ullum corruptelae vestigium ostendunt; neque etiam intelligitur, cur Suetonius, Grammaticus pereruditus, uti voluerit verbo ambiguitatem et obscuritatem toti loco inferente! Atque de poëtica Claudii facultate plurimi hac in caussa faciendum duco Suetonii silentium singulari cum cura commemorantis illius studia Principis atque opera utroque sermone exarata diligenter enumerantis c. 41. et 42. Sed de poëmatis ejus sive Latinis sive Graecis ne γρῦ quidem! Eccui autem credibile est, scriptorem, quo non habemus accuratiorem et fide digniorem in eis, quae Principum litteras et eruditionem spectant,[5]) taciturum fuisse, si compertum habuisset, a Claudio, quem dicit studia Graeca curiose secutum, amorem praestantiamque linguae occasione omni professum eaque ita paratum fuisse, ut saepe legatis in senatu perpetua oratione responderet, pro tribunali etiam Homericis versibus loqueretur ac historias Graecas, *Τυῤῥηνικῶν* XX., *Καρχηδονιακῶν* VIII. libros conficeret, umquam poëmata Graeca, adeoque comoediam scriptam fuisse? Ex L. Senecae Satura, quae vulgo *Ἀποκολοκύντωσις* appellatur, quo pacto colligi possit, Claudium operam dedisse Poëticae, confiteor me non assequi! — Fr. A. Wolfius, lectionem vulg. ap. Sueton. unice veram esse ratus, suspicatur, Claudium sese illius fabulae ab alio poëta compositae auctorem populo venditasse. Non inepta ea suspicio, imo proxima a vero! Sed tamen quem modo cumque comoediae illius scriptorem statuimus sive antiquiorem et jam pridem vita defunctum sive aequalem poëtam, Principi suum mancipantem ingenium, remanet scrupulus Ernestio non temere injectus, quod Claudius in honorem et memoriam fratris mortui non tragoediam, sed comoediam Neapoli exhibendam curaverit. Eas difficultates omnes, quibus hic locus prematur, facili negotio tolli posse opinor, si probabili conjectura sumpseris, Claudium in isto certamine Neapolitano docuisse unam ex comoediis Graecis, quas a Germanico fratre in scrinio relictas neque prius umquam evulgatas esse accepimus. Eam conjecturam sequentibus nobis primum planum fit, quam ob rem Suetonius hoc Claudii factum attulerit tamquam documentum pietatis erga fratrem per omnem occasionem declaratae; deinde quo pacto insulsus iste ac vecors Princeps ad honorandos fratris Manes comoediam edere eamque, celato auctoris nomine, pro sua venditare potuerit; denique qui factum sit, ut Suetonius scriberet, Claudium ipsum docuisse eam comoediam eique velut a se scriptae coronam per judices dari jussisse.

Superest, ut de *Neronis*, in quo progenies Augusti ac Caesarum defecit, eruditione et poëticis studiis summatim referamus veterum scriptorum testimoniis ac verbis usi. Auctore Tacito Ann. Libr. XIII. c. 3. „Nero puerilibus statim annis vividum animum in alia detorsit: caelare, pingere, cantus aut regimen equorum exercere; et aliquando carminibus pangendis inesse sibi elementa doctrinae ostendebat.“ Suetonius c. 52. „Nero, inquit, liberales disciplinas omnes fere puer attigit. Sed a philosophia eum mater avertit, monens, imperaturo contrariam esse: a cognitione veterum oratorum Seneca praeceptor, quo diutius in admiratione sui detineret. Itaque ad Poëticam pronus carmina libenter ac sine labore composuit: nec, ut quidam putant, aliena pro suis edidit.“ Postremis verbis vix cuiquam dubium esse potest quin Suetonius respexerit Tacitum suamque sententiam opponere voluerit illius de Neronis poëticis studiis judicio, quod Ann. Libr. XIV. c. 16. his declaratum verbis legerat:[6]) „Ne tamen ludicrae tantum Imperatoris artes notescerent, carminum quoque studium affectavit, contractis, quibus aliqua pangendi facultas, necdum insignior artis notitia. Hi considere simul et allatos vel ibidem repertos versus connectere atque ipsius verba quoquo modo prolata supplere; quod species ipsa carminum docet non impetu et instinctu nec ore uno fluens.“[7]) Jam hoc Taciti judicium si non plane rejecturus, certe in dubium vocaturus Suetonius illis verbis subjecit: „Venere in manus meas pugillares libellique cum quibusdam notissimis versibus, ipsius chirographo scriptis: ut facile appareret, non translatos aut dictante aliquo exceptos, sed plane quasi a cogitante atque generante exaratos: ita multa et deleta et inducta et superscripta inerant.“ Tametsi hic quoque locus documento est, quanta cum diligentia Suetonius cujusvis generis monumenta, quibus rerum expositarum fides planius intelligeretur, inquirere et in rem suam convertere solitus sit; tamen tantum abest, ut, quae a Tacito de Neronis in pangendis poëmatis adjutoribus referuntur, velut ementita aut minus certa repudiemus, ut, ne agnito quidem utriusque scriptoris dissensu quodam, utrumque pro vero habere possimus. Id jam perspexit admonuitque J. Fr. Gronovius. Nam sicut dubitari non potest quin Nero suopte ingenio nisus et potuerit scribere versibus et quaedam sine cujusquam auxilio composuerit eo, quo Suetonius cum fide narrat, modo pugillaribus libellisque consignata, ita minime ab tyranni istius juvenis lascivientis et luxuriantis

4) De scenico usu et significatione vv. *docere* et *διδάσκειν* notae sunt Prolusiones C. A. Böttigeri in Opusc. Latin. N. XVII. et XVIII. p. 284 — 311. — Apud Suetonium pro *docuit* Beroaldus conjecit *dedit*, et Ernestius *edidit:* utramvis correctionem vulgata lectione probabiliorem judicat Ruhnkenius in Schol. p. 298. — Claudium arti poëticae operam dedisse, probare connisus est Baumgarten-Crusius.

5) Eam laudem Suetonio omni jure impertivit BCrusius ad Neron. c. 52. eique in hujuscemodi rebus magis quam Tacito credendum esse verissime monuit.

6) Quod jam Ernestius in Excurs. ad Suetonii Tiber. c. 37. suspicatus est, Suetonium Imperatorum Vitas scribentem in manibus habuisse Cornelii Taciti Annalium libros, id erudite demonstravit A. Krausius de C. Suetonii Tranq. Fontibus et Auctoritate (Berol. 1831.) p. 8 sqq. et p. 70.

7) Verba ista: *quibus aliqua pangendi facultas. Necdum insignis aetatis nati considere simul* etc. monstrose corrupta ab aliis aliter tentata sunt emendationibus, quas congessit Rupertius Vol. II. p. 283. Mihi omnium maxime visus est G. Bötticherus mentem Taciti assecutus esse sua correctione Tom. I. P. 2. p. 214., quam recipere non dubitavi.

indole abhorret, eum, ubi repentinus ipsi impetus venisset, omnis morae impatientem, in consarcinandis carminibus mutua usum esse opera adolescentium, quos suae amicorum cohorti adscripserat. In isto consessu juvenum versus vel domi meditatos vel ibidem repertos connectentium et ipsius verba Neronis quoquo modo supplentium ut Lucanum, Pharsaliae scriptorem, fuisse credam, ea quae Suetonius de hujus Poëtae adolescentia Vol. III. p. 53. Wf. memoriae prodidit, me inducunt. [8]) Idem suspicor de Nerva, quem Martialis Libr. VIII. Ep. 70. v. 7. sui temporis *Tibullum* appellat ac Libr. IX. Ep. 27. v. 7. alloquitur:

Nec tibi sit mirum, modici quod conscia vatis
Judicium metuat nostra Thalia tuum.
Ipse tuos etiam veritus Nero dicitur aures,
Lascivum juvenis quum tibi lusit opus.

Multa diversi generis et argumenti carmina Neronis nomine feruntur, quae tamen si a paucis discesseris fragmentis, ad unum omnia interierunt vix cognita titulis, quos diligenter congessit Reimarus ad Xiphilini Libr. LXII. c. 29. N. 152. Vol. VI. p. 470 sq. St. In eis autem, quorum titulos profert Reimarus, carminibus mihi paene persuasum est nonnulla esse, quae ab ipso Nerone haudquaquam scripta fuerint. Huc refero inprimis quaedam *τραγῳδούμενα* et *κιθαρῳδούμενα* et *νόμους* i. e. cantica ad citharae concinentis modos descripta et in scenis cantari solita: v. Intpp. ad Sueton. Ner. c. 20. Non est hujus loci rem, de qua in utramque partem disputari potest, subtilius persequi; id unum hic monebo, mihi videri errasse God. Olearium, qui Philostrati in Vit. Apollon. Tyan. Libr. IV. c. 39. N. 5. p. 180. de Citharoedo isto comissatore verba: *ἀναβαλλόμενος οὖν, ὅπως εἰώθει, καὶ βραχὺν διεξελθὼν ὕμνον τοῦ Νέρωνος, ἐπῆγε μέλη, τὰ μὲν ἐξ Ὀρεστείας, τὰ δὲ ἐξ Ἀντιγόνης, τὰ δ' ὁπόθεν γοῦν τραγῳδουμένων αὐτῷ,* acceperit de veris et integris tragoediis a Nerone scriptis. Nero, portentose licet ingenio suo luxurians, non is erat, qui tantum otii ac temporis sumeret, quantum vel unius tragoediae scriptio requireret. Nihilo tamen minus iste inter Poëtas Rom. Tragicos locum accepit vel apud Langium in Vindic. Tragoed. Rom. in Opusc. p. 31. Multo rectius G. J. Vossius de Poët. Latin. c. 3. p. 244. Tom. III. Opp. carmina, *μέλη*, istius argumenti intelligit decantata a Citharoedo Romam quoque obeunte, in eo tantum, ut mihi quidem videtur, falsus, quod illa Neronem ex Graecis Latina fecisse opinatur. Imo Graeca fuisse illa existimo: utriusque enim linguae tam peritus erat, ut, praetexta vix posita, a. U. C. 804. s. p. Chr. n. 51. pro Bononiensibus Latine, pro Rhodiis et Iliensibus Graece verba faceret, teste Suetonio c. 7. In universum vereor ne de plurimis Neronianis poëmatis pronuntiari possit, quod de uno scribit Plinius N. H. Libr. XXXVII. c. 3. §. 50.: „Domitius Nero in caeteris vitae suae portentis capillos quoque conjugis suae Poppaeae in hoc nomen adoptaverat, quodam etiam carmine „*succina*" appellando." Qualem quantamque vim in ipsius studia poëtica habuerint cum majorum exempla, tum maxime Augusti, in medio relinquam: id utique certum est ac contestatum, eumdem atque illum mitioribus Musarum studiis abusum famosa in alios carmina composuisse. Nam, ut Tacitus Ann. Libr. XV. c. 49. refert, Quintianum, hominem mollitie corporis infamem, ipse cinaedus impurissimus (v. Juvenalis Sat. IV. v. 106.) tam probroso carmine diffamaverat, ut ille inita conjuratione a. U. C. 818. s. p. Chr. n. 65. contumelias ultum iret. Sed etiam Claudium Pollionem, virum multis, si fides est Plinio Libr. VII. Ep. 31., virtutibus ornatum carmine prosciderat, quod *Luscio* inscriptum erat, testante Suetonio Domitian. c. 1. Inter cuncta autem, quae Nero scripserat, carmina sive amplitudinem eorum sive praestantiam spectamus, videntur principem locum obtinuisse ejus *Troica,* epicis exarata versibus, et per plures, ut probabile est, libros si non detexta, certe detexenda: [9]) de quibus veterum scriptorum testimonia collegit et examinavit Wernsdorfius P. L. M. Vol. IV. P. II. p. 586 sq. Hujus carminis scribendi ansam illi datam esse atroci isto incendio, quo Roma a. U. C. 817. s. p. Chr. n. 64. deflagrasset, cum Gonsalio de Salas ad Petronii Sat. c. 89. Vol. II. p. 172. Burm. aliisque Viris Doctis veri simillimum duco. At, qui existiment, *Ἅλωσιν Ἰλίου,* quam iste domesticam scenam urbe flagrante ingressus decantasse [10]) fertur, aut ipsa illa Troica aut certe eorum partem fuisse, in magno quin versentur errore

8) Operae pretium fuerit inde pauca transscribere: „Hic, initio adolescentiae, — revocatus Athenis a Nerone, cohortique amicorum additus, atque etiam quaestura honoratus, non tamen permansit in gratia. Si quidem aegre ferens recitante se, subito ac nulla nisi refrigerandi sui caussa, indicto Senatu, Neronem recessisse; neque verbis adversus Principem, neque factis exstantibus post haec temperavit: adeo ut quondam in latrinis publicis, clariore strepitu ventris emisso, hemistichium Neronis magna cum sessorum fuga pronuntiarit:

Sub terris tonuisse putes."

9) Id colligo non tam ex eo, quod Troicon argumentum sua natura amplissimum erat et a multis (v. Heynii Excurs. I. ad Virgilii Aen. Libr. II.) tractatum, quam quod Princeps iste, si ipsi impetus venisset suscipiendi quidpiam aggrediendique, numquam non magni quid excudere solebat. Cujus rei documento sunt quadringenti illi libri, quos de rebus Romanorum gestis ligata oratione componere meditabatur, narrante Xiphilino Libr. LXII. c. 29. Num autem coeptum Troicon opus plures per libros deduxerit et umquam ad umbilicum perduxerit, subdubito.

10) De hac re Tacitus Ann. Libr. XV. c. 39. haec scripsit: „Pervaserat rumor, ipso tempore flagrantis Urbis inisse eum domesticam scenam et cecinisse Trojanum excidium, praesentia mala vetustis cladibus assimilantem." Eamdem rem definitius exponit Suetonius Ner. c. 38.: „Hoc incendium e turri Maecenatiana prospectans laetusque flammae, ut ajebat, pulchritudine, *ἅλωσιν* Ilii in illo suo scenico habitu decantavit." Quae copiosius ex Dione Cassio excerpta his verbis leguntur ap. Xiphilinum Libr. LXII. c. 18.: *ὁ δὲ Νέρων ἔς τε τὸ ἄκρον τοῦ παλατίου (ὅθεν μάλιστα σύνοπτα τὰ πολλὰ τῶν καιομένων ἦν) ἀνῆλθε, καὶ τὴν σκευὴν τὴν κιθαρῳδικὴν λαβὼν, ᾖσεν ἅλωσιν, ὡς μὲν αὐτὸς ἔλεγεν Ἰλίου, ὡς δὲ ἑωρᾶτο, Ῥώμης.* Reimarus ad h. l. N. 83. Vol. VI. p. 457. inextricabilem horum scriptorum dissensum conspicatus omnem ejus rei narrationem fabulis nugisque accenset natam ex carmine Troicon, quod

dubitari nequit. Nam quotquot scriptores hujus insolenter facti mentionem injiciunt, neqnaquam isti sententiae patrocinantur. Quid? quod Xiphilinus Libr. LXII. c. 29. de quinquennali ludicro, quod Romae a. U. C. 818. s. p. Chr. n. 65. a Nerone ad morem Graeci certaminis iterum institutum fuerat, copiose locutus planissimis verbis addit: *ὁ δὲ Νέρων — ἐπὶ τὴν τοῦ θεάτρου ὀρχήστραν ἐν πανδήμῳ τινὶ θέᾳ κατέβη, καὶ ἀνέγνω Τρωϊκά τινα ἑαυτοῦ ποιήματα.* Inde non temere mihi videor colligere, Troica a Nerone anno demum post incendium scripta esse. Accedunt alia, quae *ἅλωσιν Ἰλίου* separatum quoddam a Troicis carmen fuisse,[11]) extra omnem dubitationem ponant. Troica carmina a Nerone in Pentaëterico illo recitata sunt; illam autem *ἅλωσιν* decantatam esse, Tacitus, Suetonius, Orosius Libr. VII. c. 7. et Xiphilinus Libr. LXII. c. 18. contestantur: id quod nullo pacto juxta existimandum esse arbitror. Adde quod carmen illud flagrantis tempore urbis in scena domestica decantatum a Suetonio memoratur Graeco insignitum titulo: quod magnopere dubito facturusne fuisset Grammaticus hisce in rebus accuratissimus, nisi illud etiam Graece scriptum fuisset. Scio esse, qui sine ulla haesitatione asseverent, illam *ἅλωσιν* pariter ac *Τρωϊκά*[12]) a Nerone compositam fuisse; mihi autem secus videtur. Nam, rationibus omnibus accurate subductis, in eam potius propendeo sententiam, ut tum notum quoddam hujus nominis canticum exstitisse putem ab aliquo Graeco scriptum, quod Principi isti in Urbis clade foede lascivienti in mentem venerit ab eoque ad citharam fuerit cantatum. In Troicis autem suis quam potissimum partem argumenti illius latissime patentis versibus Latinis tractandam sibi sumpserit, operam perdat qui in tanta testimoniorum paucitate quaerere velit. Ex unico enim, quod apud Servium ad Virgilii Georg. Libr. III. v. 36. „*Trojae Cynthius auctor*“ exstat, testimonio: „vel Apollinem dicit vel Cynthium regem Trojae, quem in Troicis suis Nero commemorat,“ nihil ad rem lucreris, et pauci, qui ex hoc carmine superesse putantur, versus ne idonei quidem nec satis certi sunt rei, de qua quaerimus, testes. Apud Scholiast. ad Lucani Phars. Libr. III. v. 261. „*Tigrim*“ legimus haec: „De hoc ait Nero in libro primo:

> *Quique pererratam subductus Persida Tigris*
> *Deserit, et longo terrarum tractus hiatu,*
> *Reddit quaesitas jam non quaerentibus undas:*“

quos versus, quod sciam, primus G. J. Vossius de Poët. Latin. c. 3. p. 244. suspicatus est sumptos esse ex libro primo Troicon et Oudendorpium aliosque multos habuit qui assentirentur.[13]) Non minori jure dici potest, ad idem carmen pertinuisse versum:

> *Colla Cytheriacae splendent agitata columbae,*

quem ut disertissimum laudat L. Seneca Nat. Q. Libr. I. c. 5. §. 6. Omnes enim hos versus in quovis alio Neronis poëmate locum habere potuisse, quis neget? Ostendunt autem aeque atque illi apud Persium Sat. I. v. 99 sqq. versus:

> *Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis,*
> *Et raptum vitulo caput ablatura superbo*
> *Bassaris, et lyncem Maenas flexura corymbis*
> *Evion ingeminat: reparabilis adsonat Echo;*

quam mirificus fuerit Nero artifex in rebus graphice depingendis nescio dicam an vario pigmentorum colore infucandis, et quam operose verborum tinnitum sit consectatus. Quae tamen carmina, versus, ut Poëtae verbis utar, inopes rerum nugaeque canorae, vulgi auribus haud ingrata videntur accidisse, nisi forte mavis ex abjectissima adulatione quam ex corrupto illius aetatis hominum judicio repetere, quod ex Suetonii Ner. c. 10.

---

anno post in Pentaëterico recitaverit Nero; sed vereor, ne fluctus in simpulo excitaverit! Tacitus rem utique dubitanter tamquam rumorem tradit, a vulgo tamen creditam neque alienam a Neronis natura ac moribus. Idem quum memoriae prodidit, Neronem, orto incendio, Antii agentem non ante in Urbem regressum esse quam domui ejus, qua palatium et Maecenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret, facile Suetonium cum eo conciliari posse puto, si memineris, a Nerone domum, quam *Transitoriam* nominabat, teste Suetonio c. 31., a palatio, Augusti domo, via sacra productam ad Esquilias usque, in quibus Maecenatis domus seu turris et horti essent, pertinuisse. Jam initium habuit incendium in ea parte Circi, quae Palatino Caelioque montibus contigua erat, eique apud imas Esquilias i. e. ad imas partes montis Esquilini sexto die finis factus est, ut Tacitus Ann. Libr. XV. c. 40. testatur, ita ut flamma, antequam rediret, hortis et turri Maecenatianae pepercerit. Itaque non video quid obstet, quominus Nero, appropinquante incendio ei domus parti, quae in Palatino sita esset, Antio properaverit Romam et ingressus domesticam scenam, quam in turri Maecenatis haberet, Urbis cladem prospectans Trojanum excidium cecinerit. A Xiphilino vv. *τὸ ἄκρον τοῦ παλατίου* eamdem turrim significari, dubitari nequit. Ipsum autem factum quis infitietur Neronis ingenio ac moribus fuisse convenientissimum? Haec contra Reimarum breviter monere placuit.

11) Id etiam suspicatus est Wernsdorfius, et sine ulla dubitatione affirmat C. Fr. Heinrichius ad Juvenalis Sat. VIII. v. 220. p. 345.

12) Scholiastes Vet. Juvenalis ad Satir. VIII. v. 221. nominat *Troados libros*. Sub titulo *Neronis Troicon* laudat Scholiastes Persii ad Sat. I. v. 122. eamque denominationem rectiorem esse censet Burmannus in Anthol. Lat. Libr. III. Ep. 8. Vol. I. p. 461.

13) Conferantur quae scripsit C. Fr. Weberus ad Lucani Scholiastas Vol. III. p. 213. N. 4. Editi sunt illi versus a Burmanno in Anthol. Lat. Libr. III. Ep. 8., Meyero in Anth. Lat. N. 141. et a Fr. Passovio ad Pers. Sat. I. p. 333.

apparet: „recitavit et carmina non modo domi, sed et in theatro, tanta universorum laetitia, ut ob recitationem supplicatio decreta sit eaque para carminum aureis litteris Jovi Capitolino dicata." Verum aequalium quoque eruditorum de poëmatis Neronianis judicia admodum discrepabant, utrobique non sine cupiditate facta.[14]) Sic Neronem poëtam a Seneca laudatum esse, non miror; nec magis mirum est, eum despicatui habitum esse a Lucano, quippe qui cum prava aemulatione tum privato odio ductus tam superciliose atque inique de ejus poëmatis statuerit: v. supra Not. 8. et Intpp. ad Statii Sylv. Libr. II. 7. v. 58. Multo incorruptior candidiorque judex mihi videtur fuisse Persius Sat. I. v. 92 sqq., de quo loco non vacat hic fusius dicere, si quidem obscurus sane est et controversus, quem Editores, Casaubonus maxime et Fr. Passovius, et singularibus libellis Breitingerus, Meisterus et Ritterus diversissimo modo explicaverunt, quibus addenda sunt, quae peracute scripsit Ernestus de Leutsch in Zimmermanni libr.: *Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft* a. 1834. N. 20. p. 168.

14) Idem Nostratium dissensus de Nerone poëta ejusque carminibus. Passovius ad Pers. Sat. I. p. 332.: „*Ich glaube wenigstens einen eigenthümlichen Wohlklang, eine reiche Phantasie und einen Hang zur sinnlichsten Vorstellung durchgehend zu erkennen*;" Bernhardyus in Hist. Litt. Rom. N. 199.: „*Den leichten Fluss seiner Verse zeigt das Fragment* ap. Schol. Lucani III, 261.;" Heinrichius ad Juven. Sat. VIII. v. 220. Vol. II. p. 345.: „*Nero hatte viele Tollheiten begangen: dass er aber gar ein Dichter seyn wollte, war die ärgste von allen.*"

LIBER TERTIUS

DE

CAESARIS AUGUSTI

ORATIONIBUS ET SERMONIBUS.

§. 1.

Caesarem Augustum ab aetate prima ad studium eloquentiae cupide incubuisse eamque laboriosissime exercuisse, partim ea demonstrant quae de pueritia ejus ac magistris Libro I. scripsimus, partim expressis verbis contestatur Suetonius c. 84., a quo sua mutuatus est is, qui fecit Epitomen Sext. Aurelii Victoris de Caesaribus c. 1. §. 17. Praeterea scriptorum veterum testimonia, quae huc spectant, diligenter quidem, relicto tamen spicilegio, collegit H. Meyerus in Oratorum Roman. Fragm. N. XCIII. p. 223 sq. Quae ad illos scriptores de Augusti eloquentia ab Editoribus recte atque utiliter monita sunt, ea, ubi operae mihi erit, in rem meam convertam; separatim autem de ea scripsit Jo. Guil. Bergerus in Specim. I. Rhetorices Augustae. Vitebergae 1710. 4. et Specim. II. Viteberg. 1713. 4., quem tamen vereor ne in fraudem induxerit ejusque judicium ea de re corruperit inveterata ista ac secure a multis propagata opinio, qua Augusti quoque orationes, quas a Graecis rerum Romanarum scriptoribus, inprimis ab Appiano et Dione Cassio, suis operibus insertas legimus, pro genuinis et ex sermone Latino, quoad per diversae linguae indolem fieri posset, summa cum fide in Graecum translatis habentur. De vanitate hujus opinionis cum in universum satis copiose ac docte exposuerit Ant. Westermannus in libr.: *Geschichte der Römischen Beredtsamkeit* §. 11. p. 14 sqq., tum de singulis deinceps orationibus a me dicetur §. 3 sqq.

Augustus qua et quanta dicendi facultate fuerit, difficile est ac lubricum pronuntiare, cum orationes ejus, si minutas quasdam earum reliquias exceperis, ad unam omnes vetustate interceptae perierint atque insuper perpauci tantum scriptores eique serioris aevi ad testimonium hac in caussa dicendum vocari possint. Si testem omnium disertissimum, Suetonium c. 86. audimus, Princeps ille in omni consuetudine vel sermonis vel scripti secutus est eloquendi genus elegans et temperatum, et sicut sententiarum ineptias atque concinnitatem et verborum reconditorum foetores, ut ipse dixit, vitabat, ita praecipuam curam impendit perspicuitati, qua sensum animi quam apertissime exprimeret: quod quo facilius efficeret aut necubi lectorem vel auditorem obturbaret ac moraretur, neque praepositiones verbis addere neque conjunctiones saepius iterare dubitavit, quae detractae afferunt aliquid obscuritatis, etsi gratiam augent. Cacozelos et antiquarios, ut diverso genere vitiosos, pari fastidio sprevit, exagitabatque nonnumquam; inprimis Maecenatem suum, cujus μυροβρεχεῖς, ut ait, cincinnos usque quaque persequitur, et

imitando per jocum irridet. Sed nec Tiberio parcit, et exoletas interdum et reconditas v aucupanti. M. quidem Antonium ut insanum increpat, quasi ea scribentem, quae mirentur tius homines, quam intelligant. Haec Suetonius, de cujus singulis verbis ac sententiis pa ad interpretationem dubiis ac controversis quae dicenda sunt, ea infra Excursu I. pertra placet; hic sufficiat monuisse, illo in loco sermonem esse de dicendi scribendique genere, Augustus non modo in orationibus proprie sic dictis, sed in epistolis quoque aliisve in sc secutus sit.

Fuit autem, si quid judico, haec styli virtus non tam rationis et scientiae, quam d plinae et consuetudinis domesticae, cui apud aviam potissimum et avunculum a teneris inn tus fuisset. A. Gellius N. A. Libr. X. c. 24.: „Divus Augustus", inquit, „linguae Latinae nescius, munditiarum patris sui in sermonibus sectator." Avunculi igitur dictionem, nu illam, rectam, Latinam et, quamvis omni ornatu tamquam veste detracta, venustam tame dicendo scribendoque pro viribus studiose aemulatus, quidquid verborum scitamenta redol sedulo fugiebat et licet non suam quamdam exprimeret formam figuramque dicendi, tamen vere Romanae imitator, succum quemdam et sanguinem veteris eloquentiae videtur per t vitam retinuisse. Id colligi intelligique potest ex locis scriptorum, a quibus Augusti in dic facultas comparatur cum Julio Caesare et cum caeteris, qui succedebant, Imperatoribus. Ma notabilis eo nomine est locus Taciti Ann. Libr. XIII. c. 3.: „Dictator Caesar summis orator aemulus, et Augusto prompta ac profluens, quae deceret Principem, eloquentia fuit. Tib artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus sensibus ac consulto ambiguus. E C. Caesaris turbata mens vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio, quotiens meditata di rerentur, elegantiam requireres. Nero puerilibus statim annis vividum animum in alia detor Eadem de re testimonium dicit M. Cornelius Fronto in Epist. I. ad Verum Imperatorem p. ed. Maj. (Romae 1823.) his verbis: „Postquam respublica a magistratibus annuis ad C. sarem et mox ad Augustum tralata est, Caesari quidem facultatem dicendi video imperato fuisse; Augustum vero saeculi residua elegantia et Latinae linguae etiam tum integro le potius quam dicendi ubertate praeditum puto. Post Augustum nonnihil reliquiarum jam et etarum et tabescentium Tiberio illi superfuisse; Imperatores autem deinceps ad Vespasia usque ejusmodi omnes, ut non minus verborum puderet quam pigeret morum et misereret norum." 1) Jam facta Augusti cum Julio Caesare contentione, nemini non planum et evi erit, illum cum hoc, cui, Cicerone in Brut. c. 71. §. 250. judice, nulla oratoris virtus dee hac in laude comparatum tantum jacuisse, quantum ipse imperii successores minime ru et indoctos, superemineret. Neque id mirum. Magnam in Augustum vim habere debebat mutata in regnum pristina reipublicae forma, quam in fatis erat ut et nascentem videret a lescens et natam mox ipse promoveret et firmaret. Adoleverat quidem honestis omnis gen

---

1) In Frontonis loco dubitanter recepi conjecturam A. Maji: „facultatem dicendi video *imperatoriam* fuisse" pro vulg. *imperatorum* h. e. quae deceret imperatores, *αὐτοκράτορας*, minime *στρατηγοῖς*, licet videri possit respici Quintil. Inst. Or. Libr. X. c. 1. §. 114.: „Tanta in eo (J. Caesare) vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat." Julii Caesaris eloquentia, judice Frontone, habebat, ut ita dicam, *γένεσιν* imperatoriam. In seqq. pro vulg.: „*sa residui eleganter et latine, linguae etiam*" etc., ubi Ber dyus in Hist. Litt. Rom. p. 112. N. 198. correxit: „*saecul sidui elegantem et Latinae linguae etiam*" etc., amplexus conjecturam H. Meyeri in Oratt. Rom. Fragm. p. 224. m probabilem et perelegantem.

multa? sicut Augustus avunculo suo cessit ingenio, doctrina et arte, ita etiam caruit externis ornamentis, quibus illius ingenium adjuvabatur.

Cum Tacito dicente Ann. Libr. XIII. c. 3., Augusto fuisse eloquentiam promptam ac profluentem, nequaquam pugnat Suetonius c. 84., quum dicit, illum, quamvis non deficeretur ad subita extemporali facultate, tamen serius neque in Senatu neque apud populum neque apud milites locutum esse nisi meditata ac composita oratione. Id etsi ambiguum est feceritne, ut virium suarum tenuitati succurreret, an ut sibi caveret, ne in dicendo linguam judiciumque praecipitaret; tamen posterius multo veri similius facit mens ejus sobria ac prudens. Quid, quod Periclem quoque numquam ad dicendum apud populum surrexisse notum est nisi praemeditatum et scripta domi oratione.[5]) Quodsi autem Augustus instituit de scripto dicere et recitare omnia, ne, ut ait Suetonius c. 84., periculum memoriae adiret aut in ediscendo tempus absumeret, erunt fortasse qui suspicentur, eum memoria parum capaci ac tenaci fuisse. At jam reipublicae tempore haud raro sententiae in gravioribus praesertim caussis a Senatoribus recitabantur adeoque orationes de scripto dicebantur, ut Ciceronis aliorumque exemplis ostendit Fr. A. Wolfius in Proleg. ad Cicer. Or. pro Marcell. p. XX sqq. Sic Cicero orationem, quam post reditum in Senatu habebat, de scripto dixerat, ut ipse attestatur in Orat. pro Planc. c. 30. §. 74.: „Recitetur oratio, quae propter rei magnitudinem dicta de scripto est:“ ubi videatur E. Wunderi Comment. p. 188. Itaque Augustus quum omnia quae dicturus erat domi conscripta ex libello legere institueret, nihil magnopere novavit habuitque oratores summos, quorum exemplo se excusaret.[6]) Nec quisquam erit quin in Principe, novi praesertim regni conditore, prudentiam ac circumspectionem laudet, si, quae in rerum actu prolaturus esset, domi accurate calamo meditaretur et sive tempori parcens sive diffidens memoriae de scripto pronuntiaret, ne quid plus minusve, quam par esset aut sibi propositum, diceret. Si quid autem est quod, violato antiquitatis more relictaque fori consuetudine, novasse et pro regia quadam auctoritate dicamne an licentia ausus esse censendus sit, illud notabile fuerit, quod, ut Suetonius c. 84. refert, nonnumquam, infirmatis faucibus, praeconis voce ad populum concionatus est et quod orationes libellosve ad Senatum missos, aliis, plerumque Candidatis qui dicebantur Quaestoribus recitandos dare instituit, nunc raucedinem vocis caussatus nunc aliud quid, ut videre licet ex Suetonii c. 65. ibiq. Torrent. et Dionis Cass. Libr. LIV. c. 25., ubi Viris Doctis, quos de Quaestoribus illis memorat Fabricius N. 221., addatur Mich. Conr. Curtius de Senatu Roman. p. 73.

Haec universe praemonenda esse mihi videbantur accuratius jam et fusius exposituro de orationibus singulis, quas Augustus habuisse traditur.

§. 2.

Ac primo quidem loco commemorandum est, quod Augustus puer duodecim vix annos natus aviam *Juliam*, C. Julii Caesaris sororem minorem, defunctam pro concione laudasse dici-

---

5) Hujus rei testis est Plutarchus in Vit. Pericl. c. 8., quocum conferenda sunt quae scripsit Poppo in Comment. ad Thucyd. Libr. II. c. 35. Part. III. Vol. 2. p. 135. Mirabili rerum humanarum casu evenit, ut, etiamsi orationes a Pericle et Augusto chartis mandatae fuerint omnes, tamen neutrius ulla superstes ad nostram aetatem pervenerit, sed fictas tantum a scriptoribus hodie legamus.

6) Nonnulla alia, quae de isto oratorum veterum more notatu digna visa sunt, contuli in Excurs. II.

tur a Suetonio c. 8. et Quintiliano Inst. Or. Libr. XII. c. 6. §. 1., quorum fidem Nicolao Damasceno potiorem vindicavi Libr. I. §. 3. 7). De mortuorum apud Romanos laudationibus, earum origine, ratione et usu si quid hic cum cura dicere vellem, verendum mihi utique esset, ne quis me illius γλαῦκ᾽ εἰς Ἀθήνας commonefaceret. Satis hic erit monuisse, illum honorem initio solis viris illustrioribus habitum esse, devictis autem a Camillo Gallis, etiam matronis ob collatum, ex quo summa pactae mercedis Gallis confieret, aurum, actis gratiis, honorem additum esse, ut earum, sicut virorum, post mortem sollemnis laudatio esset. Usu receptum erat, ut laudandi munere fungeretur unus ex proximis cognatis, isque adultus: nam reipublicae tempore ejusmodi funebres orationes a pueris habitas esse, nullo quod sciam testimonio probari potest. Quid, quod Quintilianus, memorans, praetextatos egisse quosdam, nullum Augusti exemplo antiquius in medium profert, ex quo A. G. Ernestius de Panegyr. Roman. Eloquent. in Opusc. Oratt. p. 176. justo plura mihi videtur collegisse. Iste mos, quo praetextati adeo rostra conscenderent mortuosque suos laudarent, vergente demum republica introductus est, et, nisi vehementer fallor, ab Julio Caesare primum neque inconsulte usurpatus, licet ipsum, perspicacissimi hominem animi, non praeteriret, hac ratione antiquum illud ac laudabile institutum non posse non in contemptum adduci et evilescere. Jam mihi persuasissimum est, Augustum puerum non suopte ingenio animique impetu aut suo in aviam, tenerae quidem pueritiae suae educatricem, amore, sed avunculi magni suasu et auctoritate permotum, nec tam permittente eo quam jubente, illius matronae pro rostris laudandae munus suscepisse. Haud parum enim Julii Caesaris intererat, ut cum ipse sororis suae nepos populo quam maturrime innotesceret, tum etiam gens Julia, in qua aliquot annis ante ipse dixerat sanctitatem regum et cerimoniam Deorum esse 8), quocumque modo celebraretur et velut regno a Diis destinata vel a puero commendaretur. In qua enim alia re consumi ab Augusto poterat laudatio aviae, quam in praedicanda generis antiquitate ac nobilitate, in referendis ornamentis, honoribus ac laudibus cum majorum, tum aequalium, inprimis Julii Caesaris, ejus fratris tum maxime in Gallia cum omnium admiratione et stupore belligerantis, quem orator puer patris loco coleret? Insolens quidem optimo cuique videri debebat et nimis ambitiosum, in suae gentis laudatione uti voce pueri rostra conscendentis, neque tamen illi inutile erat aut contrarium magnis ejus et arduis consiliis, quae jam tum ad evertenda subinde veteris reipublicae instituta et ad condendum propediem regnum animo versabat. Itaque Augustum, duodecim vix natum annos, aviae post mortem laudandae gratia rostra conscendisse credo ab Julio Caesare, illius fratre, jussum, quem quum Nicolaus Damascenus c. 3. dicit concionali cum clamore auditum esse, eius rei fides esto penes auctorem.

Quaesitum etiam est, num Augustus funebrem illam orationem proprio Marte, an duce et adjutore magistro aliquo composuerit? Sententiae hominum doctorum discrepant. Sic Harkenrothius in Nov. Miscell. Observ. Tom. I. p. 55. mirifico acumine probare studet, Athenodorum Tarsensem, philosophum Stoicum illum, qui vulgo inter Augusti magistros numeratur, ei primum istud ingenii oratorii experimentum exaranti opera sua et studio adfuisse. Sed Frand-

7) Ibidem docui, illam Juliam mortuam esse a. U. C. 702. vel 703., et mecum facit Drumannus in Hist. Rom. Vol. III. p. 767. N. 41.

8) Laudaverat Julius Caesar, Quaestor, Juliam amitam, uxoremque Corneliam vita defunctas, teste Suetonio J. Caes. c. 6. et in amitae quidem laudatione de ejus ac patris sui utraque origine illud protulerat.

senius in Vit. M. Agrippae p. 179. nequaquam a vero abhorrere censet, illam laudationem ab ipso puero fuisse scriptam, cum Suetonius eum ab aetate prima et cupide et laboriosissime eloquentiam exercuisse affirmet. Equidem neutrius sententiae possum subscribere. Ac reputanti mihi quod Cicero in Brut. c. 16. §. 62. scribit, hujusmodi funebres orationes ab ipsis familiis quasi ornamenta servatas esse ad usum, si quis ejusdem gentis occidisset, ac simul recordanti, ab Julio Caesare Quaestore pro rostris laudatam esse Juliam amitam, prorsus supervacaneum et inutile videtur quaerere de scriptore ejus orationis, qua Augustus puer Juliam aviam defunctam laudasse traditur; absurdum autem censeo ambigere, num eam de scripto dixerit an memoriter pronuntiaverit. Ut tamen cumque est, id, assentiente H. Meyero in Oratt. Roman. Fragment. p. 224., paene pro certo affirmare ausim, istam oratiunculam quamvis aliqua ex parte ab ipso scriptam, tamen, velut acerbiorem studiorum fructum, numquam juris publici factam esse.

Augustus, ut multis cognitum est documentis, suorum erat amantissimus, et ut vivis omne officii et humanitatis genus impertiebat, ita etiam mortuis magnifice justa facere solebat. Jam cum ei in fatis esset, ut, dum vivebat, plurimorum suorum funera videret, non poterat aliter fieri quam ut illud laudationis munus per imperii diuturni decursum aliquoties ei obeundum esset. Illud fortasse mirum quempiam habeat, quod in tanta, qua in aviam et avunculum magnum affectus erat, pietate et caritate ne Atiam matrem quidem, nedum Philippum vitricum laudatione funebri prosecutus fuerit. Matrem, quam consulatu primo a. U. C. 711. s. 43. exeunte amisit, honoravit tantum *δημοσίᾳ ταφῇ*, ut tradit Dio Cass. Libr. XLVII. c. 17. qui dubitari nequit quin si publico funeri conjuncta fuisset laudatio, eam memorasset, ut de Tiberio Libr. LVIII. c. 28. *καὶ δημοσίας τε ταφῆς ἔτυχε καὶ ἐπῃνέθη ὑπὸ τοῦ Γαΐου.* 9) Sed haud dubie temporum difficultate rerumque concursu gravissimarum impeditus est quo minus laudationis officium illi praestaret. De exsequiis vitrico institutis altum apud scriptores silentium: quod nisi casu ortum est, neglecti illius officii caussam probabilem exposuisse mihi videor Libr. I. §. 1. Jam quae a scriptoribus memorantur hujus generis orationes, in eis recensendis temporum ordinem sequamur.

I. *M. Marcellus*, Octaviae sororis filius et Augusti gener, obiit a. U. C. 731. s. 23. vix viginti annos natus, ut ostendi in Comment. *de Cassio Parmensi* Excurs. V. p. 355 sq. Eum Augustus perdidit successioni praeparatum suae, ut ait Seneca in Consol. ad Polyb. c. 34. §. 2. Quo casu perluctuoso graviter afflictus *αὐτὸν δημοσίᾳ τε ἔθαψεν ἐπαινέσας ὥσπερ εἴθιστο, καὶ ἐς τὸ μνημεῖον, ὃ ᾠκοδομεῖτο, κατέθετο, τῇ τε μνήμῃ τοῦ θεάτρου τοῦ προκαταβληθέντος μὲν ὑπὸ τοῦ Καίσαρος, Μαρκέλλου δὲ ὠνομασμένου, ἐτίμησεν*, ut verbis utar Dionis Cass. Libr. LIII. c. 30. Hanc Augusti orationem parentalem si non evulgatam, certe alicubi servatam ad posteritatem pervenisse, paene certum est. Plutarchus enim in Comparat. Pelopidae cum Marcello, Syracusarum expugnatore, Vol. II. p. 473. R. inter auctores, quos in scribenda Vita Marcelli secutus est, nominat etiam Caesarem Augustum. Qui cum illius Marcelli mentioni neque in Commentariis de Vita sua, neque in ullo alio opere locum dare

9) Videsis tamen quae de Atiae matris funere infra N. III. admonebo. Caeterum qui de funeris publici ratione et modo scripserunt, eos nominavit, post Fabricium ad Dionis Cass. Libr. LIV. c. 12. N. 117. Vol. VI. p. 113. Strz., Rupertius ad Taciti Ann. Libr. III. c. 5. §. 1.

III. *Octaviam* sororem a. U. C. 743. s. 11. vita functam esse, auctor est Dio Cass. Libr. LIV. c. 35., qui de ejus exsequiis haec prodit: *ἐν δὲ τῷ ἔτει ἐκείνῳ τήν τε Ἰουλίαν τῷ Τιβερίῳ συνῴκισε, καὶ τὴν Ὀκταουΐαν τὴν ἀδελφὴν ἀποθανοῦσαν προέθετο ἐπὶ τοῦ Ἰουλίου ἡρῴου, παραπετάσματι καὶ τότε ἐπὶ τοῦ νεκροῦ χρησάμενος. Καὶ αὐτός τε καὶ ἐκεῖ τὸν ἐπιτάφιον εἶπε, καὶ ὁ Δροῦσος ἐπὶ τοῦ βήματος.*[12]) — *Καὶ τὸ μὲν σῶμα αὐτῆς οἱ γαμβροὶ ἐξήνεγκαν, τὰ δὲ δὴ ψηφισθέντα αὐτῇ οὐ πάντα ὁ Αὔγουστος ἐξεδέξατο.* Eadem, sed in brevius contracta habet Zonaras Ann. Libr. X. c. 34. Neuter eorum definit, utra Augusti soror, germana an uterina, sit intelligenda. Etiam Suetonius c. 61., interiorem ac familiarem Augusti vitam referre exorsus, scripsit: „Matrem amisit in primo consulatu, sororem Octaviam quinquagesimum et quartum agens aetatis annum. Utrique quum praecipua officia vivae praestitisset, etiam defunctae honores maximos tribuit.“ Quo in loco praemissa matris defunctae, Atiae, mentio suadet, ut Octaviam quam dicunt minorem, uterinam Augusti sororem, intelligamus, cujus obitum cum Livius, ut Epit. 138. docet, fusius exposuerat, tum L. Seneca in Consol. ad Polyb. c. 34. §. 2. attingit. Jam Viri Docti tantum non omnes opinantur, apud Dionem quoque de eadem Octavia, Augusti sorore, sermonem esse, nec satis attendunt, illi auctores quantopere inter se repugnent. Suetonio teste, Augustus sororem amisit agens aetatis annum 54., quem annum d. 23. Septembris a. U. C. 745. s. 9. explevit; contra Dio obitum sororis Augusti anno U. C. 743. s. 11. assignat. Ergo manifestum est, utrumque scriptorem de diversis sororibus agere, nisi forte placet, alterutri gravem errorem neglectique temporum ordinis crimen impingere. At periculum est, ne utrique injuria fiat scriptori. Suetonius in definiendo matris anno fatali fuit accuratissimus; Dionis fidem tectam sartamque praestat mentio Juliae, quam anno proxime superiori Agrippae morte viduam factam non multo post Tiberio in matrimonium datam esse scimus. Accedit, quod Dio Octaviam, quam commemorat, non solum ab Augusto, sed etiam a Druso, illius anni Praetore, laudatam esse refert; quo autem anno Suetonius dicit Augusti sororem mortuam esse, eo Drusum Roma absentem in Germania bellum gessisse constat. Cuivis haec secum reputanti sine opinione temere concepta dubium esse vix potest quin Dio Cassius de Octavia majore, Ancharíae filia et germana Augusti sorore, loquatur, quae biennio prius, quam Octavia minor, diem supremum obierit, et quae non solum ab Augusto, fratre germano suorum amantissimo, orationis funebris honore fuerit decorata, sed etiam a Druso, qui ejus filiam, Antoniam minorem, Anchariae neptim, in matrimonio haberet.[13]) Quidquid tamen ejus rei est sane quam obscurae ac controversae, nihil nisi silentium aliorum scriptorum obstare arbitror quo minus Octaviae utrique generos fuisse suspicemur, qui honoris caussa socrus suae cadaver efferrent. Illud autem erit qui fortasse miretur, quod Augustus Octaviam, sororem uterinam eamque, ut Seneca ait, carissimam, vita a. U. C. 745. s. 9. defunctam laudasse a nemine veterum scriptorum tradatur, nisi forte statuis, *honores maximos*, quos Suetonius dicat ab eo sorori pariter ac matri defunctis tributos esse, significare et complecti laudationem quoque utriusque mulieris et reliqua exsequiarum justa. De laudatione, quam

12) Inde ab Augusti aetate usu venit, ut apud Romanos duplices fierent laudationes, notante jam Tayloro in Lection. Lysiae. c. 3. p. 238. ed. Reisk.

13) Nondum a me potui impetrare, ut retractarem et corrigerem, quae de Augusti sororibus, Octavia majore et minore, earumque matrimoniis conjectura satis probabili ductus scripsi in Excurs. V. ad Comment. *de Cassio Parmensi* p. 348 sqq., quamvis in sententia mea confutanda Drumanni in Hist. Rom. Vol. IV. p. 235. N. 83. et doctrinam admirer et humanitatem exosculer.

Dio memorat, nullus, quod sciam, alius scriptorum quidquam profert, licet a vero non abhorreat, eam ab Augusto litteris mandatam et evulgatam fuisse.

IV. Tiberium Claudium *Drusum*, privignum intra suos penates editum, Augustus amisit a. U. C. 745. s. 9. in Germania mense Julio mortuum ex fractura, equo super crus ejus collapso, ut legimus relatum in Livii Epit. 140.[14] De funere illi facto memoriae prodidit Dio Cass. Libr. LV. c. 2. haec: *Προπυθόμενος δ' ὁ Αὔγουστος ὅτι νοσεῖ, (οὐ γὰρ ἦν πόῤῥω) τὸν Τιβέριον κατὰ τάχος ἔπεμψε· καὶ ὃς ἔμπνουν τε αὐτὸν κατέλαβε, καὶ ἀποθανόντα ἐς Ῥώμην ἐκόμισε, τὰ μὲν πρῶτα μέχρι τοῦ χειμαδίου τοῦ στρατοῦ, διά τε τῶν ἑκατοντάρχων καὶ διὰ τῶν χιλιάρχων, ἐκεῖθεν δὲ διὰ τῶν καθ' ἑκάστην πόλιν πρώτων βαστάσας. Καὶ αὐτοῦ ἐν τῇ ἀγορᾷ προτεθέντος, διπλοῦς ὁ ἐπιτάφιος ἐλέχθη. ὅ, τε γὰρ Τιβέριος ἐνταῦθα αὐτὸν ἐπῄνεσε, καὶ ὁ Αὔγουστος ἐν τῷ Φλαμινίῳ ἱπποδρόμῳ.* Haec excerpsit Zonaras Ann. Libr. X. c. 35. Druso igitur duplicis etiam laudationis honos tributus est: Tiberius laudavit fratrem pro rostris intra Urbem; extra eam in Circo Flaminio Augustus, si quidem ei rebus in bello gestis non fas erat ea praetermittere, quae post bella in ipso pomoerii introitu de more praestanda essent, ut Dio ait. Ingredientibus enim Urbem post partam victoriam prima cura fuit, ut Jovi Capitolino aliisque Diis in ipsorum templis gratias agerent. Id cum Augustus, funesta ipsius domo, *διὰ τὸν τοῦ Δρούσου θάνατον* facere non posset, extra pomoerium mansit, ut pluribus docet Casaubonus ad Suetonii Claud. c. 1., ubi haec tradita leguntur: „Quum Augustus tanto opere et vivum (Drusum) dilexerit, ut cohaeredem semper filiis instituerit, sicut quondam in Senatu professus est, et defunctum ita pro concione laudaverit, ut Deos precatus sit, *similes ei Caesares suos facerent, sibique tam honestum quandoque exitum darent, quam illi dedissent.*“ Haec Augusti pro funere dicentis verba ac vota, quae Dii neutro nomine rata fieri voluerunt, ex parte in usum suum convertit Pedo Albinovanus in Consol. ad Liviam Augustam v. 209 sqq.:

Et voce et lacrimis laudasti, Caesar, alumnum;
Tristia cum medius rumperet orsa dolor.
Tu letum optasti, Dis aversantibus omen,
Par tibi, si sinerent te tua fata mori.

Tacitus Ann. Libr. III. c. 5. referens, Augustum „ipsum asperrimo hiemis Ticinum usque progressum, neque abscedentem a corpore simul Urbem intravisse: circumfusas lecto Claudiorum Juliorumque imagines: defletum in foro, laudatum pro rostris: cuncta a majoribus reperta, aut quae posteri invenerint cumulata;“ unam tantum videtur mente habuisse Drusi laudationem a Tiberio pro rostris habitam: postrema autem ejus verba illustrat Dio, qui narrat, cadaveris in Campum Martium allati ibique cremati reliquias in Augusti Mausoleo conditas esse his insuper additis: *Γερμανικός τε μετὰ τῶν παίδων ἐπονομασθεὶς καὶ τιμὰς καὶ εἰκόνων καὶ ἁψῖδος,*

---

14) Auctore Suetonio Claud. c. 1. nonnulli tradere ausi sunt, Drusum, quia numquam dissimulasset, se pristinum Reipublicae statum quandoque posset restituturum esse, suspectum Augusto revocatumque ex provincia et, quia cunctaretur, veneno interceptum. Id autem Suetonio minime visum est veri simile, et illum, magna ex parte domitorem Germaniae, plurimo ejus gentis variis in locis profuso sanguine, fatorum iniquitas, Consulem, agentem annum tricesimum, rapuit, ut Vellejus Paterc. Libr. II. c. 97. §. 3. ait. De Drusi rebus in Germania ab a. U. C. 742. s. 12. usque ad a. U. C. 745. s. 9. gestis aliquanto planius quam ceteri exposuit A. de Wersebi in libr.: *Ueber die Völker und Völker-Bündnisse des alten Teutschlands.* (*Hannover* 1826. 4.) p. 7 sqq.

κενοταφίου τε πρὸς αὐτῷ τῷ Ῥήνῳ λαβών. Huic Cenotaphio haud scio an recte statuam si dixero destinatum fuisse illud Elogium versibus compositum, de quo Libr. II. §. 6. dixi. Nam quo testatiorem cumulatioremque faceret Augustus suum in Drusum amorem, praeter illam orationem funebrem, exaravit etiam inscriptionem sepulchralem et memoriam vitae ejus, de qua infra Libro V. sermo erit.

Intra quatuor annorum spatium Augustus totidem vidit suorum funera eodem, quo fecimus, ordine recensita etiam a Pedone Albinov. in Cons. ad Liviam Aug. v. 65 sqq.:

Vidimus erepta moerentem stirpe sororis:
Luctus, ut in Druso, publicus ille fuit.
Condidit Agrippam, quo te, Marcelle, sepulcro:
Et cepit generos jam locus ille duos.
Vix posito Agrippa tumuli bene janua clausa est:
Perficit officium funeris, ecce, soror.
Ecce, ter ante datis, jactura novissima, Drusus
A magno lacrimas Caesare quartus habet.

V. *Corneliam,* Scriboniae filiam et privignam Augusti, quae, L. Aemilio Paulo nupta, a. U. C. 738. s. 16. praematuram mortem obierat, Propertius Libr. IV. Eleg. 11. v. 58 sqq. ita loquentem facit:

Maternis laudor lacrimis, Urbisque querelis,
Defensa et gemitu Caesaris ossa mea.
Ille sua nata dignam vixisse sororem
Increpat, et lacrimas vidimus ire Deo.

Ex quo loco L. Santenius p. 894. et 909. ed. Traj. ad Rhen. 1780. refert fuisse qui suspicarentur, illam Corneliam ab Augusto laudatam esse pro funere. Sed jam Santenius huic conjecturae opponit Suetonii ea de re silentium et multo magis ei obstat Augusti cum Scribonia post divortium necessitudo, de qua alio loco dicemus. Ac possunt etiam verba „*gemitus*“ et „*lacrimae*“ apud Propertium accipi de privato, quo Imperator privignam olim suam defunctam prosecutus sit, luctu et dolore.

§. 3.

Quae praeterea ab Augusto vel pro rostris ad populum vel in castris ad milites vel denique in Senatu orationes habitae esse feruntur, eas hocce deinceps ordine percensebimus prolatis in medium atque examinatis scriptorum veterum locis, in quibus cujuspiam orationis mentio injecta legitur. Harum quoque orationum tam pauca ac tenuia supersunt vestigia, ut, quae fuerit singulae cujusque orationis summa rerumque tractatio, nequaquam possit pronuntiari.

A. *Orationes ad Populum.*

1. Omnium prima pro concione verba Augustus fecit postridie quam Romam ineunte mense Majo ingressus esset Apollonia reversus, impetrata ab L. Antonio, Tribuno plebis, concionandi potestate: vid. Libr. I. §. 8. Cicero, ea de re per Atticum certior factus, amico respondit Libr. XIV. Ep. 20. §. 5.: „Exspecto, si, ut putas, L. Antonius produxit Octavium,

qualis concio fuerit;“ et Ep. 21. §. 4.: „Exspecto Octavii concionem et, si quid aliud.“ Eam quum paulo post legisset, ad Atticum rescribit Libr. XV. Ep. 2. §. 3.: „De Octavii concione idem sentio quod tu: ludorumque ejus apparatus et Matius ac Postumius mihi procuratores non placent. Saserna collega dignus. Sed isti omnes, quemadmodum sentis, non minus otium timent quam nos arma.“ Ex hoc loco compertum habemus, Augustum in ista concione populo fidem suam obstrinxisse, qua ludos Veneri Genitrici ab Julio Caesare apud Pharsalum consecratos propediem facturus sit et simul numeraturus pecuniam, quam omnibus viritim Dictator legaverat. Id certe testatur Dio Cassius Libr. XLV. c. 6. Fueritne illa concio exemplaribus divulgata, incertum quidem est, sed veri simillimum; Augusti enim plurimum referebat, ea ut a quam plurimis legeretur, et quae, injecta multorum aliorum donorum spe, pollicitus fuerat, omnibus innotescerent. Caeterum Dio Cassius, ut jam ab aliis monitum est, quum Augustum dicit in concionem tum productum esse a Tiberio Cannutio, Tribuno plebis, memoria lapsus vehementer erravit.

2. Augustus enim, cum mense Octobri a. U. C. 710. s. 44. stipatus veteranis, quos in Campania collegerat, ad Urbem venisset, introductus est ab isto Tribuno et ad aedem Castoris in concionem productus, ut refert Appianus B. C. Libr. III. c. 41. coll. Dion. Cass. Libr. XLV. c. 12. Prior dixit Cannutius in M. Antonium Consulem invectus;[15]) posterior Augustus ad plebem dicere orsus primum avunculi memoriam pluribus verbis instauravit, res ab eo gestas splendide exornavit, de se modeste locutus acceptas ab Antonio injurias commemoravit, exercitum suae custodiae caussa collectum cum laude militum excusavit suamque operam patriae promisit, ut tradunt Appianus et Dio: cf. Zonaras Libr. X. c. 14. Hanc quoque concionem divulgatam cum Cicero in Arpinati legisset exeunte mense Novembri, indignabundus rescripsit Attico Libr. XVI. Ep. 15. §. 3.: „Multa mehercule a te saepe ἐν πολιτικῷ genere prudenter: sed his litteris nihil prudentius: *Quamquam enim postprincipia belle iste puer retundit Antonium, tamen exitum exspectare debemus.* At quae concio! Nam est missa mihi. Jurat, *ita sibi parentis honores consequi liceat:* et simul dextram intendit ad statuam. Μηδὲ σωθείην ὑπό γε τοιούτου!“[16])

Caeterum credibile est, Augustum per illud tempus, quo ab Antonio dissideret ac mutuas exerceret inimicitias, aliquoties concionatum esse ad populum, quo magis adversario suo odium

15) De Tiberio Cannutio, Tribuno plebis, dixi jam alia occasione Libr. I. §. 10. III. N. 87. M. Antonius ab eo honestissimis contentionibus et saepe et jure vexatus esse dicitur ap. Cicer. Philipp. III. c. 9. Nempe Ciceronis intererat M. Antonii adversarium et inimicum oratione laudari. Sic Cassio scribit Libr. XII. ad Divers. Ep. 3. §. 2.: „Itaque a. d. VI. Non. Octob. (i. e. d. 2. Octobr. a. 44.) productus in concionem a Cannutio turpissime ille quidem discessit, sed tamen ea dixit de conservatoribus patriae, quae dici deberent de proditoribus.“ Haec verba accepta esse vult de Augusto Pighius a. Tom. III. p. 468. et nomen „*Octavius*“ excidisse suspicatur: cum eo facit Fabricius ad Dion. Cass. Libr. XLV. c. 6. N. 87. Vol. V. p. 447. St. Sed sermo ibi est de M. Antonio, tum praesente adhuc Romae ac demum d. 9. Octobris Brundisium contendente, ut planum fecit Drumannus in Hist. Rom. Vol. I. p. 203 sq. Aliquot diebus post Cannutius, introducto in Urbem Augusto, invectus est in Consulem Roma absentem et occurrentem exercitui, quem ex transmarinis provinciis Brundisium venire jusserat, ut ait Vellejus Pat. Libr. II. c. 61. §. 2.

16) Pro vulg. *quamquam enim postea in praesentia belle,* qua lectione nihil corruptius est, recepi Orellii conjecturam, qua Attici animus judiciumque egregie declaratur, neque quidquam veri similius est quam Attico ad Ciceronem de Augusti concione ista scribenti succurrisse Afranii verba, quibus alias ipse Tullius usus fuerat: v. Or. pro Sest. c. 55. §. 118. Statuam, ad quam Augustus manum intenderat, brevi ante Antonius in rostris posuerat inscriptam: *Parenti Optime Merito:* cf. Cicer. ad Divers. Libr. XII. Ep. 3. §. 1.

et invidiam conflaret sibique multitudinis gratiam conciliaret: cf. Appian. B. C. Libr. III. c. 28. Dion. Cass. Libr. XLV. c. 7 sq.

3. Posteaquam Augustus, devicto Sext. Pompejo, mense Octobri a. U. C. 718. s. 36. ineunte ad Urbem redierat, postridie quam advenerat, Senatum Populumque in concionem extra pomoerium advocavit, ut narrant Appianus B. C. Libr. V. c. 130. et Dio Cass. Libr. XLIX. c. 15.[17]) In oratione, quam ibi habuit, res a se gestas exposuit, rationem administrationis reipublicae, ex quo ad eam admotus esset ad illum usque diem, reddidit, nonnulla, quae in suum honorem a Senatu decreta essent, rejecit, tributum ex censu impositum et si qua alia inde ab initio belli in aerarium conferenda adhuc debebantur, remisit, vectigalia abrogavit aliaque dixit ac constituit, quibus apud populum gratiae locum sibi quaereret et collegas, Antonium et Lepidum, contemptui et odio subinde objiceret. Habita hac oratione ovans Urbem ingressus est die 15. Novembris, ut adnotatum invenimus in Fastis Capitolinis a. U. C. 717. Appianus expressis verbis admonet, Augustum, quae in illa concione dixisset, ab ipso domi conscripta in vulgus edidisse.

4. Una autem ex Augusti concionibus, quas quidem veteres scriptores commemorant, prae caeteris nomen et famam adepta est, quam senex septuagenarius habuisse traditur a. U. C. 762. s. p. Chr. n. 9. Hujus rei auctor inprimis est Dio Cassius Libr. LVI. c. 1. Tiberius, Pannoniis ad pacem petendam adactis, in Urbem redierat. Hanc ob caussam Augustus quum populo *θέας ἐπινικίους* i. e. venationes, ludos Circenses, gladiatorios scenicosque praeberet, Equites magno opere contendebant, ut Lex Julia de maritandis ordinibus abrogaretur. Quo facto ordinem equestrem in Forum convocavit ex eisque *χωρὶς μὲν*, ut Dio ait, *τοὺς ἀγυναίους, χωρὶς δὲ τοὺς γεγαμηκότας ἢ καὶ τέκνα ἔχοντας* collocavit: quae verba si quid habent ambiguitatis, id plane tollunt quae subjecta sunt: *καὶ ἰδὼν πολὺ τούτους ἐκείνων ἐλάττους, ἤλγησέ τε καὶ διελέξατο αὐτοῖς τοιάδε.* Inde evidens fit, Equites una in Forum convenisse et, extra multitudinis coronam, seorsim caelibes seorsimque maritos patresque diverso quosque loco stare jussos esse, ita ut horum paucitas prae illorum multitudine facile posset animadverti. Jam hujus rei adspectu Augustum indoluisse et ad utrosque separatim verba fecisse, unus omnium refert Dio et ipsius Imperatoris verba proponit, quibus cum maritos patresque laudaverit c. 2. et 3., tum caelibes castigaverit c. 4—10. Jam hanc concionem haud pauci genuinam et, si a verbis Graecis discesseris, integre incorrupteque a Dione, homine Latine docto, nobis servatam esse censuerunt. In ea opinione fuit, paucos ut hic nominem, inprimis Jo. Guil. Bergerus, qui in Rhetorices Augustae Specim. II., quod de Inventione agit, dici non potest quam copiosus disertusque hujus concionis artificium explanaverit et oratoriam Augusti facultatem extulerit p. 23—35. Ejusdem *γνησιότητα* agnoscunt et sine ulla fere dubitatione amplectuntur C. W. de Rhoer in Diss. de Stud. Litt. Caes. Aug. Cap. II. §. 13. et J. G. Heineccius in Comment. ad Leg. Jul. Libr. I. c. 3. p. 39 sqq., et Fabricio ad hunc Dionis locum N. 4. Vol. VI. p. 200 Strz. non incredibile videtur, illas orationes quas non dubium sit quin Augustus

---

17) Appianus quum scribit: *τῆς δὲ ἐπιούσης αὐτὸς ἐβουληγόρησέ τε καὶ ἐδημηγόρησε κ. τ. λ.*, ea verba non ita intelligenda esse puto, ac si Augustus in curia apud Senatum atque ad populum extra pomoerium locutus esset diversis orationibus. Cum ei exercitum ducenti non liceret Urbem intrare, Senatores et populus evocandi Urbe et extra pomoerium alloquendi erant: apud utrosque conjunctim concionatus est una eademque habita oratione, ut Appiani locum etiam Drumannus in Hist. Rom. Vol. IV. p. 267. accepit.

pariter atque alias domi exaratas de more recitaverit atque in vulgus ediderit, ad Dionem pervenisse ab eoque in Graecum conversas operi historico suo insertas esse.[18] At ego secus hac de re existimo et nihil hic invenio nisi historici copiose rhetorissantis ἐπίδειξιν:[19] tantum abest, ut Augustum ea, qua Dio eum dicentem inducit, ratione et rerum verborumque ubertate locutum esse arbitrer. Quod priusquam planius affirmo, dicendum est de loco Suetonii c. 34., ubi de eadem Lege sermo est: „Hanc quum aliquanto severius quam caeteras emendasset, prae tumultu recusantium perferre non potuit, nisi adempta demum lenitave parte poenarum et vacatione triennii data, auctisque praemiis. Sic quoque abolitionem ejus publico spectaculo pertinaciter postulante Equite, accitos Germanici liberos receptosque partim ad se, partim in patris gremium, ostentavit, manu vultuque significans, ne gravarentur imitari juvenis exemplum." Publicum quod memorat Suetonius spectaculum quis dubitet esse θέας ἐπινικίους apud Dionem? Uterque autem scriptor contestatur, abolitionem Legis Juliae illa inter spectacula ab Equitibus tumultuose postulatam esse.[20] At Suetonius neque de convocatis in Forum Equitibus neque de orationibus separatim ad eos dictis quidquam habet et, quod de Germanici liberis narrat, id non temere quis contendat in theatro factum esse, quo citius Equitum postulantium clamores in praesentia sedarentur. Orationum igitur istarum fides et auctoritas penes unum Dionem est. Nihilo tamen secius veri est simillimum, ab Augusto pro eo quo esset Legis illius perferendae studio acerrimo, in ipsis, quibus illae θέαι ἐπινίκιοι actae sunt, diebus ordinem equestrem, qui prae caeteris refractarius esset, in concionem vocatum et compellatum esse. Quodsi autem cum praegrandem Augusti aetatem, illo ipso tempore publicis domesticisque curis valde vexatam,[21] tum inprimis illud reputaveris, quod Imperator septuagenarius adspectu demum Equitum in duas discedentium partes numeroque caelibum majore indignatus ad dicendum motus esse feratur; haud difficulter tibi persuadebis, illas orationes, cum subitariae essent et sine praevia meditatione habendae, non potuisse non esse breviores neque tanti ambitus tantive artificii, quanti sint istae a Dione perscriptae. Itaque mihi persuasum est, Augustum senem, ubi excanduisset animo, paucis sed gravibus usum esse verbis Equitum alios laudando aliosque castigando, atque accitis in ipsam concionem receptisque in suum et patris gremium Germanici liberis, maluisse tragoedias, ut ita dicam, quam dicendi faces adhibere. Istis tamen tragoediis existimandus est effecisse, ut sub finem huius anni, M. Papio Mutilo et Q. Poppaeo Secundo Coss. suffectis, tandem Lex Julia de maritandis ordinibus perferretur et inde Julia et Papia Poppaea nominaretur.

5. Non alienum fuerit, hic in medium proferre orationem, quam Augustus, Alexandria mense Sextili a. U. C. 724. s. 30. occupata, victor urbem invectus, in Gymnasio ad cives humi

18) Fabricius hanc tresque alias Augusti orationes, quae ap. Dionem inveniuntur, in Caes. Aug. Fragm. p. 173. omisit, quia prolixiores sint, ut ait, neque Augusti verba, sed sententiam utcumque Graece expressam exhibeant. Eam ne verbo quidem attigit H. Meyerus in Oratt. Rom. Fragm. p. 223 sq.

19) Redolet ista oratio, Augusto afficta, non tam, si quid intelligo, Imperatoris illius quam ipsius Dionis ingenium ac sentiendi scribendique rationem, quam vere ac vivide expressit Hermann Ulrici in libr.: *Charakterist. d. antiq. Historiographie* p. 244 sq. Nonnulla de clarorum virorum orationibus apud Dionem sobrie scripsit R. Wilmans de Dion. C. Fontibus et Auctoritate (Berol. 1836. 8.) Cap. II. p. 32 sqq.

20) Istae Equitum turbae sine dubio natae sunt in ludis scenicis propterea, quod Augustus, illius Legis gratia, nonnulla in theatro ejusque ordinibus mutaverat, teste Suetonio c. 44. Cf. Lipsii Excurs. ad Taciti Ann. Libr. III. c. 25.

21) Ante biennium Agrippa Postumus, ejus nepos, Roma relegatus et superiori anno Julia, ejus neptis, adulterii convicta, ad litus Apuliae ejecta fuerat, ut colligi potest ex Taciti Ann. Libr. IV. c. 71. Atque hoc ipso anno quantum senem difficilem ac morosum clades Variana perculerit, notum est.

se prosternentes et acerbissima quaeque metuentes habuisse fertur, auctore Plutarcho in Vit. Antonii c. 81. et in Apophthegm. Vol. VI. p. 778. Concionatus est, ut Plutarchus posteriore loco ait, *ἀναβὰς ἐπὶ τὸ βῆμα καὶ παραστησάμενος Ἄρειον, τὸν Ἀλεξανδρέα,* philosophum illum, de quo supra Libr. I. §. 10. VI. dictum est. Ac, qui ejusdem orationis mentionem facit, Dio Cassius Libr. LI. c. 16. insuper addit, eam Graece ab Augusto habitam esse, ut ab Alexandrinis posset intelligi. Atqui cum Suetonius c. 89. monuerit, illum linguam Graecam non ita calluisse, ut expedite loqueretur et aliquid componere auderet, et, si quid res exigeret, Latine formaret vertendumque alii daret, jam Casaubonus ad h. l. non temere suspicatur, hoc ex genere fuisse istam orationem, ac Fabricius ad Dionis Cass. l. c. N. 104. atque in Caes. Aug. Fragm. p. 172 sq. conjectura ductus perquam probabili statuit, eam, ab ipso Augusto Latine conceptam, in Graecum conversam fuisse ab Areo, homine Graeco et expeditionis illius Alexandrinae comite. Huic autem opinioni repugnat Jo. Guil. Bergerus in Rhetorices Aug. Specim. I., multisque p. 65—68. probare studet, Graece dicendi scribendique facultatem tantam, quantam istiusmodi concio flagitaverit, Principi illi nequaquam defuisse. At, ut Bergero concedam, id, quod Suetonius referat, ad Augusti judicium potius quam ad ejus Graecarum litterarum inscitiam referri oportere, id ipsum tamen me movet, ut conjecturae Fabricianae calculum adjiciendum esse putem. Circumspecto enim animo Augusti, quo in componendis orationibus nemo facile fuerit diligentior, plane consentaneum erat, ut, praesertim cum verba facturus esset apud eos, qui ex cultissimis Graecorum essent et Principis victoris non facta solum, sed dicta quoque acriter censerent, in lingua peregrina, ubi difficile fuerit homini Romano, quamlibet facundo et exercitato, nihil offendere, tanto magis sibi a qualibuscumque sermonis erroribus caveret ideoque in concione Graece habenda haud contemneret auxiliatricem operam Graeci sibi omnium conjunctissimi. Caeterum haud scio an Suetonius ista adnotans nullam aliam respexerit orationem, quam Alexandrinam istam: quae vix dubium est quin breve potius ac come fuerit alloquium, quam uberior et elaboratior concio. Summa enim ejus, scriptorum quotquot de ea loquuntur consensu, eo rediit, ut Alexandrinis se ignoscere eorumque urbi parsurum se esse tres ob caussas, quas tantum non omnes scriptores sine ulla fere varietate proferunt, polliceretur. Conferatur, praeter Plutarchum et Dionem, Themistii Orat. XIII. p. 212 sq. ed. Df. Imper. Julianus in Epistol. ad Alexandr. LI. p. 96. ed. Heyl. inter alia haec: *ὁ Σεβαστὸς δὲ ἐπιδημήσας ὑμῶν τῇ πόλει, καὶ πρὸς τοὺς ὑμετέρους πολίτας διαλεχθείς· „Ἄνδρες, εἶπεν, Ἀλεξανδρεῖς, ἀφίημι τὴν πόλιν αἰτίας πάσης αἰδοῖ τοῦ μεγάλου θεοῦ Σαράπιδος, αὐτοῦ τε ἕνεκα τοῦ δήμου, καὶ τοῦ μεγέθους τῆς πόλεως· αἰτία δέ μοι τρίτη τῆς εἰς ὑμᾶς εὐνοίας ἐστὶ καὶ ὁ ἑταῖρος Ἄρειος.* Quo in loco si quis ipsissima Augusti verba deprehendat servata ex Graeca illa concione, non magnopere intercedam, si quidem credibile est, eam, exemplis pluribus divulgatam, ad Julianum pervenisse.

B. Orationes ad Milites.

Quamdiu Augusto ad ulciscendam et persequendam Julii Caesaris caedem et ad opprimendos deinceps armorum vi adversarios venali militum veteranorum opera et auxilio opus erat, non poterat accidere quin nonnumquam eorum mentes sensusque etiam voce pertractaret eosque concionando in fide contineret. Qua in re cum aliorum, tum maxime avunculi exemplum, quantum

posset, aemulatus est: conferantur exempla ducum collecta ab B. Brissonio de Formul. Libr. IV. c. 22. p. 329. B. Sed severior castrorum disciplina jam pridem adeo degeneraverat, ut, dum Triumvir erat, indulgentia et ambitione potius quam ducis auctoritate et imperio uti liceret ac, si qui tumultuarentur imperiumque detrectarent, nequaquam minis poenisve, sed blandis verbis promissisve muneribus ad officium revocare deberet. Postquam autem militum opera imperium solus adeptus fuerat, eos, reducenda sensim ad pristinam rationem disciplina militari, severius suaeque majestati convenientius tractare coepit et regere. Facit huc locus Suetonii c. 25.: „Neque post bella civilia aut in concione aut per edictum ullos militum *commilitones* appellabat, sed *milites:* ac ne a filiis quidem aut privignis suis, imperio praeditis, aliter appellari passus est; ambitiosius id existimans, quam aut ratio militaris, aut temporum quies, aut sua domusque suae majestas postularet.“ Hinc Auctor Historiae Miscellae Libr. VII. ap. Muratorium Scriptt. Rer. Italic. Tom. I. p. 179 sqq. de Augusto scripsit: „Avunculi quoque inventum arguebat, qui milites *commilitones* novo blandoque more appellans, dum affectabat carior fieri, auctoritatem Principis emolliverat.“[22]) Quid plura? inde ab hoc tempore cum legionibus edictis potiu quam orationibus egisse videtur, si quid hac in re tribuendum est silentio scriptorum, apud quos hae tantum orationes commemorantur:

1. Cum Senatus post pugnam Mutinensem misisset qui legionum victricium fidem adversus Augustum Imperatorem labefactarent, milites autem noluissent, duce excluso, illorum legatorum mandata audire; Augustus, non amplius tacendum ratus, ipse, concione advocata, apud milites conquestus injurias a Senatu sibi illatas enumerasse illorumque fidem et auxilium implorasse dicitur, auctore Appiano B. C. Libr. III. c. 86. et 87. ubi ejus concionantis verba in medium profert, quae tanto confidentius conficta esse existimo, quanto certius aliorum testimoniis scriptorum est, ab Appiano rerum illic gestarum ordinem et modum insigniter perturbatum exponi, ut apparet ex accurata perque erudita narratione Drumanni Hist. Rom. Vol. I. §. 46. et 47. p. 316. et 324 sqq. Istam concionem suo more examinavit laudavitque Jo. G. Bergerus in Rhetor. Aug. Spec. II. p. XXXVII sq.

2. Teste Dione Cass. Libr. XLVI. c. 46. dicitur Augustus, adepto Consulatu, apud milites concionatus esse, eique, sicut primo comitiorum die in campum Martium progresso sex vultures, ita concionanti (*δημηγοροῦντί τι πρὸς τοὺς στρατιώτας*) duodecim vultures apparuisse traduntur. De hac concione apud milites tacent Suetonius c. 95. et Appianus B. C. Libr. III. c. 94., ostentum illud commemorantes. Planius rem exponit Julius Obsequens de Prodig. c. 129.: „Caesari, cum in campum Martium exercitum deduceret, sex vultures apparuerunt. Conscendenti deinde rostra creato Consuli iterum sex vultures conspecti veluti Romuli auspiciis novam urbem condituro signum dederunt.“ Haud dubie gratias militibus egit ac praemia promisit, utqui audito Senatus responso exacerbati postulassent, ut confestim Romam ducerentur, *ὡς αὐτοὶ χειροτονήσοντες αὐτὸν ἐξαιρέτῳ χειροτονίᾳ, Καίσαρος υἱὸν ὄντα,* ut refert Appianus B. C. Libr. III. c. 88.

---

22) Non est quod eam ob caussam Augustum superbi ingratique adversus milites animi insimulemus, licet dubium sit, num Julius Caesar, ubi regno adepto diutius frui per fata potuisset, umquam defugiturus fuisset blandiorem illam militum appellationem, qua pro suo in eos amore ac studio uti coeperat, ut referunt Suetonius Jul. Caes. c. 67. et Polyaenus Libr. VIII. c. 23. §. 22.: *Καῖσαρ τοὺς στρατιώτας ἐκάλει συστρατιώτας, τῷ ἰσοτίμῳ τοῦ ὀνόματος προθυμοτέρους ποιῶν ἐς τὰς μάχας.*

3. Appianus B. C. Libr. V. c. 47. inducit Augustum, tradita sibi Perusia, respondentem militibus suis, qui ipsum impense deprecati essent, ne veteranis L. Antonii Cos. auspicia et castra secutis succenseret vehementius eisque ingrati adversus se animi crimen objiceret. Istam oratiunculam ab Appiano in Augusti Commentariis de sua vita, utqui ab eo c. 45. nominentur, inventam et cum fide κατὰ τὴν γνώμην τῶν λελεγμένων Graece redditam esse, non facile adducar, ut credam.

4. Porro Appianus B. C. Libr. V. c. 128. mentionem facit alicujus concionis, qua Augustus seditionem suorum militum missionem et praemia post Sext. Pompejum devictum acriter flagitantium aegre composuisse proditur. Summatim tantum profertur ibi concio, in qua sane nihil invenio, quod, comparato praesertim simili in re Julii Caesaris animo, magnopere laudem et admirer: Augustum enim concionantem, sublato clam et crudeliter Ofilio, liberi oris tribuno militum, non tam verborum pondere quam donis largioribus et datis et promissis in comprimendo tumultu profecisse, cuivis manifestum est.[23])

5. Dio Cassius Libr. L. ante pugnam Actiacam quemadmodum M. Antonium prolixa compositaque oratione c. 16—22. alloquentem facit milites, ita etiam ab Augusto habitam esse fingit orationem, quam c. 24—30. legimus. In illa ultimi discriminis pugna dubitari nequit quin M. Antonius pariter atque Augustus suos quisque exercitus per aliquot dies, teste Plutarcho in Vit. Antonii c. 65., in procinctu stantes allocuti et ad fortitudinem cohortati fuerint. Atque ita narrat Zonaras Ann. Libr. X. c. 29. Sed quis est qui credibile dicat, M. Antonium, hominem si non vino, certe insano Cleopatrae, comitis suae, amore inebriatum, animum induxisse, ut tam multa tamque meditata ad suos milites faceret verba? et unde Dionem rescivisse ea et cognita habuisse suspicabimur, quae umquam chartis mandata et posteritati tradita esse praefracte negamus? Augustum scimus utique pro tribunali lubentius, sed de scripto dicere solitum esse: eccui autem veri simile est, eum hominem cogitationis, prudentiae ac diligentiae summae plenum tam ridicule se dedisse, ut in tanta omnium in procinctum tendentium trepidatione orationem vastam et doctam apud milites de scripto recitaret? De argumento utriusque orationis nihil hic dicam:[24]) in confessis enim hodie esse arbitror, uti Antonianam, ita Augusti quoque orationem esse commenticiam totamque a Dione perscriptam. Fabricius in Caes. Aug. Fragm. p. 173. a Dione non tam Augusti verba quam sententias utcumque Graece expressas esse putat. Rectius Drumannus Hist. Rom. Vol. I. p. 480. N. 18. ejus γνησιότητα simpliciter damnat neque dissentit Frandsenius de Vit. M. Agrippae p. 118.

C. Orationes ad Senatum.

Augustum cum Triumvirum, tum maxime Principem aliquoties apud Senatum locutum esse, par m scriptorum testimoniis constat, partim ex summa, qua administrandae civitati in-

23) Julius Caesar numquam cessit tumultuantibus militibus atque etiam obviam semper ivit, ut auctor est Suetonius c. 69. Qua in laude Augustus cum eo comparatus quantopere jaceat, nemini obscurum erit qui unius decimae legionis meminerit, cujus tumultum periculosissimum una Julii Caesaris voce „*Quirites*" compressum esse, multi rerum Romanarum scriptores cum admiratione memoriae prodiderunt: vid. Intpp. ad Suetonii Jul. Caes. c. 70. et, qui de eximiis Julii Caesaris virtutibus egregie scripsit, Drumannus Hist. Rom. Vol. III. p. 750 sqq.

24) Drumannus Hist. Rom. Vol. I. p. 480. N. 15. de oratione M. Antonii apud Dionem verissime judicat: „*Dio lässt ihn viel Ungereimtes sagen; ein solches Selbstlob und eine solche Herabsetzung des Feindes würde den Zweck verfehlt haben.*" Sed Augustus quoque haud pauca dixisse perhibetur, quae locis ac temporibus admodum disconvenirent.

teressot, cura et studio plane singulari colligi potest. Sic Triumvir, convocato Senatu et ordine equestri, de bello contra L. Antonium ejusque factionem suscipiendo habuit orationem, quam profert Appianus B. C. Libr. V. c. 28. et quam velut genuinam tractat Jo. Guil. Bergerus in Rhetor. Aug. Spec. II. p. XL sqq. Etsi vero omnia de scripto dicebat eaque litteris mandata sine dubio apud se servabat, tamen, si a paucis, quae passim allegantur, verbis discesseris, harum quoque orationum nihil ad nostram aetatem pervenit.

Inter hujus autem generis orationes in curia habitas sine ulla dubitatione principatum tenet illa, quam post Consulatum septimum, cum M. Agrippa III. Cos. Kalendis Januariis a. U. C. 727. s. 27. initum, in Senatu die 7. ejusdem mensis, quasi imperium depositurus habuisse perhibetur: vid. Libr. I. Excurs. I. p. 68. Hanc Augusti orationem unus profert Dio Cass. Libr. LIII. c. 3—10. eamque de scripto recitatam esse c. 2. fin. expressis verbis monet his: *καὶ ἀνέγνω τοιάδε.* Jam sicut nihil certius videtur, quam Augustum tam gravis momenti orationem de more conscriptam domi meditatamque attulisse in Senatum ibique recitasse; ita etiam haud improbabile fuerit, eamdem si non ab ipso publicatam, certe alicubi servatam ad posteros pervenisse ejusque *ἀπόγραφον* ob oculos habuisse Dionem, unde eam Graece redditam suo in opere intexeret. Proinde fuerunt eam qui pro genuina habere nihil dubitarent eamque tamquam illustre Augusti vel eloquentiae vel prudentiae monumentum, ex interiori Principatus consilio depromptum, magnopere laudarent et plurimi facerent. Prae caeteris in ea explananda subtilis et disertus est Jo. Guil. Bergerus in Rhet. Aug. Spec. II. p. XI sqq. et Freinshemius illam Latine iterum redditam velut *αὐτόγραφον* non haesitavit inserere supplemento Livii Libr. CXXXIV. c. 85 sqq.[25]) Mihi autem secus videtur et breviter dicam, quod sentio. Augustum aliquando per caussam abdicandi sese imperio et reddendae reipublicae egisse cum Senatu, certissimum est: vid. Suetonius c. 28. ibique Intpp. et cum Fabricio Sturzius ad Dion. Cass. Libr. LIII. c. 13. N. 57.; eisne autem verbis ac sententiis usus sit, quibus eum dicentem facit Dio, id est quod vehementer addubitem. Hujus enim orationis sive argumentum sive formam considero, in ea nihil invenire mihi videor nisi *ἐπίδειξιν* quamdam rhetoris ad ostentandum ingenium scriptam, cujuscemodi contexendae occasionem Dio Cassius tanto cupidius arripuit ultro sibi oblatam memoranda ista Augusti de imperio deponendo apud Senatum actione, quanto melius hocce loco quid ipse de regno et in universum de civitatium formis sentiret, tecte expromere ac commendare potuit. Itaque induxit Augustum verba facientem in curia tamquam hominem de schola atque eo loquentem modo, quo eum umquam apud Senatum esse locutum, nemo mihi persuadebit. Deinde quod ad formam ejus orationis attinet, jam Reiskius, admonente Sturzio ad Dionem Cass. N. 25. Vol. VI. p. 61. observavit, imitationem orationis funebris, quam Pericli tribuerit Thucydides, in Augusti oratione manifestam esse. Quod etsi exacte verum esse nego, tamen quae hic tribuitur Augusto oratio, etiamsi sententias habeat Principe illo ejusque consilio non indignas, Thucydidii generis colorem et rationem servili expressam imitatione ita redolet, eam ut ex fonte Latino fluxisse nequaquam sit credibile.[26]) Denique in hac, qua orationem illam

25) Eamdem orationem velut aureum pannum late splendentem etiam Fergusonus Hist. Reipubl. Rom. Libr. V. c. 1. Vers. Germ. Vol. III. P. 2. p. 307 sqq. maximam partem recepit ibique p. 314 sq. de ejus origine in utramque partem sobrie disputavit.

26) Res est jam pridem observata a Viris Doctis, quam studiose, sed infeliciter Thucydidem imitatus sit Dio Cassius: de cujus ingenio et ratione historica praeclare nuper scripsit Herm. Ulrici in libr.: *Charakteristik der antiken Historiographie* p. 243 sqq., unde haec transscribam: *Was Xenophon dem Ar-*

ab uno Dione confictam scriptamque esse arbitror, sententia me mirifice confirmat vastior illius ambitus, ne dicam, verbositas, quam incongruentem non solum loco ac tempori, sed etiam, praeparatis jam dudum ad hunc mimum Senatorum plurimorum animis, a prudentia et dignitate Augusti alienissimam fuisse dico. In universum enim statuere licebit orationes ab Augusto caeterisque Imperatoribus apud Senatum haberi solitas, breviores fuisse dicendasque potius rogationes, (*Anträge*) pro re nata compositas et vel ab ipso Imperatore vel a Quaestore Candidato recitatas. Quo factum est, ut Imperatores fuisse dicerentur auctores Senatui censendi id quod decernebatur illasque orationes sequerentur Senatus consulta.[27])

Ex hoc Augusti orationum sive rogationum genere fuisse censeo eam, quam memorat Tacitus Ann. Libr. I. c. 10. fin.: „Etenim Augustus paucis ante annis, quum Tiberio tribuniciam potestatem a Patribus rursum postularet, quamquam honora oratione, quaedam de habitu cultuque et institutis ejus jecerat, quae velut excusando exprobraret.“ Hanc orationem scriptam exstitisse lectamque videri a Suetonio, communis est Virorum Doctorum opinio. Suetonius enim Tiber. c. 68., exposito Tiberii habitu cultuque, pergit: „Quae omnia ingrata atque arrogantiae plena, et animadvertit Augustus in eo et excusare tentavit saepe apud Senatum ac Populum, professus, *naturae vitia esse, non animi.*“ Postrema verba esse ipsius Augusti, dubitari nequit; num autem deprompta ex honora illa, quam Tacitus dicit, oratione, habita in Senatu a. U. C. 757. s. p. Chr. 4., dubium facit ipse Suetonius, praemonens, Augustum saepe in curia et concione tentasse ista Tiberii vitia excusare.[28])

Quamquam dubius, tribus tamen verbis hic attingam orationem, quam pariter in Senatu habitam esse suspicor de jure territorii, memoratam ab Jul. Frontino de Limitib. Agror. p. 41. ed. Goes.: „Hujus soli jus, quamvis habita oratione Divus Augustus de statu municipiorum tractaverit“ etc. Sed tamen Bachius in Hist. Jurispr. Rom. Libr. III. c. 1. Sect. IV. §. 7. N. 1. ob locum Hygini de Limit. Constit. p. 181. ed. G. maluit Legem et Constitutionem Augusti intelligi.

§. 4.

Memorabile illud est quod apud Dionem Cass. Libr. LX. c. 10. de Imperatore Claudio relatum legimus: *τότε δὲ λόγους τινὰς ἐν τῇ νουμηνίᾳ, τοῦ τε Αὐγούστου καὶ τοῦ Τιβερίου, κατὰ δόγμα ἀναγιγνωσκομένους, ὥστε καὶ μέχρι τῆς ἑσπέρας τοὺς βουλευτὰς παρατείνεσθαι, ἔπαυσεν· ἀρκοῦν εἶναι φήσας, ἐν ταῖς στήλαις αὐτοὺς ἐγγεγράφθαι.* Apertum est, intelligendas

---

rian, *war Thucydides dem Dio Cassius, Regel und Vorbild seiner Darstellung. Allein je gewaltiger Thucydides Originalgeist die Geschichte und sein Werk beherrscht, desto gezwungener und verfehlter muss jede Nachahmung erscheinen. Dio Cassius strebte vergeblich die Form zu erreichen, da ihm der Geist fehlte.* Porro huc faciunt quae leguntur l. l. p. 244.: *Zuweilen verdrängt der monarchischgesinnte, aristokratische Hofmann und Günstling den Historiker* u. s. w. et N. 4.: *Seine monarchisch-aristokratische Gesinnung, und jene Geschmeidigkeit und Zufriedenheit erhellt besonders aus B. 53. c. 19.; Buch 52. c. 2 sqq. führt er Agrippa und Mäcenas in unförmlich langen Reden dem Augustus rathend vor und hebt die Nachtheile der republikanischen Verfassung besonders hervor* u. s. w.

27) Hujusmodi orationum Fragmenta hodieque exstant collecta a Brissonio de Formul. Libr. II. c. 170. p. 252 sqq., ubi a Bachio memorantur Viri Docti, qui de illis singulatim scripserunt: cf. ejusd. Hist. Jurispr. Rom. Libr. III. c. 1. p. 355 sq. et F. Walteri *Geschichte des Röm. Rechts B.* 1. c. 28. p. 288.

28) De tribunitia potestate Tiberio sive in quinquennium sive in decennium iterum data Casaubono ob scriptorum dissensum dubitanti scrupulum exemit BCrusius ad Suetonii Tib. c. 16.

hic esse certas quasdam Augusti ac Tiberii[29]) orationes aditiales, quae in Consulatus auspiciis habitae Kalendis Januariis prae caeteris argumenti gravioris fuissent et salubrium praeceptionum plenae. Harum orationum, quibus novi Consules magistratum ineuntes de suis officiis admonerentur, recitationem vivo adhuc Augusto decretam fuisse a Senatu, veri simillimum est. Id tamen decretum minime ab admiratione et laude eloquentiae, qua ille inter caeteros eminuerit, sed ab adulatione profectum esse, nemo erit qui dubitet. Jam hunc morem, teste Dione, sustulit Claudius, Cos. II. a. U. C. 795. s. p. Chr. 42. non quia Augustum, quem potius in omnibus stolide aemulabatur et venerabatur, despicatui habebat, sed quia sollemni hac orationum recitatione Senatus usque ad vesperam detinebatur in curia et satis existimabat, eas in columnis incisas esse. Nihilominus iste mos sub Claudii successore ab ipso Senatu etiam turpiori modo revocatus est. Nero enim quum, adepto imperio, curiam ingressus orationem, quam Seneca scripserat, de scripto dixisset, ea Patribus adeo placuit, *ὥςτε καὶ ἐς ἀργυρᾶν στήλην ἐγγραφῆναι καὶ ἐν ταῖς νέαις τῶν ἀεὶ ὑπάτων ἀρχαῖς ἀναγινώσκεσθαι ψηφισθῆναι,* ut utar verbis Xiphilini Libr. LXI. c. 3. ubi vid. Fabricius N. 16.

Sed tamen morem istum a Senatu, Principum adulatore, usurpatum si propius spectamus, non vereor, ne magnopere fallar, si Augustum ipsum Senatui ea in re facem praetulisse dixero. Memoriae enim proditum legimus, Augustum primum instituisse, ut aliorum et quidem veterum scripta tamquam magnae auctoritatis ac fidei documenta et monumenta veritatis recitarentur aut iterum iterumque ab omnibus legerentur. Quid, quod ea ipse praelegere non dubitavit. Id Livius posteris prodiderat Libr. LIX., ut Epitome ostendit, ubi haec: „Q. Metellus censor censuit, ut omnes cogerentur ducere uxores liberorum creandorum caussa. Exstat oratio ejus, quam Augustus Caesar, quum de maritandis ordinibus ageret, velut in haec tempora scriptam in Senatu recitavit.“ Hujus rei et consilii rationem fusius exposuit Suetonius c. 89.: „In evolvendis utriusque linguae auctoribus nihil aeque sectabatur quam praecepta et exempla publice vel privatim salubria: eaque ad verbum excerpta aut ad domesticos aut ad exercituum provinciarumque rectores aut ad Urbis magistratus plerumque mittebat, prout quique monitione indigerent. Etiam libros totos et Senatui recitavit et populo notos per edictum saepe fecit: ut orationes Q. Metelli de prole augenda, et Rutilii de modo aedificiorum: quo magis persuaderet, utramque rem non a se primo animadversam, sed antiquis jam tunc curae fuisse.“[30]) In quo loco Suetoniana scribendi ratio opposita consectans planum facit, Metelli orationem in Senatu recitatam, Rutilii orationem per edictum populo propositam significari. Illud accidisse suspicatur Heineccius in Comment. ad Leg. Jul. Libr. I. c. 3. p. 42. anno U. C. 736. s. 18., quo, teste

29) Tiberii orationes quasdam quotannis recitatas esse, miror, licet ab initio imperii bonum Principem et verbis et factis simulaverit, ac paene adducor, ut Senatum, qui eum suspectum haberet, in hoc decreto idem spectasse credam, quod de prima Caligulae oratione, quam Kalendis Juliis a. U. C. 791. s. p. Chr. 38. ingressus Consulatum habuerat, refert Dio Cass. Libr. LIX. c. 6.

30) Ille *Q. Metellus* fueritne *Macedonicus* an *Numidicus*, controversum est: vid. Dukerus ad Livii Epit. cit. Vol. XII. P. 2. p. 233 sq. Stutg. Ille fuerat Censor a. U. C. 623. s. 131., hic a. U. C. 652. s. 102. Jam A. Gellius N. A. Libr. I. c. 6. narrat, Metellum Numidicum in censura ad populum dixisse de ducendis uxoribus, ejusque orationis fragmentum affert. Id in fraudem induxit Torrentium et Casaubonum ad Sueton. l. c. itemque Fabricium ad Dion. Cass. Libr. LVI. c. 16. N. 21. et in Caes. Aug. Fragm. p. 173. Not. Nam Q. Metellum Macedonicum ut intelligamus, suadet Epitomator Livii, cui hac in re fidem habendam esse, nemo ambiget: quamquam uterque Metellus in censura similis argumenti orationem habuisse existimari potest. Praeterea conferantur Meyerus in Oratt. Rom. Fragm. p. 95. et Drumannus Hist. Rom. Vol. II. p. 20. N. 61. et Vol. III. p. 674. N. 10.

Dione Cass. Libr. LIV. c. 16., Augusto primum referenti ea de re ad Senatum vehementer nec sine conviciis vitae ejus domesticae factis occlamitatum fuerit, eumque demum recitatione illius Metellianae orationis aegre effecisse, ut Senatus consultum prodiret, quod anno post significaverit Horatius Carm. Saecul. v. 17 sqq. At Heineccius, praeterquam quod similem Q. Metelli Numidici orationem falso huc trahit, etiam conjectura sua ne fallatur, admodum vereor. Nam ista alienae orationis recitatio in suadenda apud Senatum lege habet nescio quid non dicam inertiae, sed imbecillitatis, quae minime in Principem, strenuum civitatis rectorem et alacrem suorum consiliorum auctorem et actorem, qualem tum Augustum fuisse novimus, sed in senem invalidum ac multis irritisque legis illius perferendae conatibus defatigatum cadere videatur. Idcirco, conjecturae si locus datur, multo probabilius est, Augustum orationem illam Q. Metelli Macedonici in Senatu recitasse, quum senex septuagenarius legem de maritandis ordinibus postremum suaderet a. U. C. 762. s. p. Chr. 9. Idem fere sentio de Rutilii oratione per edictum populo publicata et commendata, quam pariter ad seniles ejus annos referre non dubito.[31])

§. 5.

Non facile quisquam invenietur qui Augusti diligentiam, cautionem et curam in orationibus publicis usurpatam reprehendat et Principe indignam censeat. Sed erunt fortasse qui cum cavillatione rideant eumque ineptiarum reum agant, ubi traditum legerint apud Suetonium c. 84.: „Sermones quoque cum singulis, atque etiam cum Livia sua, graviores non nisi scriptos et e libello habebat, ne plus minusve loqueretur ex tempore.“ Quibus verbis prolatis profitetur ipse Jo. G. Bergerus in Rhetor. Aug. Specim. I. p. 55 sq.: „Equidem non dubito, fore non paucos, quibus aut mira aut etiam ridicula videatur tanta in scribendo, ubi sermone res confici poterat, Augusti diligentia, quantam fortasse eruditorum pauci, nedum principes, adhibere pari constantia vel velint vel possint. At cum Augustus non deficeretur ad subita extemporali facultate, ut addit Tranquillus, non aliquod naturae vitium prodit hic labor, sed magni singularisque judicii, quo in rebus gerendis uti solitus est ille, circumspectionem, qua providebatur in tanti loci fastigio sapienter, ne quid excideret vel dictum temere vel melius dicendum.“[32])

Mihi, ut ingenue fatear, iste Augusti mos cum praesentibus ex scripto libello agendi deque rebus quamvis magnis et gravibus colloquendi numquam non mirus admodum ac paene ineptus visus est. Si ille, quos cum aliis collaturus erat sermones, eorum potiora momenta et res, ne quae exciderent memoria, veluti calamo meditatus prius quam eloqueretur litteris consignasset, laudarem ejusmodi cautionem ferremque, praesertim in sene, talem linguae memoriaeque diffidentiam adeoque excusarem; sed eumdem, haud mediocris ingenii hominem, ea,

31) De *P. Rutilio Rufo*, qui Consul erat a. U. C. 649. a. 105., copiose egit Ellendtius in Proleg. ad Ciceron. Brut. p. L. sqq. Orationem illam de modo aedificiorum in aedilitate ab eo habitam esse, conjicit Meyerus in Oratt. Rom. Fragm. p. 132. cf. Krausii Vit. et Fragm. Hist. Rom. p. 232. N. 1.

32) Errat autem Vir Doctus, ubi in Rhet. Aug. Spec. II. p. XXXV. ex hoc genere esse opinatur sermonem Augusti cum M. Antonio Cos. a. U. C. 710. s. 44. in hortis Pompejanis habitum, quem ap. Appianum B. C. Libr. III. c. 15. 16. et 17. relatum legimus, et quem Bergerus magna cum laude percenset, quippe ex quo Augusti prudentia maxime in conciliando et perite commovendo atque in sobrio moderatoque dicendi usu cognoscatur. Sed inter omnes hodie convenire arbitror, totum istud Augusti alloquium pariter ac responsum M. Antonii c. 18. 19. et 20. ab Appiano ex re et caussa libere compositum esse et, si quid artis in dicendo sit, id unice deberi scriptoris ingenio et doctrinae. Paulo aliter judicabimus de Augusti cum L. Antonio ad Perusiam sermone, quem idem Appianus B. C. Libr. V. c. 45. profert.

quae commentatus chartis mandata habebat, coram eis, quibuscum ageret, etiam recitasse de scripto, id vero putidum mihi videtur perque ridiculum atque aegre adducar, ut Suetonio credam.[33]) Multo autem minus credibile est existimandum, hujusmodi sermones schedulis fortasse perscriptos ab Augusto domi servatos adeove evulgatos esse, ita ut ad posteritatem pervenerint. Verum tamen huic sententiae quo minus sine ulla dubitatione assensus praebeatur, videtur duorum obstare scriptorum testimonium, apud quos horum sermonum exempla, genuina, ut plurimi autumant, hodieque reperiuntur. Sunt illi scriptores Seneca de Clement. Libr. I. c. 9. et Dio Cassius Libr. LV. c. 14 sqq.

Illorum sermonum occasionem dedisse fertur Cn. Cornelius Cinna Magnus, natus Cornelio Fausto, Sullae filio et Pompeja, Magni Pompeji filia, utqui vitae Augusti insidias struxisset. Hujus conjurationis indicium, auctore Seneca, delatum est ad Augustum, quum annum quadragesimum transisset et in Gallia moraretur. Cogitandum autem est de illa expeditione, quam ille, audita M. Lollii clade excitus Urbe, in Galliam fecit extremo anno U. C. 738. s. 16. In ea terra ad res cum Germaniae tum Hispaniae simul constituendas per proximum biennium commoratus mense demum Martio a. U. C. 741. s. 13. in Urbem rediit.[34]) Atqui mense Septembri superioris anni Augustus expleverat aetatis annum quadragesimum nonum, jam ingressus quinquagesimum. Itaque Seneca nimis indefinite dicit annum quadragesimum tum ab eo jam transitum fuisse. Sed fortasse locus corruptus est et numerus „*nonum*" antecedentium similitudine litterarum absorptus excidit. Ambiguum etiam est, fueritne conjuratio in Gallia, an Romae inita, ejusque tantummodo indicium ab Urbe in Galliam allatum? Nam, ut Seneca scribit §. 2., „dictum est et ubi et quando et quemadmodum aggredi vellet: unus e consciis deferebat." Jam vero Seneca facit Augustum, compertis vitae suae insidiis, cogitantem de convocando amicorum consilio et, damnaretne Cinnam, adolescentem nobilem, Cn. Pompeji nepotem, secum reputantem, et fingit Principem nocte inquieta gementem et varias et inter se contrarias voces emittentem has: „*Quid ergo? ego percussorem mecum securum ambulare patiar, me sollicito? Ergo non dabit poenas, qui tot civilibus bellis frustra petitum caput, tot navalibus, tot pedestribus proeliis incolume, postquam terra marique pax parta est, non occidere constituit, sed immolare?*" Nam sacrificantem placuerat adoriri. Rursus, silentio interposito, majore multo voce, sibi quam Cinnae irascebatur. „*Quid vivis, si perire te tam multorum interest? quis finis erit suppliciorum? quis sanguinis? Ego sum nobilibus adolescentulis expositum caput, in quod mucrones acuant. Non est tanti vita, si, ut ego non peream, tam multa perdenda*

33) Vehementer, meo quidem judicio, falluntur qui, praeeunte Lipsio ad Taciti Ann. Libr. IV. c. 39. opinantur, istius moris repertorem fuisse Julium Caesarem, de quo Plutarchus c. 17. haec memoriae prodiderit: *λέγεται δὲ καὶ τὸ διὰ γραμμάτων τοῖς φίλοις ὁμιλεῖν Καίσαρα πρῶτον μηχανήσασθαι, τὴν κατὰ πρόσωπον ἔντευξιν ὑπὲρ τῶν ἐπειγόντων τοῦ καιροῦ διά τε πλῆθος ἀσχολιῶν καὶ τῆς πόλεως τὸ μέγεθος μὴ περιμένοντος.* Quo in loco, si quid judico, sermo tantum est de familiaribus in ipsa Urbe passim habitantibus, minime de amicis domesticis sive in suo ipsius conclavi praesentibus. Cum illis, si qua res urgeret, eam per litteras communicare instituit Julius Caesar, cum negotiorum multitudine, tum Urbis amplitudine impeditus, quo minus coram cum eis ageret. Rationem hujus instituti ex publica Romanorum vita repetendam esse bene perspexit Bredovius in Vers. vern. Plutarchi Vit. Jul. Caes. (Bresl. et Lips. 1814.) p. 305. Haec autem rerum citius expediendarum ratio, agili et prompto, quo ille eminebat, ingenio conveniens quantum abhorreat ab Augusti more, planum est et Lipsius temere contulit Sueton. Aug. c. 84.

34) Conferatur Dio Cass. Libr. LIV. c. 20. 21. et 25. Massonus in Vit. Horat. ad a. U. C. 738. §. 2. p. 325 sq. Augustum in Galliam profectum esse probare studet post ludos Actiacos d. 2. Septembris actos. Adde Janii Argum. ad Horat. Libr. IV. Od. 2.

17*

sunt." Interpellavit tandem illum Livia uxor et, „*Admittis*", inquit, „*muliebre consilium?*[35] *Fac quod medici solent: qui ubi usitata remedia non procedunt, tentant contraria. Severitate nihil adhuc profecisti: Salvidienum Lepidus secutus est, Lepidum Murena, Murenam Caepio, Caepionem Egnatius, ut alios taceam, quos tantum ausos pudet: nunc tenta, quomodo tibi cedat clementia. Ignosce L. Cinnae: deprehensus est: jam nocere tibi non potest, prodesse famae tuae potest.*"

Cuivis haec legenti ac sobrie pensitanti dubium esse nequit, quin hujus rei scenam Philosophus excogitaverit totam, ut satis bella hac Augusti, ab initio irascentis sed uxori clementiam suadenti confestim obsequentis, imagine suum librum exornaret ac Neroni hanc ipsam virtutem redderet amabilem et exemplo domestico illo fortius commendaret. Pergit enim Seneca: „„Gavisus, sibi quod advocatum invenerat, uxori quidem gratias egit: renuntiari autem extemplo amicis, quos in consilium rogaverat, imperavit, et Cinnam unum ad se arcessit; dimissisque omnibus e cubiculo, quum alteram Cinnae poni cathedram jussisset, „*Hoc,*" inquit, „*primum a te peto, ne me loquentem interpelles, ne medio sermone meo proclames: dabitur tibi loquendi liberum tempus. Ego te, Cinna, quum in hostium castris invenissem, non factum tantum mihi inimicum, sed natum servavi, patrimonium tibi omne concessi. Hodie tam felix es et tam dives, ut victo victores invideant. Sacerdotium tibi petenti, praeteritis compluribus, quorum parentes mecum militaverant, dedi. Quum sic de te meruerim, occidere me constituisti.*" Quum ad hanc vocem exclamasset, procul hanc ab se abesse dementiam: „*Non praestas,*" inquit, „*fidem, Cinna: convenerat, ne interloquereris. Occidere, inquam, me paras.*" Adjecit locum, socios, diem, ordinem insidiarum, cui commissum esset ferrum. Et quum defixum videret, nec ex conventione jam, sed ex conscientia tacentem: „*Quo,*" inquit, „*hoc animo facis? Ut ipse sis Princeps? male mehercule cum populo Romano agitur, si tibi ad imperium nihil praeter me obstat. Domum tueri tuam non potes. Nuper libertini hominis gratia in privato judicio superatus es. Adeo nihil facilius potes quam contra Caesarem advocare? Cedo, si spes tuas solus impedio, Paullusne te et Fabius Maximus et Cossi et Servilii ferent, tantumque agmen nobilium, non inania nomina praeferentium, sed eorum qui imaginibus suis decori sunt?*" Ne totam ejus orationem repetendo magnam partem voluminis occupem: diutius enim quam duabus horis locutum esse constat, quum hanc poenam, qua sola erat contentus futurus, extenderet: „*Vitam tibi,*" inquit, „*Cinna, iterum do, prius hosti, nunc insidiatori ac parricidae. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat: contendamus, utrum ego meliore fide vitam tibi dederim, an tu debeas.*" Post haec detulit ultro Consulatum, questus, quod non auderet petere: amicissimum fidelissimumque habuit: haeres solus fuit illi: nullis amplius insidiis ab ullo petitus est.""

---

35) Teste Seneca Augusti in expeditione ista Gallica comes fuerat Livia. Liberae reipublicae temporibus usu et consuetudine vetitum erat, ne quem sive in provinciam sive in bellum proficiscentem uxor comitaretur: cf. Heineccii Antiq. Jurisp. Rom. Append. Libr. I. c. 4. §. 118. p. 323. Invaluit iste mos Augusti demum aetate, ut monuit Sigonius de antiq. jur. Provinc. Libr. II. c. 2. Tom. II. p. 169 sq. coll. Lipsio ad Tacit. Ann. Libr. III. c. 33. In Augusto mireris talem disciplinae antiquae neglectionem, quippe qui ne legatorum quidem cuiquam, nisi gravate hibernisque demum mensibus, permisit uxorem intervisere, teste Suetonio c. 24. Sed Agrippa quoque in Asiam secum duxerat Juliam uxorem, uti relatum invenimus a Nicolao Damasc. de Vit. sua p. 8. ed. Or.

extendit, operaeque imitatricis vestigia manifesta illi ἐπιδείξει impressa comparent.[37]) Verum enim vero reputanti mihi commune omnium aliorum scriptorum ac monumentorum silentium paene certum exploratumque est, omnem Cinnanae illius conjurationis fidem unice redire ad Senecam, quo solo auctore ac teste steterit Dio Cassius. Atqui Senecae quoque testimonium habet quod nos suspensos dubiosque reddat. Permirum enim est quod Cinnae funestum istud Augusti interimendi consilium neque a Velleja Paterculo Libr. II. c. 91. §. 2., nedum a Suetonio c. 19., cujus praecipue hac in caussa testimonii dictio est, memoratur. Ille admodum dubito num de eo taciturus fuisset, si tam uberem materiem laudandi Augusti clementiam vere habuisset; hic in enumerandis conjurationibus, quibus illius vita petita est, diligentissimus tantum abest, ut ejus mentionem faciat, ut contra narret, quae adversa fronte Senecae repugnent. Haec enim apud eum scripta legimus: „Tumultus post haec et rerum novarum initia conjurationesque complures, priusquam invalescerent, indicio detectas compressit alias alio tempore: Lepidi juvenis, deinde Varronis Murenae, et Fannii Caepionis, mox M. Egnatii, exin Plautii Rufi Luciique Pauli, progeneri sui.“ Ordinem chronologicum in his a Suetonio observatum esse, cum aliunde constat, tum maxime clarum testatumque est verbis Senecae l. c. §. 5., qui non est dubium quin vv. „ut alios taceam, quos tantum ausos pudet,“ mente habuerit et significaverit nominatos illos a Suetonio, Rufum et Paulum. Cinna autem cum a Seneca §. 9. omnium postremus Augusti insidiator perspicue perhibeatur, necesse est statuamus, conjurationes Rufi et Pauli accidisse ante a. U. C. 739/40. s. 15/14. Atqui priorem illum, Rufum, hominem aliunde non cognitum,[38]) ut silentio transeam, haud levem scrupulum ac dubitationem injicit mentio L. Pauli, qui cum in matrimonio habuisset Juliam, Augusti neptem, hujus progener a Suetonio appellatur. Hic L. Aemilius Paulus Consul erat cum Augusti nepote et filio, C. Caesare, a. U. C. 754. s. p. Chr. 1. Jam cum pro certo sumi possit, illum Paulum non conjurasse contra Augustum nisi post Consulatum aliquapiam caussa Principi infensum, consequens est, ut Senecam, Cinnae insidias omnium postremas dicentem, aut memoria lapsum esse existimemus, aut, si quid veri subest, inde colligamus, eam conjurationem, utpote minus periculosam famigeratamque, Suetonio visam esse indignam, quae posteris proderetur. In tam dubia ac controversa fide et auctoritate Senecae non multum abest quin, quod iste Cinna habuisse perhibetur occidendi Augusti consilium, plane in dubium revocemus et probabili conjectura ducti pro certo ponamus, a Philosopho obscuram quamdam rei famam amplexante, quidquid est istius conjurationis, id pro libri sui consilio libere perque scite depictum esse et bona fide ad Neronem perscriptum.

His expositis, liquidius jam judicari licet de illo Augusti cum Cinna sermone, cujus particulam a Seneca prolatam reperimus. Eam quoque si dixero suam originem unice debere ingenio

---

37) Nam, ut hoc utar, qua usa est Livia ap. Senecam comparatione a medicis petita, eamdem reperimus a Dione c. 17. prolatam. Caetera omitto. Quod Seneca commentus est Liviae colloquium cum Augusto haud inscite excogitatum esse dices, sed minime eorum verba reddit: unde enim ei innotuisse putabis vel Augusti dormientis suspiria et gemitus vel Liviae juxta cubantis solatia et monitus? Insigniter autem ineptit Dio Cassius producens Liviam veluti praemeditato alloquio utentem et conjugis trepidationi consulentem. Fabricius ex Dione Cassio Liviae colloquium Graece et Latine, ejusque suasionem clementiae Latine posuit in Caes. Aug. Fragm. p. 175—183. Ego chartae parcendum esse existimavi.

38) Dio Cassius Libr. LV. c. 27. commemorat P. Rufum quemdam νεωτεροποιΐας insimulatum a. U. C. 759. s. p. Chr. 6., quem Fabricius N. 216. putat esse illum Plautium Rufum ap. Suetonium, apud quem sane praenomen *Rufi* in Codd. varie exaratum reperitur: cf. Oudendorp. ad h. l. Sed illi conjecturae refragatur ordo, quo a Suetonio conjurationes relatas esse monui.

Senecae, non vereor, ne in judicando ruisse arguar. Haud paucos quidem fore auguror, qui Suetonii narratione freti veri simile censeant, ab Augusto illum quoque sermonem uti praevia meditatione chartis mandatum, ita fortassis etiam domi in tabulino quodam repositum servatumque fuisse. Quid, quod forsitan futuri sint, qui huc pertinere opinentur illud sacrarium, ex quo veteres quosdam Augusti codicillos de Tiberio prolatos a Livia esse, auctor est Suetonius Tib. c. 51., et qui inde concludant, illud sacrarium, in quo aliae quoque cujuscumque pretii chartae et Augusti et successorum conditae jacuerint, sub Nerone patuisse etiam Senecae, ita ut ipsa Augusti *αὐτόγραφα* oculis usurpare potuerit: proinde a vero non abhorrere, ipsius Augusti verba propria et genuina nobis a Seneca reddita esse. Verum ab hac opinione meam assensionem cohibet primum ipse Seneca, quem, si vere usus fuisset chirographo illius sermonis, non puto scripturum fuisse §. 9.: „diutius enim quam duabus horis locutum esse constat:“ quibus verbis velut inscius et imprudens ipse confitetur, sibi rem fando tantum innotuisse neque se ex scripti, quod praesto sit, ratione et ambitu id judicare. Deinde quae tamquam Augusti verba ex illo sermone transscripta apud Senecam leguntur, ea, nisi meus me fallit sensus, tantum abest, ut diversum a reliquo narrationis tenore ingenium spirent ac nativam illam, quae de Augusto praedicatur, in scribendo *ἀφέλειαν* exprimant, ut unam ac velut uniformem faciem per omnes scriptionis partes diffusam habentia quaesitas illas Senecae subtilitates, sententiarum argutias verborumque acumina et pigmenta redoleant. Denique numquam ab animo meo impetrabo, ut Augustum, quamvis amantem suorum scriptorum, hujuscemodi sermonum chartas putida quadam cum cura servasse credam easque hac ratione ad imperii successores propagandas curasse. Sacrarium autem illud, cujus meminit Suetonius, inepte huc trahitur: erat, ut bene Casaubonus adnotavit, locus Divo Augusto domi consecratus, ubi ejus imago habebatur et a Livia, ipsius quondam uxore, tum sacerdote, colebatur. Ibidem veri simillimum est, ab uxore codicillos Augusti de rebus domesticis ad se scriptos tamquam pretiosissima *κειμήλια* conservatos esse, non item sermones istos cum aliis habitos, quos ut concedam gravissimi nonnumquam fuisse argumenti et, dum vivebat Augustus, quantivis pretii, tamen, eo mortuo, neque Liviae, nedum successoribus quidquam utilitatis praebere poterat ejusmodi chartarum ineptarum farrago.

Jam eorum, quae hactenus disputavimus, summam ubi fecerimus, id certe nobis videmur effecisse et ad liquidum perduxisse, ut Suetonio quidem, ubi hujusmodi sermonum *ὑπογραφάς*, quas supra jam significavimus, tantummodo intellexerimus, justa et integra fides tribui queat, sed ut, rerum ac temporum momentis in utramque partem rite expensis, existimemus, Augusti et Liviae sermones cum Cinna deque ejus conjuratione habitos, quos apud Senecam ac Dionem Cassium hodieque legimus, meras esse ingenii rhetorici ostentationes i. e. *λόγους ἐπιδεικτικούς*, similes tantum veritati, non veros ac genuinos.

EXCURSUS I.

DE

LOCO SUETONII AUG. C. 86.

Quae Suetonius c. 86. de Augusti elocutione litteris prodidit, ea non tantum ad dicendi, sed etiam ad scribendi rationem ejus et artem spectare, totius loci contextus planissime docet, ut contra Wolfium recte admonuit BCrusius. Quod igitur Principi illi tribuitur a Suetonio eloquendi genus *elegans*, idem designat Macrobius Sat. Libr. II. c. 4. commemorans ejus „*castigationem loquendi, quam alias ille scribendo servabat.*“ Intelligenda autem hic est ea elegantia, quae facit, ut unumquodque pure et aperte dici videatur, ut ait Rhet. ad Herenn. Libr. IV. c. 12. Quod autem sit *temperatum* eloquendi genus, ubi de orationibus cogitatur, intelligi potest ex Ciceron. de Orat. Libr. II. c. 53. §. 212., quocum loco conferatur ejusd. Orat. c. 27. §. 95. ibiq. Goeller. et de Offic. Libr. I. c. 1. §. 3., ubi Marcum filium hortatur, ut ad colendum hoc aequabile et temperatum orationis genus non solum orationes suas, sed etiam de philosophia libros studiose legat. Temperatum illud loquendi genus in scriptis etiam Augusti plerisque expressum comparuisse, cum indoli ejus animoque consentaneum erat, tum hodieque ex paucis, quae supersunt, scriptorum Fragmentis intelligitur.

In seqq. vv. *vitatis sententiarum ineptiis et concinnitate* Fabricius in Caes. Aug. Fragm. p. 152. alique habent *inconcinnitate*, quae vulgata est lectio, jam pridem tamen rejecta ab Ernestio et Oudendorpio, qui haud injuria, „Nam quis“, inquit, „scriptor vel orator inconcinnitatem non vitet?“ De Codicum prope omnium lectione *concinnitate*, probata etiam Ruhnkenio in Scholiis ad Sueton. p. 195., dubitari posse negat Wolfius, eamdemque recte tuitus est Paldamus contra BCrusium, qui vulgatam reduxerat, opinatus, temperatum eloquendi genus esse, quod sit inter rusticam inconcinnitatem et nimiam affectationem. Sed *concinnitas* ap. Rhetores est vel sententiarum vel verborum et partim in laude partim in vitio ponitur: cf. Cicer. Brut. c. 83. §. 287. et c. 95. §. 325. Suetonius eam h. l., ut adjuncta docent, posuit deteriore significatu, neque est quod cum Bremio ἓν διὰ δυοῖν agnoscamus. Grammaticus enim ille non tantum de venustulo et nimis exquisito sententiarum ornatu et affectatis per morosam et anxiam curam ineptiis eam vult acceptam esse, sed etiam de verbis eorumque constructione et collocatione. Collocata autem verba habent, judice Cicerone Or. c. 24. §. 81., ornatum, si aliquid concinnitatis efficiunt, quod verbis mutatis non maneat, manente sententia. Hic sermo potissimum est de vitiosa verborum concinnitate. Qui enim de industria hoc agit, ut verba verbis quasi demensa et paria respondeant, ut crebro conferantur pugnantia, comparentur contraria, ut pariter extrema terminentur, eumdemque in cadendo sonum referant (Gr. *παρισώσεις, ὁμοιοτέλευτα, ἀντίθετα, παρομοιώσεις*), is, si quidem in eo genere orationis versatur, quod has ornandi argutias nec desiderat nec fert, in concinnitatis vitium incurrit, ut docte et subtiliter scripsit Jo. Chr. Theoph. Ernestius in Lex. Technol. Lat. p. 77. coll. Cicer. Or. c. 25. §. 84. et c. 19. §. 65. Hanc igitur elaboratam et ad aurium voluptatem verborum quodam aucupio unice quaesitam concinnitatem vitavit Augustus; inconcinnitatem si vitabat, nihil fecisset, quod dignum notatu esset; imo ridiculum fuisset id notari in Principe, institutionis tam liberalis alumno, ut scite monuit Paldamus.

Sententiarum ineptiis et quae cum eis conjuncta esset, vitiosae verborum concinnitati Suetonius adjungit aliud in verbis deligendis vitium, specialius istud ac diversi per se generis, sed elegantiae pariter inimicum. Augustus a teneris domi assuetus naturali orationis pulchritudine, tamquam prudens et callidus sermonis Latini existimator, improbavit etiam *τῶν φιλαρχαίων* studium, quod apud aequales suos tum latius, quam ex scriptis, quae residua sunt, monumentis cognitum habeamus, in eloquentia quoque diffusum fuisse et dissipatum, vel ea comprobant, quae de Horatii Obtrectatoribus scripsimus in Poet. Lat. Reliq. p. 270 sqq. His cascae antiquitatis laudatoribus et imitatoribus, quos Augustus, ut videtur, primus cum aliquo aculeo *Antiquarios* [1]) vocitabat,

---

1) *Antiquarii* nomen ap. scriptores ante Augusti aetatem non obvium frequentatur a serioribus: v. Lexic. — Auct. Dial. de Oratt. c. 21. §. 5.: „Sordes autem illae verborum et hians compositio et inconditi sensus redolent antiquitatem: nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Caelium ex ea parte laudet, qua antiquus est:“ cl. c. 42. §. 2. Ejusdem *κόμματος* est vox *munerarii*, quam ab eo fictam et in usum invectam esse prodit Quintilianus Inst. Or. Libr. VIII. c. 3. §. 34., ut exprimeret *ἀγωνοθέτην*, muneratorem, qui munera i. e. gladiatorum spectacula edit.

βοεχεῖς cincinnos, in Epistolis nonnumquam irrideret et exagitaret, ut refert Macrobius Sat. Libr. II. c. 4. Idem *κακοζηλίας* vitium simulque antiquitatis nimium studium Tiberii, quem Suetonius Tib. c. 70. insuper affectatione et morositate nimia obscurasse stylum dicit, magnopere offendit Augustum, qui Triumvir adhuc M. Antonium collegam, generis Asiatici sectatorem, tamquam insanum increpare solitus esset quasi ea scribentem, quae mirentur potius homines, quam intelligant.

EXCURSUS II.

DE

LOCO TACITI ANN. LIBR. XIII. C. 3.

Augusti exemplum recitandi omnia de scripto, uti pleraque alia ab eo instituta, secuti sunt Principes ad nostrum usque tempus; sed notabile est, eos jam post Claudium coepisse alieno stylo indigere, ut scribit Wolfius in Proleg. ad Cicer. pro Marc. p. XX. N. *i.* Nam laudationem Claudii, die funeris a Nerone, ejus successore habitam, exaraverat Seneca, teste Tacito Ann. Libr. XIII. c. 3.: „Annotabant seniores, quibus otiosum est vetera et praesentia contendere, primum ex iis, qui rerum potiti essent, Neronem alienae facundiae eguisse.“ In quo loco non sine caussa a Tacito commemorantur tantummodo, qui rerum potiti essent i. e. Imperatores. Eum enim minime latebat, jam reipublicae temporibus fuisse, qui in scribendis orationibus aliorum operam et doctrinam adhibuissent adeoque totas conciones a claro quodam suae aetatis oratore exaratas perorassent. Sic, auctore Cicerone Brut. c. 26. §. 100., C. Fannius Strabo Cos. a. U. C. 632. s. 122. orationem de sociis et nomine Latino contra C. Gracchum reliquerat, quam nonnulli dicebant a C. Persio scriptam esse, ipsumque C. Gracchum in concionibus suis a Menelao Maratheno, rhetore Graeco suoque dicendi magistro, adjutum fuisse incertus rumor ferebat. Memoratu dignus est eo nomine L. Aelius Stilo Praeconinus, de quo vid. H. Meyerus ad Cic. Brut. c. 26. §. 101. Is velut alter Isocrates multis, ut L. Cottae, Q. Metello F., Q. Caepioni et Q. Pompejo Rufo orationes scriptitavit, orator ipse nec studuit esse umquam nec fuit, ut ait Cicero Brut. c. 56. §. 205 sq. Quin etiam Cn. Pompejus M., quem dicendi gravitate et copia valuisse novimus, non dubitavit nonnumquam confugere ad Ciceronem, ut subindicat Quintilianus Inst. Or. Libr. III. c. 8. §. 50.: „Nam sunt multae a Graecis Latinisque compositae orationes, quibus alii uterentur, ad quorum conditionem vitamque aptanda, quae dicebantur, fuerunt. An eodem modo cogitavit, aut eamdem personam induit Cicero, cum scriberet Cn. Pompejo, et cum T. Ampio ceterisve; ac non uniuscujusque eorum fortunam, dignitatem, res gestas intuitus omnium, quibus vocem dabat, etiam imaginem expressit? ut melius quidem, sed tamen ipsi dicere viderentur:“ ubi orationes non tam ex genere judiciali quam ex demonstrativo intelligi oportere, acute adnotat Spaldingius. Quam usitatum autem fuerit aliena facundia uti et quam parum dedecoris concionanti attulerit, colligi licet ex eis, quae de M. Bruti concione ad Atticum scripsit Cicero Libr. XIV. Ep. 20. §. 3. Nusquam hujuscemodi quidquam proditum legimus de Augusto: is ne tum quidem, quum admodum juvenis, fori adhuc et concionalis plebeculae expers, a vitrico et leviro a. U. C. 710. s. 44. ad Ciceronem deductus fuisset, hujus Consularis opera et judicio usus esse traditur in concionibus, quibus M. Antonium Cos. criminari apud populum frequenter soleret. Id enim si factum fuisset, noli dubitare quin Consularis ille senex in epistolis ad Atticum suam operam potenti illi juveni praestitam jactantius commemoraturus fuisset. Sed res etiam per se nullam habet probabilitatem. Augustum ignoret necesse est, qui credat, eum se ita illius ingenio animoque emancipasse, ut, quas habiturus esset sua potissimum caussa apud populum conciones, judicio illius, quem simulate tantum ad tempus observaret, ante subjectas exploratasque de scripto recitaret. Accedebat, quod suapte ipse natura et multum et libenter scribebat: quo non tam refero, quod, ut refert Suetonius c. 79., eo ipso tempore, quo tonsoribus operam daret, aut legeret aliquid aut scriberet, quam quod de se suisque rebus ut plurima cum aequalibus innotescerent tum posteris sua ipsius manu scripta proderentur, singulari cura et opera elaborabat. Suas autem orationes, quas Triumvir sive in curia sive pro Rostris de gravioribus praesertim rebus habiturus esset, dubitari nequit quin amicis suis, Maecenati et Agrippae, aut philosophis, familiaribus suis, recognoscendas dederit, utqui vel provectior aetate sua cum suis omnia, quae composuerat, communicare eisque praelegere soleret, adnotante Suetonio c. 85. Augustus igitur nusquam nec quisquam ex stirpe ejus successorum alienae facundiae eguit, nisi Nero omnium primus, quem et in Senatu et in Praetorianorum castris ea quae a Seneca scripta essent recitasse, copiose ostendit Reimarus ad Xiphilini Libr. LXI. c. 3. N. 14.

LIBER QUARTUS
DE
CAESARIS AUGUSTI
EPISTOLIS, CODICILLIS ET LIBELLIS.

---

§. 1.

Epistolarum a Caesare Augusto scriptarum Fragmenta, quae hodieque supersunt, non contemnenda illa et numero et ambitu caeteris insigniora, pretiosissima sunt nobis ac luculentissima documenta, in quae intuentes pereruditum Principis illius ingenium exactius cognoscere et interiores animi sensus penitius perspicere possumus. Quae enim nobis forte fortuna servatae sunt Epistolarum reliquiae, maximam partem depromptae sunt ex numero earum, quas ad suos ille vel ad amicos dedit mira et jucunda affectuum varietate plenas. Nihilo tamen secius in his quoque quamvis cito saepe et fugitivo exaratis stylo et plerumque familiari sermone contextis easdem deprehendimus virtutes, quas universe in ejus eloquendi genere, duce Suetonio c. 86., exposuimus Libr. III. §. 1. Vere enim Gellius N. A. Libr. XV. c. 7. §. 3. Augusto, epistolarum potissimum habita ratione, adscribit „elegantiam orationis neque morosam neque anxiam, sed facilem hercle et simplicem." Ex hoc loco Gelliano simul discimus, illius epistolas videri singularibus voluminibus collectas fuisse et evulgatas in omnium manus venisse. Gellius enim memorat „*Librum Epistolarum Divi Augusti, quas ad Gajum nepotem scripsit*," et inde exemplum profert. Miranti fortasse cuipiam, quod inter scripta ejus, quae Suetonius c. 85. recenset, nulla facta sit mentio Epistolarum ejus, non tam cum Torrentio respondebo, quod illae omnibus notae essent, quam quia *Epistolas* ab eo et scriptas fuisse et scribi debuisse aeque per se intelligebatur ac *Decreta* et *Edicta* ab eo emissa esse, quae non magis a Suetonio commemorantur. Sed ut verum sit quod Gellius de epistolis ad Gajum in unum librum collectis narrat, tamen vehementer dubito num, aut vivo eo aut mortuo, umquam Sylloge Epistolarum ejus a quopiam fuerit instituta. Suetonius certe non nisi singularum autographis epistolarum videtur usus esse. [1]) Atque, rem propius si spectamus, ipsius Augusti plurimum intererat, ut,

---

1) Suetonio, Augusti vitam scribenti, prae manibus fuisse autographas ejus epistolas, certo scimus ex c. 71. et 87. Fuerunt autem omnes illae familiares, procul dubio ab eis, ad quos datae fuerant, velut res pretiosae diu servatae et vel hereditate vel emptione ad posteros et harum rerum vetustate singularium amatores propagatae: unde scriptoribus earum in-

quas primis vitae publicae annis per varia rerum temporumque discrimina scripserat, epistolae ne umquam publicarentur, nedum ad posteritatem servatae propagarentur. Sic mihi, ut hoc utar, persuasum est, ipsum vetuisse et quanta fieri posset maxima cum cura providisse, ne epistolarum ad Ciceronem per an. U. C. 710/11. crebro scriptarum aliqua in posterorum notitiam perveniret. Earum enim quin ipsum serius vehementer puduerit et piguerit, non est dubium. Hinc factum esse suspicor, ut ne tenue quidem earum vestigium apud ullum scriptorem vel Grammaticum deprehendatur.[2] Alia autem ratio fuit et sors epistolarum familiarium, quibus ipse videtur plurimum tribuisse. Qua de caussa non incredibile est, epistolas ad C. Caesarem nepotem natu majorem, cujus morte, amisso paulo ante ejus fratre, maxime perculsum eum fuisse veri simillimum est, ab ipso collectas et uno libro evulgatas esse, quibus publice testatiorem faceret suum in nepotes, quos sinistra Fortuna eripuerat, amorem eorumque immaturam mortem aliquo scriptorum monumento lugeret. Scimus enim tali modo quam studiose Manes suorum coluerit et inde infortunii sui solatium quoddam quaerere solitus sit. Quidquid tamen ejus rei est, certe non habemus, cur Gellio hac in re fidem derogemus.

§. 2.

In scriptione epistolarum familiarium Augustus cum alia sectabatur ipsi propria et minime usitata aliis, tum maxime, ut vel nobis *αὐτόπταις* hodieque in fragmentis observatu obvium est, Graeca Latinis immiscere consueverat et in Graecorum versuum et proverbiorum usu sibi mirifice placebat. Erat haec consuetudo non unius Augusti, ut Ciceronis exemplo constat; sed ut quisque tum videri volebat eruditissimus, ita Graecae etiam linguae scientiam quantamcumque ostentare et in sermone vulgari vel animi caussa venditare solebat.[3] Neque Augustus quamvis elegantiae studiosus, veritus est, ne hac sibi sumpta licentia patrium sermonem inquinaret, utpote alienus a morosa ista et putida dictionis purae cura, quam Tiberius nimio fastidio affectasse traditur a Suetonio Tib. c. 71.

Praeterea in epistolis alia inerant, quae jam veteres scriptores notatu digna haberent litterisque proderent. Sic Suetonius c. 87.: „Quotidiano, inquit, sermone quaedam frequentius

---

spiciendarum et consulendarum potestas facta est. Plinii aetate exstabant autographa clarorum virorum multo antiquiora: „ita sunt," inquit N. H. Libr. XIII. c. 12. §. 83., „longinqua monumenta Tiberii Gajique Gracchorum manus, quae apud Pomponium Secundum vatem civemque clarissimum vidi annos fere post CC.; jam vero Ciceronis ac Divi Augusti Virgiliique saepenumero videmus." Nec dubitari potest quin Plinius ex Augusti autographis litteris hauserit N. H. Libr. XVIII. c. 15. §. 139.: „Quippe per ervum Divum Augustum curatum, epistolis ipsius memoria exstat;" et N. H. Libr. XXI. c. 3. §. 6.: „Apud nos exemplum licentiae hujus non est aliud quam filia Divi Augusti, cujus luxuria noctibus coronatum Marsyam, litterae illius Dei gemunt." Perperam autem Fabricius in Caes. Aug. Fragm. p. 161. huc refert N. H. Libr. IX. c. 5. §. 9. et Libr. XVIII. c. 10. §. 94.

2) Ciceronis ad Augustum epistolas tribus saltem libris collectas evulgatasque fuisse, testimonio sunt reliquiae, quas edidit Orellius Cicer. Opp. Vol. IV. P. 2. p. 463 sqq. Quas autem Augustus ad Consularem illum, itemque per Triumviratus decennium ad Diversos dederit epistolas, earum, si familiares litteras ad M. Antonium, levirum suum, exceperis, nihil nobis relictum esse quis est qui fortuito casui tribuat aut temporis injuriae imputet? His autem deletis nemo non fatebitur ingentem nos fecisse jacturam. Quantum lucis illae allaturae essent regni, quod ille condidit communivitque, et originibus et progressibus pernoscendis!

3) Ex ista consuetudine ductum est illud praeceptum C. Julii Victoris rhetoris c. XXVII. de Epistolis p. 267. Or.: „Graeca aliquid addere litteris suave est, si id neque intempestive neque crebro facias: et proverbio uti non ignoto percommodum est et versiculo aut parte versus." Ad Augusti morem, de quo loquimur, spectant etiam quae relata legimus ap. Gellium N. A. Libr. X. c. 11. et Macrob. Sat. Libr. VI. c. 3.

Prisciani Libr. I. c. 6. §. 31. Sed haec Grammaticorum doctrina et auctoritas quam inanis sit et ambigua, satis demonstravit Schneiderus in Gr. Lat. P. I. 1. p. 375 sqq. Quare praestiterit hic in Codd. et Editt. veterum consensu acquiescere.

Porro Suetonius ex epistolis Augusti autographis haec enotavit: „Item *simus* pro sumus et *domos* genitivo casu singulari pro domus. Nec umquam aliter haec duo, ne quis mendam magis quam consuetudinem putet.“ Postrema haec Grammaticus prudenter adjecit, quo citius cuivis suspicioni lectorum de Accusativo Num. Pl. cogitantium occurreret. Accedit consensus Marii Victorini de A. Gr. Libr. I. p. 2456. P. et in Gaisfordi Scriptt. Lat. R. Metr. p. 8.: „Divus Augustus genitivo casu *hujus domos meae* per *o*, non ut nos per *u* litteram scripsit. Messala, Brutus, Agrippa pro sumus, *simus*.“ Jam quod attinet formam *simus* pro sumus, ex Mario Victorino discimus, Augustum cum aliis viris litteratissimis eam habuisse communem. Rem ipsam ortam esse ex vocalium *i* et *u* sono nunc exiliori nunc pinguiori, quem scribendo exprimere studerent, inter homines eruditos convenit. Magnae auctoritatis exemplum ea in re praeiverat Augusti avunculus magnus, de quo Quintilianus Inst. Or. Libr. I. c. 7. §. 21.: „Etiam *optimus, maximus*, ut mediam *i* litteram, quae veteribus *u* fuerat, acciperent, C. primum Caesaris inscriptione traditur factum.“ Nam hoc in loco C. Julium Caesarem Dictatorem intelligendum esse, minime, ut Burmannus, Spaldingius et Reisigius statuerunt, C. Caesarem Caligulam, hodie inter viros doctos, quos nominant H. Meyerus ad Quintil. l. c. Vol. I. p. 123. et Haasius ad Reisigii Praelectt. de L. L. §. 48. N. 34., certum est. Pertinet huc etiam Velius Longus de Orth. p. 2228. P.: „Antiquis varie scriptitatum est, mancupium, aucupium, manubiae, si quidem C. Caesar per *i* scripsit, ut apparet ex titulis ipsius; at Augustus *i* per *u*, ut testes sunt ejus inscriptiones.“ Quod de Augusto habet Grammaticus, refellitur quodammodo Reliquiis Monumenti Ancyrani, si qua ei hac in re fides est et auctoritas. Nam, licet Tab. III. a dextr. v. 20. legatur *clupei*, tamen constanter ibi exaratum est *ex manibiis* Tab. III. a laev. v. 8. et 17. et Tab. I. a dextr. v. 24.: quod non ausim fabrilibus artificum erroribus adnumerare. Conferantur Seyfertus Gr. Lat. P. 1. §. 93. p. 61 sqq. et Schneiderus Gr. Lat. P. I. 1. p. 18 sqq. Multo difficilior est quaestio de caussa, qua ductus Augustus, affirmante Suetonio, in epistolarum sermone Genitivum *domus* seu *domi* numquam aliter quam *domos* extulerit. Dukerus ad Livii Libr. III. c. 28. §. 11. et Burmannus ad Suet. arbitrantur, Augustum hac in re secutum esse antiquorum morem, qui in extremis, mediis et primis vocabulorum syllabis *o* pro *u* et pronuntiarent et scriberent. Iste tamen mos, de quo Seyfertus Gr. Lat. P. I. §. 105. p. 68 sqq. et Schneiderus Gr. Lat. P. II. 1. p. 58 sq. fusius exposuerunt, certis quibusdam legibus adstrictus erat. Sic addubito, num illa vocalium permutatio locum habuerit, ubi syllaba *us* ob contractionem producenda fuerit. Certe non memini me legere exemplum hujus generis, cujusmodi ex illorum opinione esset *domos* ex *domuis, domûs* ortum. Declinationem Latin. IV. originem suam habere ex Graecorum Declin. III., certum est et exploratum. Jam ex flexione Genit. Gr. *-υς* apud Romanos Genit. Decl. IV. olim formatum esse *-uos* evincit Senatus consultum de Bacchanalibus a. U. C. 568. s. 186. a. Chr. in quo ter *Senatuos* pro *Senatûs* expressum legitur.[7]) Quare suspicari quis possit, Augustum antiquam illam et obsoletam Genitivi terminationem adamasse et in epistolis *domuos*

7) Pretiosum illud linguae Latinae monumentum reperitur in Drakenb. Livii edit. Vol. VII. p. 196. et in ejusd. edit. Stutg. Tom. XV. p. 378., ubi p. 398. de illa Genitivi forma pluribus egit Matth. Aegyptius editor.

ad libidinem scripsisse pro vulg. *domus* s. *domi*. At huic suspicioni ne locum demus et de mendo cogitemus, prohibet ipse Suetonius. Accedit quod Augustus, quem novimus Antiquarios perosum fuisse, vix credi potest usus esse tam casca et exoleta Genitivi forma. Idem vero, qui esset perspicuitatis studiosissimus, usu Genit. *domos* in crimen ambiguitatis propter geminam Accus. N. Pl. terminationem non poterat non incurrere. Quoquo igitur nos vertimus, in eodem incili haeremus nihilque aliud remanet, quam ut istam scribendi consuetudinem Principis singularibus et passim inextricabilibus nugis accenseamus, quibus eum in vita moribusque pariter atque in scriptis indulsisse aliunde novimus. 8) Miratur Casaubonus, qui factum sit, ut, praeter Suetonium et Marium Victorinum, nemo alius Grammaticorum veterum ejus rei meminerit. Ego vero silentium eorum inde repetendum duco, quod, cum istius consuetudinis idoneam rationem perspexissent nullam, illamque sua natura vitiosam et uni dumtaxat propriam esse animadvertissent, notatu indignam censerent. Neque recentiorum quisquam Grammaticorum, quos quidem noverim, caussam inquisivit, cur ita ab Augusto scriptum fuerit, sed aut taciti praetereunt aut Suetonii et Marii Victorini locos simpliciter proferunt, ut G. J. Vossius de Analog. Libr. II. c. 17. p. 646. Eck., Seyfertus Gr. L. P. I. §. 93. p. 64. et Schneiderus Gr. L. P. II. I. p. 329.

Denique Suetonius addit: „Notavi et in chirographo ejus illa praecipue: non dividit verba nec ab extrema parte versuum abundantes litteras in alterum transfert, sed ibidem statim subjicit circumducitque.“ Huic loco mirificum acumen et doctrinam adhibuerunt cum Casaubonus, tum inprimis Gundlingius in Gundlingian. P. IV. Observat. 5. §. 6., quem jam satis confutavit C. H. Trotzius Ictus ad H. Hugonis de Prim. Scribendi Orig. Cap. XXVII. p. 258 sqq. Vulgo apud Romanos, ut apud nos, a fine versus abundantes litteras ad alterius initium transferre mos erat. Ea verborum divisio moratur utique lectorem et Augusto molesta visa est ideoque improbata. Itaque ipse illas, quae abundarent, litteras sub eodem versu extremo subjecit et circumducta linea indicavit, eas cum hoc versu proxime cohaerere. Sic fere post Boxhornium Ernestius, qui laudat *Nouv. Traité diplomatique* Tom. III. p. 198.

§. 3.

His expositis pergit Suetonius c. 88.: „Orthographiam, id est, formulam rationemque scribendi a Grammaticis institutam, non adeo custodiit: ac videtur eorum sequi potius opinionem, qui perinde scribendum, ac loquamur, existiment. Nam quod saepe non litteras modo, sed syllabas aut permutat aut praeterit, communis hominum error est. Nec ego id notarem, nisi mihi mirum videretur, tradidisse aliquos, legato eum consulari successorem dedisse, ut rudi et indocto, cujus manu *ixi* pro *ipsi* scriptum animadverterit.“ 9) Huc pertinere censeo quod refert Quintilianus Inst. Or.

8) Julius Caesar si propter antiquarum quarumdam in declinandis nominibus formarum studium a Grammaticis notatur, ut a Quintil. Inst. Or. Libr. I. c. 5. §. 63., et ille inter alia *dominatu* et *ornatu*, teste Gellio N. A. Libr. IV. c. 16. §. 8., pro *dominatui* et *ornatui* constanter scripsit, dubium non est quin gravis ille auctor linguae Latinae, ut a Gellio nominatur, hanc terminationem casus tertii ut rectiorem et veriorem praetulerit. Neque tamen ea in re videtur sibi constitisse: vid. C. Ern. Chr. Schneideri Not. Crit. ad Jul. Caes. d. B. G. Libr. I. c. 16. §. 4.

9) In Suetonii loco Burmannus et Oudendorpius vv. *id est, formulam rationemque scribendi* Glossatoris esse, certo animi judicio affirmant; contra Ernestius gravibus et admodum speciosis argumentis illa tuetur in ejusque sententiam transierunt omnes, qui insecuti sunt, Suetonii Editores. Obviae sunt alias quoque ap. Suetonium tales explicationes, sed diversae, ut mihi quidem videtur, rationis, ut c. 32. et 97., quippe quae apprime respondeant eis quae Viri Docti de hujusmodi explicationibus per vv. *hoc est*, *id est* introductis admonuerunt memorati a Kritzio ad Sallust. Jug. c. 31. §. 20. Equidem difficulter adducor,

Libr. I. c. 7. §. 22.: „*Here* nunc *E* littera terminamus: at veterum comicorum adhuc libris invenio, *Heri ad me venit;* quod idem in epistolis Augusti, quas sua manu scripsit aut emendavit, deprenditur.“ 10) Duplicem illam adverbii formam, de qua copiose disputavit F. Handius in Tursel. Vol. III. p. 61 sqq., apud antiquos in usu fuisse et *E* et *I* in scribenda syllabarum extremitate indifferenter adhibitas esse testatur Gellius N. A. Libr. X. c. 24. §. 8., quandoquidem utriusque vocalis pronuntiatio et sonus ambiguus esset et neutra plane audiretur, teste Quintiliano I. Or. Libr. I. c. 4. §. 8. Conferatur Schneiderus Gr. Lat. P. I. 1. p. 17 sq. Augustus igitur existimans perinde scribendum esse ac loquendum, cum procul dubio pronuntiaret *heri* non *here*, illam formam contra Grammaticorum dictata in scribendo praeoptavit, non veritus, ne Archaismum quemdam affectare argueretur. Proinde in Fragm. Epistolarum apud Sueton. Aug. c. 71 et Calig. c. 8. *heri* scriptum invenimus. Ex eodem fere genere est quod relatum legimus ap. Gellium N. A. Libr. X. c. 24. §. 1.: „*Die quarto* et *die quinto* — ab eruditis nunc quoque dici audio: et qui aliter dicit, pro rudi atque indocto despicitur: sed M. Tullii aetas ac supra eam non, opinor, ita dixerunt; *die quinte* enim et *die quinti* pro adverbio copulate dictum est et secunda in eo syllaba correpta. Divus etiam Augustus, linguae Latinae non nescius, munditiarumque patris sui in sermonibus sectator, in epistolis plurifariam significatione ista dierum non aliter usus est.“ 11) Augustus igitur eamdem, quam paulo ante attigi, rationem secutus hoc quoque in vocabulo scribendo non custodiit orthographiam a Grammaticis institutam. Jam de ipsa adverbii illius forma et vi non est quod hic fusius persequar ea, quae Viri Docti, ut Ursinus, Perizonius ad Sanctii Minerv. Libr. IV. c. 4. Tom. II. p. 182. B., Ruddimannus Inst. Gr. Lat. Libr. I. c. 2. P. II. p. 289. St. aliique commenti sunt, jam dudum confutata et explosa hodie a Viris Doctis, qui erudite ostenderunt, nomina illa, *quarti, quinti*, *septimi* et id genus alia non esse Genitivos, quos vel Ramshornius Gr. Lat. §. 148. N. 5. p. 459. agnosci voluit, sed antiquiorem Ablativi temporalis formam, haud absimilem Casui qui dicitur Locativo, judice F. G. Hoffmanno in Jahnii Annal. Phil. et Paed. Tom. VII. 1. p. 25 sq. ann. 1828. Conf. qui laudantur ab Haasio ad Reisigii Praelection. de L. L. N. 253. et N. 541. itemque nuper a Kritzio ad Vellej. Pat. Libr. II. c. 129. §. 3.

Praeterea Suetonius in autographis Augusti epistolis communes hominum scribentium errores deprehendit in permutandis et praetereundis litteris syllabisque admitti solitos. Id ideo a se notari ait, quia eo nomine severiorem se et iniquiorem in alios praebuisse dicatur. Equidem enim in eo, quod iste legatus consularis *ixi* pro *ipsi* scripserit, neque certam quamdam, quam expiscari studet Torrentius, invenio ejus scripturae rationem neque novitatis quoddam studium,

---

ut a Suetonio, Grammatico brevitatis studiosissimo, notissimum terminum technicum *orthographiae* verbis explicatum putem plane otiosis. Nam dum addit orthographiam a Grammaticis institutam, satis id quod vult declarat, Augustum in orthographia paulo liberius versatum non religiose servasse Grammaticorum hac de re praecepta. — In Suetonii verbis revocavi *custodiit* pari munitum Codicum auctoritate: haec enim ex suo judicio refert auctor, cetera ex autographis adnotavit epistolis, quas suis oculis usurpabat.

10) Quintiliano etiam epistolas Augusti autographas visas et consultas fuisse, liquet: ex quibus ambiguum est quas dicat emendatas manu sua. Erunt fortasse qui testimonio Quintil. I. Or. Libr. I. c. 6. §. 19. freti opinentur, Augustum, si quis suorum ex Grammaticorum regula *here* pro *heri* scripsisset, in proximis ad eum litteris emendasse. Sed praestiterit intelligi epistolas ab ipso dictatas et vicaria liberti alicujus manu exaratas, in quibus prius, quam darentur, quidquid in orthographia non sui esset palati, sua ipsius manu correctum fuisset. Haec mihi Quintiliani mens videtur esse.

11) De eadem re, auctoritate Augusti non nominata, exposuit Macrobius Sat. Libr. I. c. 4. veterum consuetudinem appellans, qua modo *diequinti* modo *diequinte* pro adverbio copulative dixerint.

quod, Casaubono opinante, fortasse propter litterae illius vastitatem gravatus fuerit Augustus, [12]) agnoscere possum, sed merum scripturae mendum, quod scribendi velocitas vel incuria fudisset, fuisse arbitror. Augustum in hujusmodi rebus quamvis levidensibus et minutis nonnumquam difficiliorem fuisse ac fastidiosiorem, aliunde cognitum habemus; sed eum legato illi hujus unius erroris caussa successorem dedisse tamquam homini rudi et indocto, nemo facile mihi persuadebit. Videtur tamen, ne quid dissimulem, ea narratio firmari testimonio Laurentii Lydi de Mensib. Rom. III. §. 39. p. 130. R.: *Καὶ τοσαύτη τις αὐτῷ φροντὶς οὖσα περὶ λόγους ἐτύγχανεν, ὡς ἄρχοντος ἀπαιδεύτου γράψαι πρὸς αὐτὸν δημοσίαν τολμήσαντος ἐπιστολὴν, οὕτως ἀγανακτῆσαι, ὡς παραλῦσαι τῆς ἀρχῆς τὸν ἀπαίδευτον.* Utut autem de hujus narratiunculae fide statuitur, totus tamen assentior iis, quae ea de re scite admonuit Bernhardyus de Litter. Rom. p. 30. N. 59.

Denique Suetonius sub fin. c. 88. „Quoties, inquit, per notas scribit *b* pro *a*, *c* pro *b* ac deinceps eadem ratione sequentes litteras ponit; pro *x* autem duplex *a*.“ [13]) Haec litterarum in scribendo transmutatio et a suo cujusque ordine trajectio aperte inserviit arcanae cuidam scriptioni, qua Augustus, si quid cum suis, alios quod celandum esset, communicare per litteras vellet, in Epistolis ultro citroque missis compacto uti consueverat. Eam scribendi rationem Viri Docti, sine ulla, quod sciam, scriptoris veteris auctoritate, nominaverunt *κρυπτογραφίαν* sive *στεγανογραφίαν*. Hujuscemodi *κρυπτογραφία*, ut hoc nomine brevitatis caussa passim utar, temere a nonnullis confusa est cum *ταχυγραφίᾳ*: quem quidem errorem peperit ambigua perque ampla v. *Notae* significatio, de qua mihi velut in transcursu pauca hic dicenda sunt. [14]) *Notae*, *σημεῖα*, sunt proprie simulacra, signa, sigilla, deinde scripturae quaedam compendia, quibus verba non perscribuntur, sed signantur, sigla, [15]) *Abbreviaturen*, quae

---

12) De *x* litterae vastioris fuga apud Romanos testis gravissimus est Cicero in Orat. c. 45. §. 153., ubi comparanda sunt quae collegit Goellerus p. 331 sq. Casaubonus num recte neget illam litteram ad Augusti fere aetatem in usu fuisse, in medio relinquam; vid. Seyfertus Gr. Lat. P. I. §. 158. p. 101 sqq.

13) Hoc in Suetonii loco aliquamdiu dubius haesi, num suffragarer Casaubono, qui rejecta omnium Codd. et Editt. lectione, *pro x* corrigendum censebat *pro z*, vulgarem litterarum numerum et ordinem secutus. Propugnat ille suam sententiam communitque consensu Isidori de Orig. Libr. I. c. 24., apud quem sine ulla varietate, si Arevalo et Ottoni in Lindemanni Corp. Grammatic. Latin. Vett. Tom. III. p. 41. fides est, *z* pro *x* exaratum est. Cf. infra §. 4. N. 17. Cum Casaubono faciunt Fabricius ad Dion. Cass. Libr. LI. c. 8. N. 30. et Drumannus Hist. Rom. Vol. III. p. 290. N. 26. Lectio autem Suetoniana *pro x* cum communi Codd. Msst. consensu, tum maxime ipsius rei veritate mirum quantum stabilitur. In confessis enim est et a multis, quos hic nominare non vacat, demonstratum, litteras *y* et *z* non esse Latinas, sed propter nomina Graeca demum Augusti tempore receptas ac veluti civitate Romana donatas. Hinc a Quintil. I. Or. I. c. 4. §. 9. *x* ultima litterarum Latinarum dicitur. Qua de caussa Augustus, etiamsi peregrinam istam litteram non ignoraret, tamen cum per *notas* i. e. litteras Latinas easque trajectas scriberet, non poterat non communem litterarum Latinarum numerum et ordinem sequi. Ac Suetonius, cum Augusti epistolas autographas ob oculos haberet, non poterat *z*, licet sua aetate omnium litterarum apud Romanos postrema esset, suo permutatam arbitratu pro genuina *x* ponere. Huc accedit, qui plurimi faciendus est, unanimis Codd. consensus, si quidem credibilius est, librarios pro suae aetatis consuetudine maluisse *z* ponere quam *x*: quam litteram tamen omnes ad unum habent et tectam sartamque praestant. Idcirco Graevius lectionem Codd. jure reduxit eamque omnium doctissime tuitus est Oudendorpius, cui recentiores Editores merito obsecuti sunt. Etiam Schneiderus Gr. Lat. P. I. I. p. 4. eam unice veram esse dicit. Caeterum cum Oudendorpio etiam scripsi: *pro x autem duplex a*, non *aa*, ut Burmannus aliique ediderunt; sedum omittendum v. *duplex*, quod contra Codd. a Paldamo factum probare nequeo.

14) De nominibus istis technicis conferatur H. Hugo de Prim. Scrib. Orig. Cap. XVII. p. 166—68. cl. p. 532. ed. Trotz., a quo etiam de *Notarum* significatione et usu permulta congesta sunt: cf. Fussii Antiq. Rom. §. 235.

15) *Sigla, siglorum* rectius quam *siglae siglarum*: v. Dirksenii Manuale sub h. v.; illud a v. *sigillum* per Syncopam, hoc ortum putatur ex vv. *singulae syllabae*: v. Reisigii Praelect. de L. L. §. 48.

a Seneca Epistol. XC. §. 26. *verborum notae* appellantur. A notis probe distinguendae sunt *litterae*, γράμματα, i. e. elementa, quae vocant etiam στοιχεῖα, auct. Quintil. I. Or. Libr. III. c. 8. §. 19. Atque ita Graecis σημείοις, διὰ σημείων γράφειν, σημειοῦν κ. τ. λ. respondent Latinorum voces et locutiones, *notae*, *notare*, *per notas scribere*. Notarum usus obtinuit in Tachygraphia, litterarum maxime in Cryptographia. [16]) Sic, ut hoc utar, Plutarch. in Caton. Min. c. 23., ubi de Ciceronis tachygraphis loquitur, memorat σημεῖα ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων ἔχοντα δύναμιν; item ipse Suetonius Tit. c. 3. *notis excipere* et Galb. c. 5. *notare* de scribendi compendiis et verborum numerorumque signis proprie usurpavit. Quid? ipse Cicero fuit σημειογράφος scribens ad Attic. Libr. XIII. Ep. 32. §. 4.: „Et quod ad te de decem legatis scripsi, parum intellexti, credo, quia διὰ σημείων scripseram." Scilicet pro verbis usus fuerat Cicero signis quibusdam ac figuris integram vocem significantibus, quas Atticus non intellexerat. [17]) Quodsi hunc Ciceronis locum respiciens scripsit C. Julius Victor c. XXVII. de Epistolis p. 266. Or.: „Solent etiam notas inter se secretiores pacisci, quod et Caesar et Augustus et Cicero et alii plerique fecerunt:" manifestum est, Rhetorem illum componendo Ciceronem cum Julio Caesare et Augusto eorumque arcana scribendi ratione magnopere errasse. Nam scribendi ratio, quam Tullius de re spinosiore per jocum, ut videtur, usurpaverat, prorsus differt ab ea, qua Augustum et ante eum jam Julium Caesarem usum esse memoriae proditum legimus, ut jam vidit monuitque C. Guil. de Rhoer de Stud. Litt. Caes. Aug. Cap. II. §. 15.

Nam Suetonius de Jul. Caesaris Epistolis, quas Grammaticus suismet oculis manibusque versabat, earumque forma locutus haec adjicit c. 56.: „Extant et ad Ciceronem, item ad Familiares domesticis de rebus: in quibus, si qua occultius perferenda erant, per notas scripsit, id est, sic structo litterarum ordine, ut nullum verbum effici posset: quae si quis investigare et persequi velit, quartam elementorum litteram, id est, *d* pro *a* et perinde reliquas commutet." Quo in loco vv. *in quibus* ad Epistolas de rebus domesticis scriptas unice pertinere arbitror. Dio Cassius quidem Libr. XL. c. 9. eumdem commemorans scribendi modum universe dicit, ὁπότε τι δι' ἀποῤῥήτων τινὶ ἐπέστελλε, sed ea Cryptographia non nisi inter familiares et interioris admissionis homines, quibus Cicero excludendus fuerit, et cognita videtur fuisse et usu recepta. Id aliquatenus confirmatur etiam testimonio Gellii N. A. Libr. XVII. c. 9.: „Libri

---

16) De Notis apud veteres tachygraphicis earumque inventione et vario per omnes aetates usu multa multi scripserunt, quos hic sigillatim commemorare supersedeo. Quae hodieque superstes est et celebratur *Tironis* et *Senecae Collectio Notarum* veteribus ταχυγράφοις usurpatarum, primum emissa est maxime e Trithemii Codice ab Jano Grutero 1603. fol. et in Thesaur. Inscriptt. et ab aliis, quos diligentia et splendore antecellit *Ulr. Fr. Kopp*, Hasso-Cassellanus, in *Palaeographia Critica*. Vol. I—IV. Manhem. 1817. 4. cf. Reisig. Prael. de L. L. §. 48. p. 68. Praecipuus de illis Notis locus est ap. Isidorum de Orig. Libr. I. c. 21., in quem commentati sunt H. Hugo l. c. p. 188 sqq. et post Ernestium ad Fabricii Bibl. Lat. Libr. II. c. 9. Tom. II. p. 113 sq. prae caeteris *Gust. Sarpius* in *Prolegom. ad Tachygraphiam Roman. Partic. I.* Rostoch. 1829. 4., utqui h. l. Codd. Guelf. et Paris. et Editt. vett. ope perpurgaverit eumque haud paucis locis egregie emendaverit. Notae Tachygraphorum, ut Isidorus perspicue docet, significabant verba vel syllabas praefixis characteribus: praefixi autem characteres erant certa signa, non inter scribendum nata, sed ante inventa et recepta, ut notandis certis syllabis vel nominibus inservirent. Quas Notas qui scilicet ad vitam tolerandam didicerant, appellabantur proprie *Notarii*, etiam *Actuarii* (vid. Lipsius ad Taciti An. V. c. 4. et Gesner. ad Plin. Epist. III. 5. §. 15.), passim *Librarii*, gr. ταχυγράφοι, qui probe distinguendi sunt a *Scribis*: vid. Creuzer. Antiq. Rom. §. 173.

17) Cf. Imm. Frid. *Gregorii* Dissert. de scribendi genere διὰ σημείων praecip. ap. vett. Rom. in Jo. Ernest. Imm. Walchii Actis Societ. Latin. Jenens. Vol. II. p. 104—122.

sunt epistolarum C. Caesaris ad C. Oppium et Balbum Cornelium, qui res ejus absentis curabant. In his epistolis quibusdam in locis inveniuntur litterae singulariae sine coagmentis syllabarum, quas tu putes esse positas incondite: nam verba ex iis litteris confici nulla possunt. Erat autem conventum inter eos clandestinum de commutando situ litterarum, ut in scripto quidem alia aliae locum et nomen teneret, sed in legendo locus cuique suus et potestas restitueretur: quaenam vero littera pro qua scriberetur, ante iis, sicut dixi, complacebat, qui hanc scribendi latebram parabant.“ Credibile est, hunc secretiorem scribendi modum[18]) ab ipso Jul. Caesare excogitatum et varios inter familiares pro arbitrio variatum esse, ne umquam detectus cuiquam sive casu sive perfidia cognitusque aliis notesceret. Suetonius quidem expressis verbis tradit, eum quartam quamque elementorum litteram situ et nomine commutasse itemque Dio Cassius Libr. XL. c. 9. refert, solitum eum esse *τὸ τέταρτον ἀεὶ στοιχεῖον ἀντὶ τοῦ καθήκοντος ἀντεγγράφειν*; sed Gellius, praeterquam quod Caesarem quibusdam tantum in locis familiarium epistolarum istam scribendi latebram quaesivisse ait, satis etiam indicat, hunc litterarum incondite positarum ordinem haudquaquam ab eo constanter observatum, immo, prout ipsum inter et amicos pactum esset, litteras situ et potestate permutatas esse. Quodsi enim illa scribendi ratio una et constans fuisset, qua semel cognita et perspecta omnium epistolarum loca arcanis exarata elementis paterent, non exputo, quid operae in istis expediendis consumere potuisset eruditus Grammaticus. A. Gellius enim l. c. adjicit: „Est adeo Probi Grammatici cujusdam commentarius satis curiosus factus *De occulta litterarum significatione epistolarum C. Caesaris scriptarum.*“[19]) Cum autem Caesar in illis epistolis secretioribus litterarum elementis aliis alium locum et potestatem ex compacto tribuisset, Grammaticus utique invenit, quo ingenii acumen exerceret doctrinamque ostenderet. Caeterum id quod probe advertendum est, Probus ille de occulta *litterarum*, nequaquam *notarum* significatione C. Caesaris scripsit. Hinc apparet de notis quibusdam tachygraphicis, *σημείοις* proprie sic dictis, nullo pacto posse cogitari, licet Suetonius usus sit locutione *per notas scribere, διὰ σημείων γράφειν, σημειοῦν.*[20]) Id etsi *καταχρηστικῶς* factum, quia litterae, quamvis transpositae, non sunt notae, tamen eo tutius facere poterat, cum litterae illae, abjecta velut nativa vi et potestate, trajectione et commutatione signorum sive siglorum quorumdam rationem et naturam assumerent eorumque vicibus inservirent. Caeterum Suetonius habuit quem in hac vocis *καταχρήσει* sequeretur. Has enim litteras ex pacto trajectas ipse Augustus appel-

---

18) Eximie falluntur qui cum Jul. Caesaris et Augusti ratione scribendi comparant *secretas notas*, quibus Hannibal, Antiochi hospes, Aristonem Tyrium instructum Carthaginem misisse dicitur auct. Livio Libr. XXXIV. c. 61. Illas notas secretas Casaubonus ad Aeneam Tact. c. 3. explicat *συνθήματα καὶ γράμματα;* Ernstius ad Valer. Probi de Notis Rom. c. 1. cogitat de occulta quadam per notas scribendi ratione, de cryptographiae genere quodam. At utramque explicationem ex ipso Livio attestante, nihil litterarum Aristoni ab Hannibale datum esse, refellit Dukerus. Neque tamen sua interpretatione mihi ipse satisfacit potiorem existimanti rationem Doeringii unice cogitantis de tesseris quibusdam, quibus alicujus factionis socii internoscantur.

19) Haud dubie intelligendus *M. Valerius Probus*, quem a Suetonio d. Ill. Gram. c. 24. memoratum Neronis aevo vixisse dicit G. J. Vossius de Arte Gr. Libr. I. c. 4. P. I. p. 13. F. Is cum, ut Suetonius ait, nimis pauca et exigua de quibusdam minutis quaestiunculis ediderit, haud incommode existimari potest de Jul. Caesaris Cryptographia Commentarium composuisse. Errant vehementer, qui eum hodieque exstare opinentur apud Putschium p. 1494., ut, post Dausquejum de Orthogr. Serm. Lat. T. I. Animadv. p. 191., longe subtilius docuit Fr. Osann in *Beitr. z. Gr. u. R. Literatury.* T. I. p. 262.

20) Sic quoque Sueton. c. 56. *litterarum ordinem et elementorum litteram* dicit, ut Graeci *τὰ τῶν στοιχείων γράμματα:* vid. Valckenarius ad Ammon. Libr. I. c. 13. p. 42 sqq. ed. Lips. Ac quemadmodum Dio Cass. Libr. LV. c. 7. *σημεῖα γραμμάτων*, sic Isidorus Orig. Libr. I. c. 24. *notas litterarum* scripsit.

laverat *Notas*, ut discimus ex Fragm. Epistolae, quae est ap. Isidorum Orig. Libr. I. c. 24. 2. p. 41. ed. Lind. Nihilo tamen secius Suetonius illam emollit *κατάχρησιν* addita utroque loco explicatione, qua pateat, non esse hic sermonem de siglis, *σημείοις*, sed de litteris, *στοιχείοις*, proprie dictis. 21)

Sed, ut disputatio nostra de deverticulo hoc necessario redeat, hunc modum scribendi permutato litterarum ordine, quem ab Jul. Caesare dixi primum excogitatum esse et receptum, non est quod miremur ab Augusto retentum et ita usurpatum esse, cum ut ad secretiores inter suos et familiarissimos de rebus privatis epistolas unice restringeret cumque ad simpliciorem et constantiorem litterarum, i. e. elementorum usum et ordinem revocaret. Id sicuti ejus ingenio animoque apprime congruum erat, ita etiam et ipsius et Suetonii testimoniis extra omnem dubitationem ponitur. Accedit Dio Cassius Libr. LI. c. 3. de Augusti in Maecenatem et M. Agrippam fide et amicitia: *ἐπέστελλε δὲ καὶ ἐκείνοις καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς πάνυ φίλοις, ὁπότε τι δέοιτο δι' ἀποῤῥήτων σφίσι δηλῶσαι, τὸ δεύτερον ἀεὶ στοιχεῖον τοῦ τῷ ῥήματι προσήκοντος ἀντ' ἐκείνου ἀντεγγράφων.* Neque hoc mirum quemquam habere potest in Principe tam meticuloso et suspicaci! Istum scribendi modum nequaquam voluit habere communem cum pluribus, sed sibi tantum suisque amicissimis cognitum et usitatum esse constituit. Eam ob caussam curavit, ut filii sui et nepotes mature discerent notare, teste Suetonio c. 64.: „Nepotes et litteras et notare aliaque rudimenta per se plerumque docuit: ac nihil aeque elaboravit, quam ut imitarentur chirographum suum.“ Quo in loco tametsi constans omn. Codd. lectio est *natare* pro *notare*, tamen dubium non est, quin falsa illa et inepta sit totique contextui adversetur. Eam qui tueri student atque explicant mirum quantum hariolantur: vid. Torrentius ad h. l. et Trotzius ad Hugonis librum de pr. scrib. orig. p. 178. 22) Praeclare Burmannus et Oudendorpius negarunt cuiquam posse persuaderi, Augustum, qui corpore esset imbecillo, et coxendice, femore et crure sinistro, teste Suetonio c. 80., parum valeret, in tanta imperii majestate per se docuisse natandi artem, quamvis non publico sed privato loco id factum quis velit statuere. Adde Augusti aetatem grandem jam ac, nepotibus ad natandum adultis, paene senilem. Deinde duo sequentia *aliaque rudimenta* et *chirographum suum* debere pro more et stylo Suetonii respondere duobus enuntiatis praecedentibus, acutissime admonuit Oudendorpius et J. Lipsii in Epistol. Cent. I. ad Belgas 27. p. 759. Opp. Tom. II. conjecturam palmariam, *notare* pro *natare*, unice veram ac genuinam lectionem esse pronuntiavit. 23) Augustus, qui boni

21) Julius Caesar num passim hac Cryptographia usus sit in epistolis ad legatos ducesque suos datis, traditum non reperimus; sed veri est simillimum. Ejus exemplo M. Brutum inductum esse suspicor, ut suarum ipse partium dux aliquot annis post in rebus militaribus *κρυπτογράφος* esset. Is enim, ut narrat Isidorus Orig. Libr. I. c. 24. §. 1., dicitur quae acturus esset occultis litteris notasse, ignorantibus aliis, quid eae litterae sibi vellent. Mecum facit Drumannus Hist. Rom. Vol. III. p. 749. In his quoque Jul. Caesar diligens erat ac prudens temporum personarumque observator! Non magis enim contendi potest, eum ad legatos perpetuo litteras Graecas dedisse, etsi Dio Cass. Libr. XL. c. 9. referat, Caesarem Q. Ciceroni *πάνθ' ὅσα ἠβουλήθη ἑλληνιστί* scripsisse: ubi sine caussa, opinor, difficultates movet Fabricius N. 26. Vol. V. p. 250. Strz.

22) Lectionis vulg. patrocinium frustra suscepit Fr. Cramerus in *Geschichte d. Erziehung P.* I. p. 408. Locus Sueton. Calig. c. 54., utpote diversae prorsus naturae, huc non quadrat.

23) Non erat quod J. Lipsius de conjecturae suae veritate et evidentia dubitaret ob Plutarch. Cat. Maj. c. 20. Non tam dignitas et splendor Catonis et Augusti discrepabant, quam inprimis utriusque et ingenium et aetas diversissima erant. Apud Plutarchum agitur de exercitiis militaribus, in quibus utique *Natatio* non ultimum tenebat locum, docente ipso Lipsio de Milit. Rom. Libr. V. Dial. 14. p. 342. Opp.; sed ap. Suetonium sermo est de institutione puerili, cui Augustus, qui erat prolixus ejus in nepotes amor, magnam curam impertiebat.

patris familias laudem quaerens, senili praesertim aetate, domi per otium suis et formandis et erudiendis lubenter vacaret, nepotulos suos, Gajum et Lucium Caesares, velut γραμματιστής, litterator, frequenter et legendi et scribendi arte exercuit. Qua in re simul id spectavit, ut mature discerent *notare* i. e. per notas sive trajectis litterarum elementis scribere, si quando res secretiores ad suos perferendae essent. Quam epistolarum latebram cum nemini nisi suis notam esse vellet, eam ut nepotulos, per se, non per alios doceret, factum est. 24) Praeterea vetulus ac vanus senex nihil aeque elaboravit, quam ut nepotes illi chirographum suum imitarentur i. e. ut elementorum ductus suis quam simillimos calamo exprimerent ac pingerent. Neque tamen id elaboravisse existimandus est, ut eorum opera, sicut Burmannus credit, in epistolarum scribendarum ministerio uteretur; sed non male suspicatur Drumannus Hist. Rom. Vol. IV. p. 291., Augusto placuisse suos litterarum ductus ideoque nepotes chirographum suum docuisse. Quam vanitatem reique levidensis studium in Augustum cadere, nemo erit quin confiteatur.

§. 4.

Quae sequuntur Caesaris Augusti epistolarum reliquiae, in eis proferendis et conjunctim percensendis malui personarum, ad quas datae feruntur, rationem habere, quam ordinem quem dicunt chronologicum sequi, utpote maximam partem obscurum perque incertum.

I.

Ad Liviam uxorem.

Suetonius Claud. c. 4.

1. *Collocutus sum cum Tiberio, ut mandasti, mea Livia, quid nepoti tuo Tiberio faciendum esset ludis Martialibus. Consentit autem uterque nostrûm, semel esse nobis statuendum, quod consilium in illo*

---

24) Augustus quo suspicacior ipse erat, hoc majore in pretio habebat fidem ac taciturnitatem aliorum, ac sicut eam in Maecenate suo aegre desiderabat, auct. Sueton. c. 66., ita Thallo a manu, quod pro epistola prodita denarios quingentos accepisset, crura fregit, ut narrat Sueton. c. 67.

I. 1. Hanc Epistolam, cujus aliquam partem hic posuit Suetonius, dubitari nequit quin Augustus Romae praesens ad praesentem in Urbe Liviam de more exaraverit, senex cum jam esset annos 73. et amplius natus, vera si est conjectura VV. DD. ludos hic Martiales, τὰ Ἄρεια, intelligentium eos, quos ab illo Kalend. Sextil. a. U. C. 764 s. p. Chr. 11. celebratos esse narrat Dio Cass. Libr. LVI. c. 27. Claudius, cujus natalis in ejusdem mensis Kalendas a. U. C. 744 s. 10. a. Chr. incidit (v. Dio Cass. Libr. LX. c. 5.), tum natus erat 20. annos. Caeterum hujus epistolae ἀποσπασμάτιον mirificam Augusti curam suorum et simul anxium fere dignitatis principalis studium luculenter ostendit et vero etiam obsequium ejus erga Liviam, quippe quae ei mandasset, ut cum Tiberio ea de re colloqueretur. Liviam enim sollicitam habebat cura de suo nepote, Claudio, quem ipsa mater, Antonia minor, non absolutum a natura, sed tantum inchoatum et portentum hominis dictitabat, ref. Suetonio Claud. c. 3. Augustus, rebus in utramque partem accurate deliberatis, percautus scribit: „*nam si est* ἄρτιος *et, ut ita dicam,* ὁλόκληρος:“ quibus verbis ἡ ἀκεραιότης, corporis animique integritas dubitanter significatur. Uti h. l. τῷ ἀρτίῳ, de quo Jacobs ad Anthol. Gr. Palat. T. III. N. 304. p. 203. videatur, ita ap. Lucianum in Luc. s. Asin. 33. junguntur ὁλόκληρος ἔτι καὶ ἀκέραιος: illud nomen quum de animo minus proprie usurpetur, Augustus adjecit vv. *ut ita dicam*, quibus simul copula *et* vindicatur, quam injuria ab aliis omissam, Oudendorpio suasore, recte reposuit Wolfius. De potestate v. ὁλόκληρος vid. Reitz ad Luciani Amor. c. 24. Vol. V. p. 576. Bip. — Qui e vita domestica suscitandi ad honorum dignitatem provehuntur, illi *producti* dicebantur: v. praeter Burmannum ad h. l., Herzog ad Jul. Caesar. de B. G. Libr. VII. c. 39. Claudius jam vitae annis provectus gradatim aeque ac frater ejus natu major, Germanicus, honoribus admovendus erat. Caeterum Madvigius in Opusc. Acad. alter. (Hauniae 1842.) p. 223. flagitante, ut ait, Latinitate et septem Codd. auctoritate subnixus reponi jubet *productus sit* pro vulg. *fuit*. Ob seq. βεβλάφθαι scribendum etiam ἠλαττῶσθαι. Similiter Claudio *mentem imminutam* tribuit Tacitus Ann. Libr. VI. c. 46. Defuisse Claudio τὴν τοῦ σώματος καὶ τῆς ψυχῆς

Suetonius Claud. c. 4.

3. *Tiberium nepotem tuum placere mihi declamantem potuisse, peream, nisi, mea Livia, admiror. Nam qui tam ἀσαφῶς loquatur, qui possit, quum declamat, σαφῶς dicere, quae dicenda sunt, non video.*

II.

Ad Juliam filiam.

Suetonius August. c. 71.

4. *Misi tibi denarios ducentos quinquaginta, quos singulis convivis dederam, si vellent inter se inter coenam, vel talis, vel par impar ludere.*

III.

Ad Tiberium privignum.

Suetonius August. c. 71.

5. *Coenavi, mi Tiberi, cum iisdem. Accesserunt convivae Vinicius et Silius pater. Inter coenam lusimus γεροντικῶς, et heri et hodie. Talis enim jactatis, ut quisque canem aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat: quos tollebat universos, qui Venerem jecerat.*

---

3. Haec quoque de Claudio scripsit Augustus ὁ φιλόστοργος, cui non est mirandum placere potuisse bardi hominis declamationem. Fortasse tamen Claudius, quem neque infacundum neque indoctum fuisse ait Suetonius c. 40., intentis nervis sibi invigilaverat, ut avunculo majori suo satisfaceret. Quare Codd. lectionem *mihi* omni jure tuetur Wolfius. Utique Claudius erat, ut Dio Cass. Libr. LX. c. 2. testatur, *τὸ δὴ σῶμα νοσώδης, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τῷ φωνήματι ἐσφάλλετο:* quod vitium linguae invidiose auget Seneca Apocoloc. c. 5. §. 2 et 3. ibiq. Ruhkf.

II. 4. Haec ex brevi Epistola quadam ad Juliam filiam excerpta sunt, quibus intelligitur, Augustum vel in muliebris sexus liberis suis aluisse ludendi in pecuniam studium. Julia admodum juvencula videtur ad convivium vel vocata esse vel ipsa id instituisse. Quod ut possent convivae diffindere insiticiis talorum tesserarumve lusionibus aliisque hujuscemodi *παιδιαῖς*, omnibus ac singulis Denariorum summula ab Augusto missa fuerat. Illud quidem legibus non vetitum erat: Paulus Digest. Libr. XI. Tit. 5, 4. „*Quod in convivio vescendi caussa ponitur, in eam rem in alea ludere permittitur*," ut pro vulg. *familiam* feliciter conjecit Brenkmannus ap. Gebauer. p. 208. Sed de variis lusionum ap. Romanos generibus non est quod hic et in seqq. quidquam dicam post brevem quidem, sed doctam subtilemque disputationem Guil. Ad. Beckeri in Gallo T. II. p. 220—234. qua toti huic Suetonii Cap. 71. plurimum lucis allatum est.

III. 5. Augustus, studiosissimus aleae lusor, (v. S. Aurel. Victor. Epit. c. 1. §. 21.) hoc nomine male apud Romanos audiebat: quem tamen rumorem nullo modo expavit, lusitque simpliciter et palam, oblectamenti caussa, etiam senex; ac, praeterquam Decembri mense, aliis quoque festis profestisque diebus. Neque id dubium est, teste Suetonio c. 71. Mense quidem Decembri jam Augusti aetate excusatius alea ludebatur; sed Suetonius probaturus, quam deditus ille Princeps nullo non tempore aleae fuerit, legibus vetitae, ut ab Horat. Libr. III. Od. 25. v. 58. ibiq. Orell. appellatur, duo posuit capita ex ejus autographis ad Tiberium privignum epistolis. — Torrentius ex Cod. pervet. profert: *Coenavi alias cum Iside*, quaeritque, an forte Augustus, ut Cicero cum Cytheride ap. Volumnium (v. Epist. ad Div. Libr. IX. 26. §. 2.), accubuerit cum Iside quadam? Ridicule! Sed tamen etiam BCrusius vv. *cum iisdem* corrupta ratus Nomen - Propr. hic latere suspicatur. Ego secus statuo. Habemus enim h. l. fragmentum epistolae, ex qua Suetonius nihil nisi quae usui essent, excerpsit. Jam in omisso epistolae principio haud dubie familiarium nomina memorata et cum Tiberio communicata fuerant. Itaque Augustus perrexerat: „*Coenavi, mi Tiberi, cum iisdem* sc. quos modo nominavi. His accesserunt convivae *Vinicius* et *Silius* pater. De illo dicam infra ad Epist. X. 33.; de hoc conferatur Oudendorpius, a quo h. l. *Sylvius pater* pulsus et ex auctoritate plur. et optim. Codd. *Silius* revocatus est, i. e. *P. Silius Nerva* Cos. a. U. C. 734. s. 20. a. Chr., pater ejus *Gaji Silii*, qui Caesaris Germanici in Germania legatus et Cos. a. U. C. 766. a. 13. p. Chr. sub Tiberio imminentem damnationem voluntario fine, teste Tacito An. Libr. IV. c. 17., praevertit a. U. C. 777. s. 24. p. Chr. — De forma voc. *heri* vide supra §. 3. Lusit Augustus *γεροντικῶς* i. e. non lucri cupiditate sed oblectamenti caussa. — Postrema hujus fragmenti verba, quae aliquam obscuritatem habent, illustravit Becker l. c. p. 240. N. 11.

Suetonius August. c. 71.

6. *Nos, mi Tiberi, Quinquatrus satis jucunde egimus. Lusimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calfecimus. Frater tuus magnis clamoribus rem gessit. Ad summam tamen perdidit non multum: sed ex magnis detrimentis praeter spem paullatim retractus est. Ego perdidi viginti millia numûm meo nomine: sed quum effuse in lusu liberalis fuissem, ut soleo plerumque. Nam si, quas manus remisi cuique, exegissem, aut retinuissem, quod cuique donavi, vicissem vel quinquaginta millia. Sed hoc malo. Benignitas enim mea me ad coelestem gloriam efferet.*

Suetonius August. c. 76.

7. *Nos in essedo panem et palmulas gustavimus.*

Suetonius August. c. 76.

8. *Dum lectica ex regia domum redeo, panis unciam cum paucis acinis uvae duracinae comedi.*

Suetonius August. c. 76.

9. *Ne Judaeus quidem, mi Tiberi, tam diligenter sabbatis jejunium servat, quam ego hodie servavi, qui in balineo demum post horam primam noctis duas bucceas manducavi prius, quam ungi inciperem.*

---

6. Per sollemnia Quinquatruum continuo luserat Augustus: agitabantur in honorem Minervae per quinque dies a XIV. Kal. usque ad X Kal. April., teste Ovidio Fast. Libr. III. v. 809 sq. cf. Fabricius ad Dion. Cass. Libr. LIV. c. 28. N. 255. Strz. et O. Müllerus Etrusc. II. p. 49 sq. Pueris feriandi tempus illis diebus datum esse, discimus ex Horat. Libr. II. Epist. 2. v. 197. „*puer ut festis Quinquatribus olim*" ibiq. Orell. In Codd. tantum non omnibus *Quinquatriis*, quo ducimur ad *Quinquatrus*, lectionem unice veram: illam tamen Fabricius aliique retinent. Sed Oudendorpius *Quinquatria* negat Latinum esse, natumque ex Grammaticorum cerebro; videsis tamen Seyferti Grammat. Latin. §. 1455. Schneideri Gr. Lat. II. 1. p. 17. et 285. et quos Ruperti ad Tacit. Ann. Libr. XIV. c. 12. Vol. II. p. 275 sq. attulit. — Qui *forum aleatorium* explicuere ἀγορὰν κυβευτικὴν, egregie confutati sunt ab Salmasio ad Flav. Vopisc. Procul. c. 13: est enim *forus aleatorius*, i. q. alveus lusorius, tabula aleatoria: vid. Gronov. ad Senec. Consol. ad Polyb. c. 36. — *Frater tuus*, i. e. Drusus. *Viginti millia numûm*, i. e. 625 thaleros, ut monet Fabricius ad h. l., Praetoriani emeriti commodum, ut notavit Dio Cass. Libr. LV. c. 23. ibiq. ejusd. N. 164. Strz. — *Manum*, quam alii de infelici, damnoso jactu accipiunt, Rutgersius de pecunia, quae inter duos ludentes deponitur, explicat. Eodem modo Ovidius de A. A. Libr. I. v. 451 sq. „*Sic, ne perdiderit, non cessat perdere lusor, Et revocat cupidas alea blanda manus*:" quo in loco Fabricius *cupidas manus* mavult intelligi de lusoribus, ut ap. Ovid. ex Pont. Libr. I. el. 5. v. 46. „*Nec tenet incertas area blanda manus.*" Perperam! Nos dicimus *den Satz*, Galli *la bête*. In hac Augusti epistola *manus* accipi debere de pecunia, evincunt vv. *remittere*, *exigere*, quae sunt propria in re pecuniaria, ut bene monuit Ernestius. — *Vicissem*, i. e. vincendo comparassem. Nos: *ich hätte wohl* 50,000 *gewonnen*. Quinquaginta millia sestertiûm sunt 1500 thaleri sive Joachimici mille et quingenti, ut admonet Fabricius. cf. Becker l. c. p. 226. *Benignitas* i. e. liberalitas. Sic, inquit Torrentius, Horatius, diligens verborum Augusti imitator, Epod. I. v. 31.: *Satis superque me benignitas tua Ditavit!* Aptius Ruhnkenius nos ablegat ad Phaedri Libr. I. F. 23. v. 7. ibiq. Intpp.

7. Augustus, ut ait Suetonius, cibi minimi erat atque vulgaris fere. Secundarium panem, et pisciculos minutos, et caseum bubulum, manu pressum, et ficos virides biferas maxime appetebat: vescebaturque et ante coenam quocumque tempore et loco, quo stomachus desiderasset. Id confirmatur ipsius testimonio ex epistolis autographis. *Gustavimus* i. e. parce comedimus *palmulas* i. e. palmae fructus, quos Plinius N. H. Libr. XIII. c. 4. §. 44. vocat *caryotas*, et cibo quidem sed et succo uberrimas, *καρυωτοὺς φοίνικας*, et peculiari nomine *Nicolaos*: vid. Libr. I. §. 1. N. 2.

8. Epistolam, unde haec particula a Suetonio desumpta sit, non fuisse scriptam ante a. U. C. 7$\frac{41}{42}$ s. $\frac{13}{12}$ a. Chr. ostendam infra Excurs. II.

9. Fabricius aliique conferunt Lucae c. 18, 12. ubi Pharisaeus ait: *νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου.* Inepte! Verum vidit Casaubonus, qui Augustum ex communi Romanorum ignorantia moris Judaeorum sic scripsisse dicit. Qui ex S. Petiti Comment. de Legg. Attic. Libr. I. Tit. I. p. 71. voc. *Sabbati* h. l. de hebdomade accipiunt, eis aperte adversatur mens Augusti de uno die loquentis. Cf. Ideleri Chronol. Tom. II. p. 176. — Contra praeceptum Varronis de L. L. Libr. VIII. 41., qui „*Domi suae*, inquit, *quisque ubi lavatur*, balneum *dixerunt*;" plur. et opt. Codd. lectionem *in balineo* recte hic tuentur Intpp. pro *in balneo*: vid. de h. nomine disputationem Schneideri in Gr. Lat. II. 1. p. 482 sq. Qui ex balneo exierant, ante unctionem aliquid manducabant seu esitabant: de hac gustatione Gesnerus ad Plinii Libr. III. Epist. 5. §. 11. laudat Salmasium ad Vopisci Tacit. c. 2. p. 614 sq.

Suetonius Tiber. c. 21.

10. *Vale, jucundissime Tiberi, et rem gere feliciter, ἐμοὶ καὶ ταῖς Μούσαις στρατηγῶν. Jucundissime, et ita sim felix, vir fortissime, et dux νομιμώτατε, Vale.*

Suetonius Tiber. c. 21.

11. *Ordinem aestivorum tuorum! Ego vero, mi Tiberi, et inter tot rerum difficultates, καὶ τοσαύτην ἀπροθυμίαν τῶν στρατευομένων,* non *potuisse quemquam prudentius gerere se, quam tu gesseris, existimo. Hi quoque, qui tecum fuerunt omnes, confitentur, versum illum in te posse dici:*

Unus homo nobis vigilando restituit rem.

Suetonius Tiber. c. 21.

12. *Sive quid incidit, de quo sit cogitandum diligentius, sive quid stomachor, valde, medius fidius, Tiberium meum desidero: succurritque versus ille Homericus:*

Τούτου δ' ἑσπομένοιο, καὶ ἐκ πυρὸς αἰθομένοιο
Ἄμφω νοστήσαιμεν, ἐπεὶ περίοιδε νοῆσαι.

Suetonius Tiber. c. 21.

13. *Attenuatum te esse continuatione laborum, quum audio et lego, Dii me perdant, nisi cohorrescit corpus meum: teque oro, ut parcas tibi: ne, si te languere audierimus, et ego et mater tua exspiremus, et de summa imperii sui populus Romanus periclitetur. Nihil interest, valeam ipse nec ne, si tu non valebis. Deos obsecro, ut te nobis conservent, et valere nunc et semper patiantur, si non populum Romanum perosi sunt.*

---

10. Haec ab Augusto peramanter scripta sunt ad Tiberium foris nescimus ubi gentium belligerantem. Illud tamen in confessis erit, ejusmodi epistolas, in quibus vitricus privignum istum suum ut peritissimum rei militaris atque unicum Populi Romani praesidium prosequatur, non esse exaratas ante a. U. C. 757. s. 4. p. Chr., quo anno illum *reipublicae caussa*, ut jurabat, adoptasset et Tribuniciae potestatis consortem iterum fecisset. Tiberio etiam inde ab hoc anno demandata est gravissimorum quorumque bellorum administratio, qua inclaresceret. — Graeca in Codd. plerumque corruptissima sunt: vid. Turnebus Advers. Libr. XIV. c. 14. et BCrusius ad h. l. Pro *ταῖς Μούσαις* legitur in al. Codd. *τοῖς σοῖς* et *ταῖς σαῖς*, quod ad Liviam et Juliam uxorem relatum non displicet Torrentio. In Memm. et Medic. trib. invenitur *ἐμοὶ καὶ ταῖς Μούσαις*, quod mihi unice verum commodumque videtur. Torrentius insulse quaerit: quid Musis cum Marte? Refert autem ad studia, quae Tiberius exemplo vitrici in hibernis tractaverit. Ita Burmannus, qui affert Cannegieteri Diss. de Brittenburgo c. 13. Assentitur etiam BCrusius et comparat Horat. Libr. III. Od. 4. v. 37 sq., nisi forte praestat *ταῖς Μούσαις στρατηγεῖν* sic accipi, ut omnino in Musarum gratiam militare dicatur, qui pacem restituat, qua demum parta artes earumque studia florent. Vulgata *νομιμώτατε* i. e. *spectatissime, probatissime* videtur sana esse.

11. Oudendorpio suasore, recepi *ἀπροθυμίαν* pro *ῥαθυμίαν:* nam difficultatibus, quibus luctabatur Tiberius, accenseri potest non tam ignavia quam detractatio militum satis alacriter ad jussa Tiberii nolentium munia obire et invite nec libenter parentium: Oudendorpius apte confert Xenoph. Cyrop. Libr. VI. c. 10. §. 7. Cogitemus licet de Tiberii bello adversus Dalmatas et Pannonios difficillimo a. U. C. $7\frac{59}{62}$ s. $\frac{6}{9}$ p. Chr., vel potius de ejus in Galliam et Germaniam missione a. U. C. $7\frac{63}{64}$. — *Versum in te posse dici* ponitur pro *de te* sive casu quarto accipis sive sexto: videsis Heusingerum et Zumptium ad Cicer. de Offic. Libr. I. c. 9. §. 2. et quae Moserus ad Cicer. de Legg. Libr. I. c. 19. p. 126. congessit. — Versum Ennii de Fabio Maximo Cunctatore Augustus ad Tiberium transtulit mutata vocula *cunctando:* qua licentia etiam Cicero usus est, monente Wolfio.

12. Manifestum est, a vv. *sive quid incidit* etc., alius epistolae et a praecedente plane diversae particulam incipere. Hinc natum illud *inquit* post *sive*, quod in plur. Codd. abest et ab Intpp. recent. jure omissum est. Suetonius enim ex Epistolis Augusti ad Tiberium pauca in exemplum hinc inde subjecit, ut ipse testatur. *Stomachari quid* ut Cicero ad Attic. Libr. XIV. ep. 21. §. 3. *stomachari omnia* i. e. aegre, indigne ferre, irasci. — Homeri versus ex Iliad. Libr. X. v. 246., in quibus scribendis Wolfium secutus sum.

13) Codicum opt. et plur. consensui obsecutus, suadentibus Oudendorpio et Wolfio, pro vulg. *rogo* reposui *teque oro.* — *Summam imperii* cape eo sensu, quo legitur apud Livium Libr. V. c. 54. et ap. Sueton. Ner. c. 3. — Gronovius, Oudendorpius et Drakenb. ad Livii Libr. XXX. c. 21. §. 7. omittunt Praeposit. *de*, quae abest a nonnullis libris. Patitur quidem Latinitas; sed habemus hic verba Augusti, quem perspicuitatis in Praepositionum usu studiosissimum fuisse, docuimus supra Libr. III. Excurs. I. p. 137. Omissa autem Praepositione *de* perspicuitati officitur: recte eam tuitus est Wolfius.

Suetonius August. c. 51.

14. *Aetati tuae, mi Tiberi, noli in hac re indulgere, et nimium indignari, quemquam esse, qui de me male loquatur. Satis est enim, si hoc habemus, ne quis nobis male facere possit.*

Suetonius August. c. 40.

15. Tiberio, pro cliente Graeco petenti, rescripsit: *Non aliter se daturum, quam si praesens sibi persuasisset, quam justas petendi caussas haberet.*

Charisii Inst. Gr. Lib. II. c. 14. §. 144. L.

16. Quamquam Divus Augustus reprehendens Tib. Claudium ita loquitur: *Scribis enim perviam ἀντὶ τοῦ obiter.*

IV.

Ad Gajum Caesarem nepotem.

Isidori Hispal. Origin. Lib. I. c. 24. §. 2.

17. Caesar quoque Augustus ad filium, *Quoniam*, inquit, *innumerabilia incidunt assidue quae scribere alterutrum oporteat, et esse secreta, inter nos habeamus notas si vis tales, ut, cum aliquid notis scribendum erit, pro unaquaque litera scribamus sequentem hoc modo, pro a b pro b c et deinceps eadem ratione caeteras; pro z autem litera ad duplex a redeundum erit.*

Gellius N. A. Lib. XV. c. 7.

18. Cum librum Epistolarum divi Augusti, quas ad Gajum nepotem suum scripsit, legeremus, duceremurque elegantia orationis neque morosa neque anxia, sed facili hercle et simplici, id ipsum in quadam epi-

---

14. Augustus conquerenti olim violentius apud se Tiberio per epistolam de hominibus male opinantibus loquentibusque ea, quae hic legimus, rescripsit. Quare *aetati indulgere* h. l. est obsequi aetatis calori ad vindictam prono. Verbum *indulgere* illustravit Burmannus ad Quintilian. I. Or. Libr. III. c. 5. p. 724. Caeterum quem haec Augusti verba spirant animum clementem civilemque, de eo perquam scite quaedam admonuit C. Passovius in Vit. Horat. p. CXIII. N. 256.

15. Suetonius narrat, Augustum magni existimasse sincerum atque ab omni colluvione peregrini ac servilis sanguinis incorruptum servare populum, ideoque civitatem Romanam parcissime dedisse. Sic Liviae, pro quodam tributario Gallo roganti, civitatem negavit, immunitatem obtulit, affirmans: „*Se facilius passurum fisco detrahi aliquid quam civitatis vulgari honorem*“ i. e. vulgo eam et promiscue tribui, cum pluribus communicari: vid. Duker. ad Liv. Libr. X. c. 23. §. 10. Hoc Augusti responsum voce Liviae datum Fabricius injuria accensuit epistolarum ad Liviam Fragmentis p. 146., licet vv. *negare* et *affirmare* aperte doceant, illud coram datum esse. Fabricium in fraudem induxit, quod ap. Suetonium eod. Capite hujus, qua de agitur, Epistolae ad Tiberium particula profertur; sed huic pro cliente Graeco per epistolam petenti *rescripsit* Augustus. Istud Augusti responsum fortasse haustum est ex diurnis Commentariis: vid. Sueton. Aug. c. 64. ibiq. Casaub. p. 391. W.

16. Operae pretium visum est, hoc, quod Charisius habet, epistolae veluti frustulum fusius tractare infra Excurs. III.

IV. 17. Isidorus de Notis Litterarum locutus pergit §. 2.: „Caesar quoque Augustus ad Filium“: ubi perquam ambiguum est, de quo privignorum nepotumve cogitandum sit. Rutgersio praeeunte, Fabricius sine ulla dubitatione hoc epistolium in Fragm. Epist. ad Tiberium p. 149. posuit. At nusquam, quod equidem sciam, Tiberius, ne post adoptionem quidem, apud ullum scriptorem Augusti *filius* simpliciter appellatus est: vid. Sueton. Aug. c. 65. Tiber. c. 15.; sed nepotes ejus, C. et L. Caesares, a. U. C. 737. s. 17. a. Chr. adoptati, constanter *Filii* audiunt. Itaque alterutrum necesse est intelligamus ap Isidorum: utrumque enim Augustus mature docuit *notare*, ut supra §. 3. s. fin. ostendi. Casaubonus ad Sueton. Aug. c. 88. p. 457. W. intelligit *Gajum Caesarem* inque ejus sententiam transeo propter ea, quae supra §. 1. adnotavi. Caeterum cur Casaubonus hanc Epistolam appellaverit insipidam et insulsam, quam Isidorus εὐήθως protulerit, fateor, me non exputare.

18. Haec Epistola ad C. Caesarem, qui procul in Oriente bello Parthico distinebatur, scripta est paulo post diem 23 Septembris a. U. C. 754. s. 1. p. Chr., quo die Augustus auspicatus annum quartum et sexagesimum evaserat κλιμακτῆρα annum 63., de quo videatur Censorinus de D. N. c. 14. ibique Intpp. §. 14. Hanc Epistolam siquam aliam Imperator senex animo candido laetoque exaravit et gratulatus est sibi felicissimum per nepotes rei publicae statum cum praesentem tum futurum, nequaquam subveritus, ne hanc sibi felicitatem Fortuna sinistra umquam eversura esset. Eam Epistolam,

stola super eodem anno scriptum offendimus, ejusque epistolae exemplum hoc est: *IX Kalend. Octobr. Ave, mi Gai, meus ocellus jucundissimus: quem semper medius fidius desidero, cum a me abes; sed praecipue diebus talibus, qualis est hodiernus, oculi mei requirunt meum Gajum: quem, ubicunque hoc die fuisti, spero laetum et bene valentem celebrasse quartum et sexagesimum natalem meum. Nam, ut vides, κλιμακτῆρα communem seniorum omnium tertium et sexagesimum annum evasimus. Deos autem oro, ut, quantumcunque superest temporis, id salvis vobis traducere liceat in statu reipublicae felicissimo, ἀνδραγαθούντων ὑμῶν καὶ διαδεχομένων stationem meam.*

V.

Ad Agrippinam neptem.

Suetonius Calig. c. 8.

19. *Puerum Gajum quintodecimo Kalendas Junii, si Dii volent, ut ducerent Talarius et Asellius, heri cum his constitui. Mitto praeterea cum eo ex servis meis medicum, quem scripsi Germanico, si vellet, ut retineret. Valebis, mea Agrippina, et dabis operam, ut valens pervenias ad Germanicum tuum.*

Suetonius August. c. 86.

20. Et quadam epistola Agrippinae neptis ingenium collaudans: *Sed opus est*, inquit, *dare te operam, ne moleste scribas, et loquaris.*

VI.

Ad M. Antonium.

Suetonius August. c. 7.

21. Sed et a M. Antonio in epistolis per contumeliam saepe *Thurinus* appellatur: et ipse nihil amplius quam, *mirari se*, rescribit, *pro opprobrio sibi prius nomen objici.*

---

quam Norisius in Cenot. Pisan. Diss. II. c. 13. p. 247 sq. obiter attingit, recte appellat elegans et affectus plenum specimen Spaldingius ad Quintil. I. Or. Libr. I. c. 6. §. 19. p. 149., quem locum tractabimus infra Excurs. IV.

V. 19. Haec Epistola, Suetonio teste, scripta ab Augusto ante paucos quam obierat menses a U. C. 767 s. 14. p. Chr. novum est documentum φιλοστοργίας, qua ille Agrippae et Juliae subolem amplecti solebat: v. Sueton. Calig. c. 7. Puerum enim *Gajum* i. e. C. Caesarem Caligulam, vixdum bimulum, ut cum Agrippina matre Talarius et Asellius abducerent secum ad Germanicum patrem, illo anno Galliae et octo legionibus Germanicis praefectum, sollicite cum illis constituerat: v. Gronov. Observatt. Libr. I. c. 1. p. 12. *Talarius* et *Asellius* fuerintne liberti Augusti seu Germanici, an cum Oudend. hoc vocandi *T. Alarius* et *A. Silius*, homines aeque incogniti, nemo affirmet. Ab aliis invenitur hic *Asellius Sabinus* ap. Sueton. Tiber. c. 42.

20. Augustus voluit esse suorum utriusque sexus in dicendo scribendoque dictionem accuratam et sine molestia diligentem, ut negligentia vel curae vel artis exularet et omnis affectatio repudiaretur: cf. Bergerus in Rhet. Aug. Spec. I. p. 48. et Meyerus ad Cicer. Brut. c. 30. §. 116. p. 103 sqq. Pro *aut loquaris* ex Codd. cum Paldamo edidi *et loquaris*.

VI. 21. Frequens quia fuerit Augusti cum M. Antonio litterarum et accipiendarum et remittendarum usus, dubitari nequit. Illum tamen usum, inito demum Triumviratu, natum et inde ab a. U. C. 712. s. 42. a. Chr. crebrius frequentatum esse, historia illius temporis evincit. Cujus autem illae maximam certe partem fuerint argumenti, quem pleraeque invicem animum spiraverint, cum ex Cremutii Cordi testimonio apud Tacit. Ann. Libr. IV. c. 34. tum ex Antonii Epistola apud Sueton. c. 69. colligi licet. Ex hoc Epistolarum contumeliosarum genere manifestum est fuisse etiam eam, ad quam de *Thurini* nomine responderet l. c.; vid. Libr. I. Excurs. I. p. 61. Jam quod ego supra §. 1. de Epistolis Ciceronianis suspicatus sum, idem credo obvenisse Antonianis. Quo melius suae apud posteros famae consuleret, nihil erat prudentius, quam ut earum quas posset plurimas, everso M. Antonio, prorsus deleret itaque posteritati invideret. His enim deletis, deletae simul erant testes locupletissimae infucatae in Collegam amicitiae et perfidiosae simulationis et dissimulationis, qua Augustum ab initio usque ad finem Triumviratus usum esse scimus: cf. Dio Cass. Libr. XLIX. c. 18. fin. et Libr. L. c. 2.

Suetonius August. c. 86.

22. M. Antonium ut insanum increpat, quasi ea scribentem, quae *mirentur potius homines, quam intelligant.* Deinde ludens malum et inconstans in eligendo genere dicendi ingenium ejus, addit haec: *Tuque dubitas, Cimberne Annius, an Verrius Flaccus, imitandi sint tibi, ita ut verbis, quae C. Sallustius excerpsit ex Originibus Catonis, utaris? an potius Asiaticorum oratorum, inanibus sententiis, verborum volubilitas in nostrum sermonem transferenda?*

Charisii Inst. Gr. Libr. I. p. 103. P., Tom. IV. p. 74. L.

23. Augustus ad Antonium: *Fretu cessi.*

VII.

Ad C. Maecenatem.

Macrobii Saturn. Lib. II. c. 4. p. 341. Bip.

24. Augustus, quia Maecenatem suum noverat esse stilo remisso, molli, et dissoluto, talem se in epistolis, quas ad eum scribebat, saepius exhibebat, et contra castigationem loquendi, quam alias ille scribendo

---

22. Antonianum dicendi scribendique genus, de quo Drumannus H. R. Vol. I. p. 504. copiosius scripsit, Augustus aeque ac Cicero Phil. III. c. 19. et XIII. c. 18. insectatus est et hoc in Epistolae majoris *ἀποσπάσματι* malum ejus et inconstans in eligendo dicendi scribendique genere ingenium cum tecta quadam acerbitate lusit. Illa autem Epistola dubitari nequit quin, si non primis, certe mediis Triumviratus annis exarata fuerit, quibus, gliscentibus in occulto discordiis, leviorum modo rerum curae utriusque Triumviri animos vexarent et ad tempus distraherent. Quo rectius autem illius Epistolae acumen assequamur, animum advertamus necesse est consuetam Suetonio scribendi rationem et artem. Augustus, ait Suetonius, Cacozelos et Antiquarios, ut diverso genere vitiosos, pari fastidio sprevit. Jam ex illis nominat Tranquillus prae caeteris Maecenatem, quem ideo nonnumquam ille exagitaverit: vid. infra N. VII. 24.; ex his Tiberium profert, qui interdum exoletas et reconditas voces aucupatus fuerit; sed multo acrius eo nomine vituperatum fuisse dicit M. Antonium, utqui se in *reconditorum verborum foetoribus*, quos dictitabat ipse Augustus, scribendo jactaverit, ac tantopere hocce modo insanierit, ut intelligi non potuerit: vid. ad Libri III. Excurs. I. p. 136 sq. Illud Antonii studium *τοῦ ἀρχαιολογεῖν* Augusto non poterat non eo magis ridiculum insulsumque videri, quo ille studiosius alias in dicendo genus oratorum Asiaticorum luxurians illud copia verborum et figurarum luminibus splendens affectabat: cf. Plutarch. Anton. c. 2. His dictis, consequens et manifestum est, in Augusti verbis nequaquam de Cacozelis, sed unice de Antiquariis sermonem esse. Ex his haud ignobile par Antonio imitandum *εἰρωνικῶς* praeponitur, *Annius Cimber* et *Verrius Flaccus:* de quorum nominibus vitiosa scriptura h. l. controversis nonnulla conjeci in Excurs. V.

23. Hoc Epistolae veluti frustulum unde a Charisio desumptum fuerit, nemo facile definire queat. Scripsit Augustus, auct. Dione Cass. Libr. L. c. 9., ad M. Antonium a. U. C. 722. s. 32. a. Chr. qui cursum tum ad Italiam intenderet, inopinantibus adversariis bellum illaturus: in qua Epistola fortasse memorabatur *Fretum* sc. Siculum, nisi forte praestat cogitare de belli Siculi temporibus. *Fretu* dixit etiam Cicero Libr. V. in Verr. c. 66. §. 169. ibiq. v. Zumptius p. 986. cl. Seyferti Gr. L. §. 105. — Augustus, teste Appiano B. C. Libr. V. c. 63., monitus a Coccejo, ut post mortem Fulviae ad Antonium scriberet, negavit se ad hostem scripturum, sed matri ejus Juliae, quae Italiam sine idonea caussa reliquisset, de fuga ejus questus scripsit. Num Augustus cum Cleopatra a. U. C. 724. s. 30. a. C., clam Antonio, de separatae pacis conditionibus per litteras an per nuntios et interpretes collocutus fuerit, ambiguum esse sinit Dio Cass. Libr. L. c. 6.

VII. 24. Quam Augustus, ipse *εὐζηλίας* studiosissimus, perhibetur, teste Suetonio, usquequaque persecutus esse Maecenatis *κακοζηλίαν* i. e. malam affectationem, qua quis in dicendo scribendoque quidquid ultra virtutem praedulce, abundans, arcessitum, exsultans et tumidum est, sectetur; eam in Epistolis ad amicum illum per jocum imitando irrisisse fertur et quod nobis a Macrobio feliciter asservatum est hujuscemodi Fragmentum est sane antiquitatis Romanae *καλόν τε καὶ θαυμαστόν τι χρῆμα*! Jam si Macrobio fides est, talem se Augustus saepius exhibuit in Epistolis ad Maecenatem: quod tamen cave ita intelligas ac si ille integras longasque Epistolas aliquoties exaravisset, in quibus, Maecenatis instar, *οὐ μόνον ταῖς ἐννοίαις ἡδὺς ἀλλὰ καὶ τῇ φράσει κομμωτικὸς* esset; sed haud dubie quoties certa quaedam caussa et idonea occasio ipsi esset oblata, toties per singula tantum Epistolae *κῶλα* amicum jculariter ludificatus est. Quare ego non vereor ne fallar suspicatus, apud Macrobium a nobis legi ejusmodi particulam Epistolae de alia qualicumque re scriptae eamque clausulam, qua amico jocose valedixerit. Illa enim verba, ut Macrobius aperte dicit, Augustus subtexuit familiari Epistolae, iisque singulari artificio contextis mollem illius, nimis discinctam elumbemque dictionem venuste irrisit. Singulae voces *ἀσυνδέτως* coacervatae nihil sapiunt redolentque nisi mel aliasque delicias. Primum molli-

servabat, in epistola ad Maecenatem familiari plura in jocos effusa subtexuit: *Vale, mel gentium, melcule, ebur ex Etruria, laser Arretinum, adamas supernas, Tiberinum margaritum, Cilniorum smaragde, jaspi figulorum, berylle Porsenae: carbunculum habeas, ἵνα συντέμω πάντα, μάλαγμα moecharum.*

Suetonius d. Vit. Horat. §. 2.

25. Augustus ei epistolarum officium obtulit, ut hoc ad Maecenatem scripto significat: *Ante ipse scribendis epistolis amicorum sufficiebam: nunc occupatissimus, et infirmus, Horatium nostrum a te cupio abducere. Veniet ergo ab ista parasitica mensa ad hanc regiam, et nos in scribendis epistolis juvabit.* Ac ne recusanti quidem aut succensuit quicquam, aut amicitiam suam ingerere desiit.

---

tiem, qua Maecenas diffluebat dictionemque in utroque sermonis genere enervabat, repetita mellis mentione cum aculeo attingit; deinde nimium amorem, quem ab eo in gemmas pretiososque lapillos impensum fuisse novimus, ridiculo modo incessit et denique paucis iisque Graecis verbis impudicam mulierosamque ejus vitam paulo acerbius notat. Hocce Epistolae *ἀποσπασμάτιον*, quod utrum Augustus scribendi itaque formandi peculiarem habuerit caussam, nec ne, infra investigabimus, in Libris Mstis exaratum invenitur levi et nulla prope varietate, sed tamen verbis scatet non tam vitiatis et per librariorum culpam corruptis, quam obscuris et reconditioris significationis, utquae Augustus aut cum putida quadam diligentia undique conquisita coacervatim composuerit aut ipse callido et ludificabili ingenii acumine commentus finxerit, ut ad famigeratam Maecenatis *κακοζηλίαν* quam proxime accederet. Quae cum ita sint, necesse est, multum leporis, qui singulis inest verbis, ad nostros sensus pereat. Propterea valde etiam dubito, num multum auxilii exspectandum sit a Codicibus Msstis. Certe Codex Gudianus N. 312. Saec. XIII., cujus collationem ab humanitate Schoemanni V. Cl. facile impetravi, mihi parum opis attulit. Neque etiam mirabimur, permultos eosque divinandi arte sagacissimos Viros in enucleando et eruendo singularum dictionum acumine mirifice se torsisse atque incassum sudasse. Praeter Macrobii Editores, apud quos jam numerosissima correctionum, quas certatim tentarunt, copia invenitur, peculiarem interpretis operam huic Epistolae Fragmento impenderunt Petr. Crinitus de Honest. Discipl. Libr. XXIV. c. 12. Sim. Bosius ad Cicer. Epist. ad Attic. Libr. VIII. 15. L. Gyraldus de Hist. Poet. Dialog. IV. p. 152. Opp. Casaubonus ad Sueton. Aug. c. 86. Schottus Observ. Libr. II. c. 60. Meibomius in Maecen. c. 23. §. 9. G. de Rhoer de Caes. Aug. Studiis c. II. §. 16. et nuper Lion in Maec. c. 4., quos omnes in rem meam adhibui eorumque conjecturas examinavi infra Excurs. VI.

25. Memorabilis et jucunda Epistola, quae satis declarat, Augustus quanti fecerit Horatii vitam moresque in rebus honestis perspectos et quam enixe cupiverit Poetam, pristinae memorem libertatis et ab aula principali alienum, liberalitatibus gratiaeque documentis sibi familiariter devincire. Qua de caussa per Maecenatem, in cujus convictu jam aliquot annos fuerat, ei obtulit epistolarum ad amicos scribendarum officium. Quo anno illud epistolium exaratum sit, hodieque in controversia versatur. G. F. Grotefendus in Erschii Encyclop. Sect. II. Tom. 10. p. 470. subtiliorem, quam sequitur, rationem nemini facile persuadebit; probabilior est opinio Wielandi ad Horat. Libr. II. Ep. 1. p. 29. N. assignantis h. Epistolam a. U. C. 729.; sed cum Augustus se dicat occupatissimum esse et infirmum, multo, opinor, veri similius Masson in Vit. Horat. p. 226. eam refert ad a. U. C. 731. s. 23. a. Chr., quo anno Augustus gravissimo morbo per Antonium Musam levatus sensim convalescebat. Cf. Jahnii et Seebod. Annal. Paedag. 1832. Vol. IV. p. 474. Qui cum P. Crinito Libr. III. c. 38. p. 431. et Rutgersio Venus. Lect. c. XXX. p. 409. ut omnino Vitae Horat. a Suetonio scriptae *γνησιότητα* in suspicionem adducunt, ita inprimis Augusti verba cum virga quadam censoria notant, non sunt audiendi, in mensa Maecenatis *parasitica* et *regia* Augusti nescio quid difficultatis invenientes. „Sed illi, inquit Peerlkampius ad Horat. Libr. IV. od. 5. p. 393., non cogitarunt differre *coenam regiam* et *coenam regis*. Nam *coena regia*, ut *regalis*, significat etiam *rege digna, splendida, liberalis*." Accommodate confertur Polyb. Libr. X. c. 40., ubi Scipio *συναθροίσας τοὺς Ἴβηρας, βασιλικὸς μὲν, ἔφη, βούλεσθαι καὶ λέγεσθαι παρὰ πᾶσι καὶ ταῖς ἀληθείαις ὑπόρχειν· βασιλεύς γε μὴν οὔτε ἐθέλειν εἶναι οὔτε λέγεσθαι παρ᾽ οὐδενί.* Omnino utriusque nominis usu in familiari hac Epistola ludit Augustus nihil extimescens neque amici offensionem, nedum populi invidiam. Caeterum, quod est in Editt. Mureti, Cruq. et Rutgers. *nostrum te cupio adducere*, id, invita Minerva, repetiit Peerlkampius pro *a te cupio abducere*, quam lectionem confirmat Cod. Vanderb. φ, ut etiam idem *adjuvabit* pro *juvabit* edidit. Ego cum recentt. Editt. secutus sum Bentlejum et Oudendorpium, quorum posterior nos ablegat ad Miscell. Observ. Vol. VII. p. 93. Cum nonn. editt. Codex Vanderb. habet *veniat:* sed Futurum Principi convenientius!

VIII.

Ad P. Virgilium Maronem.

Tib. Donati Vit. Virg'l. XII. §. 46.

26. Augustus vero, cum tum forte expeditione Cantabrica abesset, et supplicibus atque minacibus per jocum literis efflagitaret, ut sibi de Aeneide, ut ipsius verba sunt, *vel prima carminis hypographa, vel quodlibet colon mitteret*, negavit se facturum Virgilius; cui tamen multo post, perfecta demum materia, tres omnino libros recitavit: secundum videlicet, quartum, et sextum. Sed hunc praecipue ob Octaviam: quae, cum recitationi interesset, ad illos de filio suo versus, „Tu Marcellus eris," defecisse fertur: atque aegre refocillata, dena sestertia pro singulo versu Virgilio dari jussit.

Prisciani Lib. X. c. 8. p. 901. P., Vol. I. p. 503. Kr.

27. Caesar ad Virgilium: *Excucurristi a Neapoli.*

IX.

Ad Q. Horatium Flaccum.

Suetonius d. Vit. Horat. §. 4.

28. *Sume tibi aliquid juris apud me, tanquam si convictor mihi fueris: recte enim, et non temere feceris: quoniam id usus mihi tecum esse volui, si per valetudinem tuam fieri possit.*

Suetonius d. Vit. Horat. §. 4.

29. *Tui qualem habeam memoriam, poteris ex Septimio quoque nostro audire; nam incidit, ut illo coram fieret a me tui mentio. Neque si superbus amicitiam nostram sprevisti, ideo nos quoque ἀνθυπερφρονοῦμεν.*

VIII. 26. Qui a me hic propositus est locus Donati Vit. Virgil. XII. §. 46. pauca certe continet genuina Augusti verba ex aliqua epistola ad poetam Mantuanum, quibus reliqua huc facientia attexere placet infra Excurs. VII. In illis verbis *Hypographa* est vox ignorabilis, ut Gesnerus ad Claudian. Epist. III. v. 23. ait. Burmannus p. VI. no. 32. suspicatur *primam ὑπογραφήν*. Gesnero *hypographa* videntur esse primum in chartas vel ceras aut poetae manu aut librarii conjecta, quos *liturarios* Ausonius N. 350. §. 2. appellat. Burmanno formam nominis Graecam restituenti assentior, sed ab Augusto scriptum fuisse suspicor: *vel prima carminis ὑπόγραφα vel quodlibet κῶλον*. Forcellini s. h. v. praeter *ἅπαξ. λεγόμενον Hypographum*, *Grundriss*, *Umriss*, *Entwurf*, etiam Gr. *ὑπόγραφον* profert, quod Lexicographi Gr. ignorant.

27. Paucula haec Augusti verba attigi jam supra Libr. III. Excurs. I. p. 137.

IX. 28. Quae h. l. deinceps sequuntur epistolarum ad Horatium fragmenta, ea nullus dubito quin a Suetonio hausta esse dicam ex chartis Augusti autographis. Nihil enim siquid sentio in eis deprehenditur, quod Principis illius in scribendo elegantiae adversetur aut ab ejus in agendo dignitate abhorreat. Horatii ingenium simul adspectum nequaquam ab Augusto, Pompejani spiritus Satirographum peroso, etiam probatum laudatumque est. Elapso demum multorum annorum spatio vatem quoque Venusinum, Maecenate potissimum intercedente et commendante, pluris in dies aestimare, admirari et animi candorem ejus adamare coepit et fortasse, Virgilio demum amisso afflictus, impensius cupiit, Horatio familiarius uti eumque habere in domesticis convictionibus. Quare affirmare ausim, ea quae h. l. legimus, scripta esse post a. U. C. 735. s. 19. a. Chr.

29. Wielandus hanc epistolam in Hispania a U. C. 729. s. 25. a. C. scriptam esse censet; Grotefendus eam assignat a. U. C. 735. s. 19. Neutrius opinionem probo. Quid? si adscribimus eam Augusti in Gallia absentiae per annos U. C. 739—740? Augustum peregre tunc temporis fuisse inque comitatu secum habuisse *Septimium*, in aprico est. De hoc *Septimio* copiose exposui in Comment. *de T. Septimio Poeta* §. 3. p. 375., quibus adde quae habet Orellius ad Horat. Libr. II. od. 6. et Libr. I. Epist. 9. Ego non dubito quin idem utrobique domus principalis amicus et familiaris intelligendus sit. — Rutgers. et Fabricius dederunt *qualem habeo* pro *habeam:* quod licet defendi queat, praesertim in stylo epistolari, v. Haase ad Reisigii Prael. d. L. L. §. 329. N. 504.; tamen aureae aetatis consuetudinem cum Oudendorpio et Wolfio praeferre malui: v. Zumpt. ad Cicer. Verrin. Libr. II. c. 53. §. 131. Vol. I. p. 366 sq. — Vocabulum Gr. in Codicibus monstrose corruptum, ut enotavit Richter in Sueton. Vit. Horat. p. 36 sq. Ambigitur inter *ἀνθυπερφρονοῦμεν* et *ἀνθυπερηφανοῦμεν:* illud ex apogr. Bernardini Lauredani

Suetonius d. Vit. Horat. §. 6.

30. *Irasci me tibi scito, quod non in plerisque ejusmodi scriptis mecum potissimum loquaris. An vereris, ne apud posteros tibi infame sit, quod videaris familiaris nobis esse?*

Suetonius d. Vit. Horat. §. 7.

31. *Pertulit ad me Dionysius libellum tuum, quem ego, ut accusem te, quantuluscunque est, boni consulo. Vereri autem mihi videris, ne majores libelli tui sint, quam ipse es. Sed si tibi statura deest, ventris abunde est. Itaque licebit in sextariolo scribas, quo circuitus voluminis tui sit ὀγκωδέστατος, sicut est ventriculi tui.*

Suetonius d. Vit. Horat. §. 5.

32. Praeterea saepe inter alios jocos *putissimum penem, et homuncionem lepidissimum* appellat unaque et altera liberalitate locupletavit.

X.

Ad L. Vinicium.

Suetonius August. c. 64.

33. Extraneorum quidem coetu adeo prohibuit, ut L. Vinicio, claro decoroque juveni, scripserit quondam, *Parum modeste fecisse eum, quod filiam suam Bajas salutatum venisset.*

---

edidit Muretus itemque Cruquius, sequentibus Rutgersio et Fabricio, et Oudendorpio non diffitente, id retineri posse, si constet in Mss. plane reperiri; hoc a correctione P. Nannii profectum cum Casaub. Bentlej. aliisque plurimis ediderunt Oudend. Wolf. et BCrusius, quia significantius sit et Codicum vestigiis propius accedat. Concedendum quidem est, v. ὑπερηφανεῖν ab optt. scriptt. frequentari; at decompositum v. ἀνθυπερηφανεῖν, quod sciam, nusquam nisi h. l. occurrit. Itaque satius duxi, magis obvium illud *ἀνθυπερφρονοῦμεν, vicissim superbi sumus,* cum Mitscherl., Fea, Vanderbourg. in textum revocare.

30. Caussam et occasionem scribendae hujus Epistolae oblatam fuisse Augusto accepta Horat. Libr. I. Epistola 13., suspicatus sum in Prolus. de Horat. Epist. §. 8. (v. Lection. Venus. p. 82. Grimmae 1843. 8.) ibique ostendi, non cum Wielando de *Satiris* cogitari posse, sed aliquot *Epistolas* oportere intelligi: qua in re mihi assensum praebuerunt C. Passovius in Vit. Horat. N. 254. et Jacobs in Lectt. Venus. IV. p. 359. N. 4. Quod nonnull. Editiones vett. habent *iratum me* etc., cum paucis aliis edidit Gesnerus.

31. En specimen Augusti cum Horatio necessitudinis admodum notabile! Quod cum in singulis hic illic lacunas habeat et verborum explicatus difficiliores, id paulo fusius mihi tractandum est infra Excurs. VIII.

32. Dubius aliquamdiu haesi, num haec ad Caesaris Augusti Dicta referrem, an in ejus ad Horatium aliosve epistolis lecta a Suetonio et inde huc translata existimarem. Tandem, re diutius perpensa, ut iis inter Epistolarum Fragmenta locum concederem, me permovit firmissima lectio *appellat* pro *appellabat*. Praesens enim tempus legitimum est, quum de libris adhuc exstantibus sermo est. Sic ap. Sueton. de Clar. Rhetor. c. 2. Muretus Var. Lectt. XVI. c. 11. pro *significabat* eleganter et vere correxit *significat:* vid. ibi Wolfius, qui et h. l. de scriptis jocosis, ut Epistolis cogitat. — *Penis, τὸ αἰδοῖον*, ubi pro homine virilis sexus dicitur, uti *cunnus* pro femina, sapit aevi veteris simplicitatem priscamque loquendi scribendique rationem et invenitur inter jocosas familiarium compellationes: v. Heindorf. ad Horat. Libr. I. Sat. 2. v. 36 et Satir. 3. v. 107. Jam Ciceronis tempore illud vocabulum erat in obscoenis, ut ipse ait in Epistol. ad Divers. Libr. IX. 22. §. 2. Augusti licentiam in ejusmodi verborum usu cognovimus supra Libr. II. §. 3. Vulg. *purissimum penem*, quam memoria nostra Vanderbourgius unanimi suorum Codicum consensu acriter defendit, plerique Editores Horatii et Suetonii mutarunt in *putissimum*, obsecuti Oudendorpio recte monenti: „Jocosius et magis conveniens sequenti adpellationi *homuncio lepidissimus* legitur a Scaligero in Catalect. Virgil. p. 244. et editur a Bentlejo *putissimum penem.* Est enim *putus, μικρός:* sed cui magna inest lascivia. Adi et Vossium in Etymol." P. Nannius conjecit *purissimum pene:* id quod per se ineptum, gratum tamen illis, qui inde grave pro castitate Horatii testimonium derivari vellent: cf. Lessing Opp. Tom. IV. p. 12. Berol. 1838. 8.

X. 33. Huic Fragmento Epistol. Rutgersius et Fabricius titulum dederunt: „*Ad L. Tucinium,*" secuti vitiosam Codd. Sueton. scripturam, quae longum est enumerare quot et quantas in Msstis subierit corruptelas et VV. DD. ariolationes. Videsis Burm. et Oudend. ad h. l. Qui ex aliq. Codd. scriptura *L. Vicinio* fecerunt *L. Vinicio,* mihi videntur rem acu tetigisse et cognominem convivam, quem Augustus in Epistol. ad Tiberium N. 5. commemoret, esse unum eumdemque *Vinicium* pro certo affirmare cum aliis non dubito. Nonnulla de diversis, qui sub Augusto et Tiberio innotuerunt, *Viniciis* congerere placuit infra Excursu IX. — Boxhornii conjectu-

XI.

Ad Senatum.

Seneca de Brevit. Vit. c. 5. §. 1.

34. Divus Augustus, cui dii plura quam ulli praestiterunt, non desiit quietem sibi precari, vacationem a Republica petere. Omnis ejus sermo ad hoc semper revolutus est, ut sibi speraret otium. Hoc labores suos, etiamsi falso, dulci tamen oblectabat solatio: „*aliquando se victurum sibi.*" In quadam ad Senatum missa epistola, quum requiem suam non vacuam fore dignitatis nec a priore gloria discrepantem, pollicitus esset, haec verba inveni: „*Sed ista fieri speciosius, quam promitti possunt. Me tamen cupido temporis optatissimi mihi provexit, ut quoniam rerum laetitia moratur adhuc, praeciperem aliquid voluptatis ex verborum dulcedine.*" Tanta visa est res otium, ut illam, quia usu non poterat, cogitatione praesumeret!

Suetonius August. c. 42.

35. Magna vero quondam sterilitate ac difficili remedio, quum venalitias et lanistarum familias peregrinosque omnes, exceptis medicis et praeceptoribus, partemque servitiorum Urbe expulisset: ut tandem annona convaluit, *impetum se cepisse*, scribit, *frumentationes in perpetuum abolendi, quod earum fiducia cultura agrorum cessaret, neque tamen perseverasse, quia certum haberet, post se per ambitionem quandoque restitui.*

XII.

Suetonius Ms. de Natur. Rer. Excerpt. Tom. III. p. 76. Wf.

36. Et Augustus ait: *nos venimus Neapolim, fluctu quidem coeco.*

§. 5.

Allatis Caesaris Augusti Epistolis, quarum breviora longiora ad nostram aetatem pervenere Fragmenta, superest, ut, quas crebro cum ad alios Romanos, tum etiam ad alienigenas Principes et Populos ab eo scriptas et ultro citroque missas esse scriptores passim memoriae produnt, breviter ac velut per saturam componamus. Plerumque in transcursu commemorantur earumque argumentum quale fuerit universe significatur. Neque illae de rebus tantum publicis

---

ram legentis *parum honeste* supervacaneam recte judicat Oudend. Caeterum ego non intelligo, cur Krausius de Fontib. Sueton. p. 34. dubitet, num Tranquillus ipse has *ad Vicinium* (ita h. hominem appellat!) litteras autographas legerit.

XI. 34. Hanc otii spem et cupidinem simulatam fuisse ab Augusto, ut precibus Senatus videretur cogi ad retinenda imperii gubernacula, res confessa satis est et evidens. Vide ejus orationem ap. Dionem Cass. Libr. LIII. c. 2 sqq., de qua egi supra Libr. III. §. 3. p. 126 sq., et compara ejus Edictum ap. Sueton. c. 28., de quo suo loco dicam. Sincerus et integer animi sensus, quo Princeps grandioris jam aetatis affectus haec scripserit, emicat ex illis verbis: „*Sed ista fieri speciosius quam promitti possunt!*" Caeterum ex h. l. colorem suae dictionis duxisse videtur Plinius Libr. III. Epist. 1. §. 11. ibiq. vid. Gierig.

35. Hunc locum Fabricius p. 193. sumptum putat ex Augusti Comment. de Vit. itemque Cortius ad Sallust. Histor. Fragm. p. 503. Fr. Perperam! Quodsi haec sterilitas referenda est ad a. U. C. 759. s. 6. p. Chr. a Dione Cass. Libr. LV. c. 26. et Orosio Libr. VII. c. 3. descripta, illa Augusti verba ne possunt quidem esse ex ejus Commentariis. Krausius de Fontib. Sueton. p. 34. rectiore judicio ea esse statuit ex epistolis ad Senatum. Mihi quoque res, quam tangit, gravissima non ad homines familiares videtur pertinere sed ad Senatum, cui suae actionis rationem reddere suamque prudentiam venditare voluit: vid. Schlosser *Univers. Gesch. d. alt. Welt* Tom. I. 1. p. 342. et Buchholz *Philos. Untersuch. üb. d. Römer* P. II. p. 92. In contextus verbis saniorem rationem secutus sum Paldami.

XII. 36. In quo pauca illa Augusti verba inveniuntur Excerpto, id ex Suetonii libro Msto de Natur. Rerum retulit Oxonio Jac. Gronovius et cum lectionis variae notatione nuper repetivit O. Müllerus ad calcem Sext. Pompej. Festi p. 382. opinatus maximam partem ex Verrio ductam esse. Mihi illa videntur sumpta esse ex epistola, in qua cuiquam suorum de itu et reditu in Siciliam suo scripsisset.

privatisque agebant, sed etiam de litterariis, quarum amore et studio a teneris innutritus usque tenebatur earumque ne per irrequieta quidem tempora Triumviratus et inter infinitas occupationes obliviscebatur.

I. Sic cum P. Attico, quocum non familiaritate solum, sed affinitatis quoque necessitudine conjunctus erat, „nullum, teste Cornelio Nepote c. 20., diem temere intercedere passus est, quo non ad illum vel absentem ab Urbe vel praesentem scriberet, quum modo aliquid de antiquitate ab eo requireret, modo aliquam ei quaestionem poeticam proponeret, interdum jocans verbosiores eliceret epistolas.“ Quod testimonium equidem ita intellexerim, ut statuam, Augustum consuluisse Atticum, veteris historiae scientissimum, si qua sibi res occurrisset, cujus antiquitas obscura esset et incerta. Scimus enim, quantum auctoritatis ac fidei tribuerit antiquitati Augustus ratus, quae vetustatis exemplo communirentur, ea facilius ab aliis comprobatum iri: vid. Libr. III. §. 4. Et poeticas, quas proposuit, quaestiones veri similius mihi est fortasse ad fabulas mythicasque Poetarum narrationes earumque interpretationes spectasse quam ad orationis poeticae formam et artem. [1]) Cum Atticus diem supremum obierit a. U. C. 721. s. 32. a. Chr., manifestum est, litterarum illud commercium viguisse inter Atticum, senem septuagenarium, et Augustum, Triumvir cum adhuc esset.

II. Suetonius de Julii Caesaris scriptis, quae a puero et ab adolescentulo profecta ferebantur, c. 56. locutus, „quos omnes libellos, inquit, vetuit [2]) Augustus publicari epistola, quam brevem admodum ac simplicem ad Pompejum Macrum, cui ordinandas bibliothecas delegaverat, misit.“ Etiam hujus rei, quam jam supra Libr. II. §. 5. N. 17. attigi, curam pertinere arbitror ad Augusti Triumviratum. Quod enim Julius Caesar divina mente conceperat consilium, sapiens illud totique salubre imperio, quas posset maximas publicandi bibliothecas Graecas et Latinas, id post illius caedem dubitari non potest quin Augustus, et pietate in avunculum majorem adductus et praevio Asinii Pollionis exemplo instigatus, per turbulenta quoque Triumviratus tempora alacri animo indefessoque studio persecutus fuerit. M. Terentius Varro, cui Dictator ille curam bibliothecarum illarum et comparandarum et digerendarum a. U. C. $70\frac{8}{9}$ s. $\frac{46}{45}$. a. Chr. dederat, a. U. C. 711. s. 43. septuagenario major ab Antonio proscriptus fuerat. Tametsi necis periculum evasit sospesque rediit, nusquam tamen eum huic muneri iterum admotum esse memoriae proditum legimus. Augustus vero, opus illud quam primum posset perfecturus, videtur interim id negotii mandasse *Pompejo Macro* cuidam, quem aliunde non cognitum habemus. [3]) Verum tamen hoc circiter tempore illum vixisse et in ordinandis bibliothecis publicis Varroni successisse statuo cum J. G. Schneidero de Varronis Vit. et Script. in Script. R. R. Tom. I. 2. p. 223 sqq. Quidquid autem hujus suspicionis est, illud pro certo affirmaverim, factum id esse antequam Bibliotheca Palatina i. e. ante a. U. C. 726. s. 28. a. Chr. condita

---

1) Non possum assentiri Drumanno Hist. Rom. Vol. V. p. 87. scribenti: *Die Fragen in den Briefen des Augustus betrafen ohne Zweifel nur die Metrik und die Prosodie.*

2) Brevis cum fuerit ac simplex illa ad Pompejum Macrum epistola ideoque nihil aliud continuerit quam illud quod vetitum esset fieri, judicio Oudendorpii et Paldami et Codd. assensu Praepos. *in* ante v. *epistola* omisi.

3) Justo levius quaestionem, quis fuerit ille *Pompejus Macer*, attigit Lürsenius de Templ. et Bibl. Apoll. Palat. c. XV. p. 135. Est haec res utique altioris indaginis et latius patet quam quae h. l. a me cum cura tractetur: vide modo sis praeter BCrusium ad h. l. quae Wernsdorfius Poet. L. M. Tom. IV. 2. p. 581. et Ruperti ad Tacit. Ann. Libr. VI. c. 18. Vol. I. p. 503. collegerunt.

eo tecum sum, ut dubitem, an incipiam non epistolas, sed codicillos tibi scribere; ubi Lipsius id discriminis facit, ut *epistolae* ad absentes aut quasi absentes, *codicilli* autem ad praesentes mittantur.[1]) Praeterea Codicillorum usui adhaesit notio majoris cujusdam familiaritatis interiorisque necessitudinis, qua qui codicillis inter se invicem utantur, aliquanto conjunctiores vivunt.

Sic Augusti Codicillos Livia ad se de acerbitate et intolerantia morum Tiberii scriptos e Sacrario protulit et recitavit, auctore Sueton. Tiber. c. 59. Porro M. Seneca Excerpt. Controv. Libr. IV. p. 413. Bip.: „Cum mortuo in *Lycia*[2]) Gajo Caesare per Codicillos questus esset divus Augustus, ut erat mos illi clementissimo viro, non civiliter tantum, sed etiam familiariter, quod in tam magno et recenti luctu suo homo carissimus sibi pleno convivio coenasset, rescripsit Pollio: Eo die coenavi, quo Herium filium amisi.“ Hos codicillos Augustus, senex jam morosior et inopina nepotum morte percussus, scripsit recenti luctu a U. C. 7$\frac{57}{58}$ s. $\frac{4}{5}$ p. Chr. ad C. Asinium Pollionem, quocum vetus ei erat familiaritas. Hinc eum ob animum a luctus communione alienum increpuit; Pollio autem ita respondit, ut virum ingentis animi malisque insultantem facile agnoscas. Sed *Codicilli* non solum de brevioribus ad familiares epistolis usurpabantur, quas dicimus *Handbriefchen*, *Billet's*, sed illa praesertim aetate de ejusmodi scriptis, quibus Imperatores potissimum alicui mandata dare, munera et honores deferre et certa quaedam officia injungere solebant: qua notione nihil est frequentius ap. argenteae aetatis scriptores, ut praeter Lipsium ad Tacit. Ann. Libr. XIII. c. 20. ostendunt Boetticher in Lexic. Tacit. et BCrusius in Ind. Suet. s. h. v. Ad Augustum quodammodo spectant loci Tacit. Ann. I. c. 6. et Sueton. Tib. c. 22., qui ita: „Hunc (sc. Agrippam Postumum) Tribunus militum custos appositus occidit, lectis codicillis, quibus ut id faceret, jubebatur. Quos codicillos, dubium fuit, Augustusne moriens reliquisset — — an nomine Augusti Livia — dictasset.“ Ejusmodi codicillos dixeris *Cabinetsordren*, *Kaiserl. Befehle.* Denique *Codicilli* sollemni quadam significatione coeptae sunt appellari in Jure epistolae ad heredes scriptae de eo, quod scribentes ab heredibus suam post mortem fieri vellent. Quamquam hoc nomen ab ipso Augusto sic usurpatum, quod quidem sciam, non reperitur: tamen jam aetate ejus Codicillos singulari hac notione appellatos esse, apparet ex Corp. Jur. Civil. Tom. I. Institut. Libr. II. Tit. 25., ubi Eduard. Schraderus p. 407 sq. et Heineccius Antiq. Jurispr. Rom. Libr. II. Tit. 23 — 25. §. 12. p. 464. Mühl. conferendi sunt. Caeterum Codicillos breviter et properanter in tabulis ceratis exaratos, (vid. Manutius ad Cicer. Epist. ad Div. Libr. IX. 26. Vol. II. p. 670. R.) etiam aliis iisque generalioribus declarari nominibus, certum est et evidens. Sic de Augusto legimus ap. Macrobium Saturn. Libr. II. c. 5. p. 347. B. „Admonuit pater scripto:“ ubi intelligemus *Codicillos*, quos Augustus pater in theatro festinanter scripsit et ad praesentem ibidem filiam, Juliam, misit. Serioribus Imperatorum temporibus litterarum nomine designatos esse *Codicillos*, multis ostendit Valesius ad Ammian. Marcell. Libr. XXVIII. c. 1. §. 3. Vol. III. p. 217. Erf.

---

1) Cum Lipsio facit Doederlein *Lat. Synonym.* P. VI. p. 198. s. v. *litterae.* Sub Tiberio mos invaluit, ut supplices Imperatorem praesentem praesentes codicillis sive scripto aliquo adirent, teste Tacit. Ann. Libr. IV. c. 39. ibique Lipsius: quocum tamen cf. supra Libr. III. §. 5. N. 33.

2) In Senec. Editt. vett. *in Syria:* vitiose! Nam Gajum Caesarem, remeantem Armenia, et vulnere invalidum, in urbe Lyciae, Limyra, morbo decessisse extra omnem dubitationem posuit Norisius Cenot. Pis. Diss. II. c. 17. p. 348 sq.

ficio aliquo ornatum esse testarentur eique, vel fidem in gerendis negotiis vel securitatem in itinere praestarent, ita ut nostra lingua reddi queant: *Kaiserl. Empfehlungsschreiben, Kaiserl. Geleitsbriefe.* His dictis adde quae collegit Ruperti ad Tacit. Hist. Libr. II. c. 54.

§. 7.

Porro Suetonius de Augusto c. 50. refert: „In diplomatibus libellisque et epistolis signandis initio Sphinge usus est: mox imagine Magni Alexandri: novissime sua, Dioscuridis manu sculpta, qua signare insecuti quoque Principes perseverarunt.“ 1) Suetonio copiosius hac de re agit Plinius N. H. Libr. XXXVII. c. 1. §. 9.: „Divus Augustus inter initia Sphinge signavit. Duas in matris anulis jam indiscretae similitudinis invenerat. 2) Altera per bella civilia, absente eo, amici signavere epistolas et edicta, quae ratio temporum nomine ejus reddi postulabat, non infaceto lepore accipientium, aenigmata afferre eam Sphingem. Quin etiam Maecenatis rana per collationem pecuniarum in magno terrore erat. Augustus postea ad evitanda convicia Sphingis, Alexandri Magni imagine signavit.“

Prudens transscripsi totum hunc Plinii locum, utqui si non multum obscuritatis, certe quantulamcumque habeat ambiguitatem, hic minime silentio transmittendam. Plinius universe narrat, Augusto anulos, quibus uteretur sigillariciis, fuisse duos, Sphingis imagine caelatos, iisque eum inter initia signasse: quae quidem initia sc. imperii ad Triumviratum referri oportere, evidens est. Nihilque impedit quo minus, Atia matre brevi ante a. U. C. 711. s. 43. a. Chr. ex. defuncta, pro certo statuamus, illos hereditatis jure ad Augustum, unicum illius filium, pervenisse, si quidem anuli non tam inter mundum muliebrem pretiosamque supellectilem numerabantur quam velut originis gentilis indices et testes ad virorum insignia et ornamenta pertinere putabantur: vid. Ch. S. Th. Berndii *Wappenwesen der Griechen u. Römer* p. 110. et 139 sq. In idem illud Triumviratus imperium cadunt etiam quinque illa bella civilia, quae ab eo gesta esse enumerat Suetonius c. 9.

---

1) Codices Msti fluctuant inter *Dioscoridis* et *Dioscuridis:* illud est in gemma ap. Spon. Misc. Erud. Ant. p. 122., hoc in duobus Torrent. et Edit. Rom. sec., eamque scripturam, inquit Oudendorpius, praefero. Nam et sic vetustissima Plinii exemplaria Libr. XXXVII. c. 1. exhibent; et Graece vocabatur *ΔΙΟCΚΟΥΡΙΔΗΣ*, uti gemmae quoque ostentant; qualem vidi Augusti imagine eoque nomine sculptam in Gazophylacio Comitis de Thoms. V. et Hist. Acad. Reg. Inscript. et Litt. Vol. II. p. 409. Eamdem scripturam amplectitur Sillig. in Catal. Artif. p. 193. allegato Meyero ad Winckelmanni Opp. Tom. VI. P. II. p. 298. eamque ego in Suetonium fidenter reduxi. Aliqua dubitatione ibidem retinui *sculpta* pro *scalpta:* quae lectio ex Salmasii et Lessingii discrimine h. v., quod Silligius l. c. Praefat. p. VIII. adoptat, cum Ernestio revocanda erat. Sed de diverso utriusque nominis usu hodieque sub judice lis est! Ego interim facio cum Paldamo, qui, „Verissime, inquit, Oudend. ad Suet. Galb. c. 10. ita utrumque vocabulum distinguit, ut *scalptura* sit rudior, *sculptura* elaboratior. vid. Horat. Sat. 2, 3, 22. ubi male obloquitur Heindorf. Ovid. Met. 10, 248. Vitruv. 4, 6. Docent hoc etiam Graeca *γλύφειν* et *γλάφειν*. Quis umquam audivit artem *γλαπτικήν*? *Scalpo* et *sculpo*, *γλάφω* et *γλύφω* principio idem valebant, sed usu paulatim inter se ita discrepare coeperunt, ut modo dictum est.“ „Wolfius Oudendorpio adstipulatus idem discrimen ponit inter vv. *γλάφειν* et *γλύφειν*, quod immerito in dubium vocat Passovius s. v. *γλύφειν*. Heindorfius negat in his verbis ullam esse Msstorum auctoritatem: idque judicium approbat Silligius Plinian. Cod. Reg. I. exemplo. Qui inter antiq. Viros Doctos de utroque verbo disputarunt, protulit Cannegieter. ad Aviani Fabul. XXIV. 14. p. 147., quibus addantur Herzog. ad Sallust. Catil. c. 11. §. 6. p. 56. et Cornel. Müller ad Gurlitti Archäol. Schrift. p. 92 sq.

2) Ab his anulis differebat illud *δακτύλιον*, quod Augustus in pugnam Philippensem progressurus induisse et alias quoque gestare solitus esse narratur a Dione Cass. Libr. XLVII. c. 41. Erat in eo aposphragisma *Veneris Victricis*, quod ei ex hereditate Jul. Caesaris obtigisse veri simile est. Augustus autem non tam ad obsignandum adhibuisse illud videtur quam gestasse in pugnis ac periculis velut *περίαμμα ἀποτρόπαιον, φυλακτήριον*. Etiam Jul. Caesar hujus deae Genitricis τὸ *γλύμμα — ἔνοπλον ἐφόρει καὶ σύνθημα αὐτὴν ἐν τοῖς πλείστοις καὶ μεγίστοις κινδύνοις ἐποιεῖτο*, ut ait Dio Cass. Libr. XLIII. c. 43. ibiq. Fabricius N. 216. et infra N. 9.

Jam alterum horum indiscretae similitudinis annulorum Plinius dicit ab Augusto, quoties per bella civilia Urbe et Italia abfuisset, amicis, quos intelligit Maecenatem et Agrippam, traditum et ad signandas suo nomine epistolas et edicta libere et familiariter concessum fuisse. Quam quidem narrationem quotiescumque exactissimo judicio examinavi, toties miratus sum nemini umquam illud referenti aliquem scrupulum dubitationemque injectum fuisse. Quid, quod Drumannus, rerum scriptor si quis alius acutus perque cautus, ne levicula quidem tactus suspicione simpliciter affirmat, factum id esse ab Augusto, quoties peregre abiisset [3]. Atqui ego, circumspectis rebus omnibus rationibusque subductis, non possum quin meum cohibeam assensum aliamque proponam rerum actarum rationem, quam, duce Cassio Dione, invenisse mihi videor. Is enim rerum scriptor Libr. LI. c. 1—4. expositis, quae Augustus a victoria Actiaca cum ad res in universum constituendas tum inprimis ad firmandam Urbis Italiaeque securitatem, quam a dimissis veteranis aliisque militiae sociis turbatum iri metuebat, gnaviter et provide fecerit, c. 3., haec attexit: *καὶ φοβηθεὶς μὴ τοῦ Μαικήνου, ᾧ καὶ τότε ἥ τε Ῥώμη καὶ ἡ λοιπὴ Ἰταλία προςετέτακτο, καταφρονήσωσιν, ὅτι ἱππεὺς ἦν, τὸν Ἀγρίππαν ὡς καὶ κατ᾽ ἄλλο τι ἐς τὴν Ἰταλίαν ἔπεμψε· καὶ τοσαύτην γε ἐπὶ πάντα καὶ ἐκείνῳ καὶ τῷ Μαικήνᾳ ἐξουσίαν ἔδωκεν, ὥστε σφᾶς καὶ τὰς ἐπιστολάς, ἃς τῇ τε βουλῇ καὶ τοῖς ἄλλοις ἔγραφε, προαναγιγνώσκειν κἀκ τούτου καὶ μεταγράφειν ὅσα ἐβούλοντο. καὶ διὰ τοῦτο καὶ δακτύλιον ἔλαβον παρ᾽ αὐτοῦ, ἵνα ἐπισφραγίζεσθαι αὐτὰς ἔχωσι. διπλῆν γὰρ δὴ σφραγῖδα, ᾗ μάλιστα τότε ἐχρῆτο, ἐπεποίητο, Σφίγγα ἐν ἑκατέρᾳ ὁμοίαν ἐκτυπώσας. ὕστερον γὰρ τὴν εἰκόνα τὴν ἑαυτοῦ ἐγγλύψας ἐκείνῃ τὰ πάντα ἐσημαίνετο. Καὶ αὐτῇ καὶ οἱ μετὰ ταῦτα αὐτοκράτορες, πλὴν Γάλβου, ἐχρήσαντο. Οὗτος γὰρ προγονικῷ τινι σφραγίσματι, κύνα ἐκ πρῴρας νεὼς προκύπτοντα ἔχοντι, ἐνόμισεν.*

Hic Dionis locus primum contestatur, Maecenatis et Agrippae opera quam utilis fuerit Augusto quamque necessaria in affectando regno, ita ut dubitari possit, num sine illis id, quod dies noctesque contenderet, fuisset consecuturus [4]. Deinde ejusdem testimonio confirmatur, Maecenatem non interfuisse pugnae ad Actium. Constitutum quidem ab initio fuisse, ut ille in ultimum illud et universae dimicationis bellum Augustum comitaretur, elucet ex Horat. Epod. 1. ibiq. v. Intpp.; sed id consilium posthac mutatum omissumque fuisse, idoneis argumentis demonstravit Masson in Vit. Horat. p. 143. Et nescio an Maecenas, belli molestias suapte natura exosus, non ipse lubens Romae Italiaeque custodiis relictus domi remanserit. Ejusmodi autem mandatum Maecenas qua cum vigilantia, qua prudentia, qua denique facilitate exigere soleret, Augustus praecipue perspexerat in bello Siculo per an. U. C. 718. s. 36. a. Chr., teste Dione Cass. XLIX. c. 16. Hoc quidem anno, quo Augustus cum Sext. Pompejo depugnabat, non du-

---

3) Drumannus Hist. Rom. Vol. IV. p. 290. haec scripsit: *Seine Mutter vererbte zwei ganz gleiche Ringe auf ihn, in welche das Bild der Sphinx eingegraben war; den einen gebrauchte er selbst, den andern übergab er Mäcenas oder auch Agrippa, wenn er Rom verliess, damit sie seine Verordnungen den Umständen gemäss verändern und vor der Bekanntmachung besiegeln konnten.*

4) Cum hoc Dionis loco, tum inprimis Vellej. Paterc. Libr. II. 88. §. 2. nituntur, qui Maecenatem facere cupiunt Praefectum Urbis. Sed illa Urbis et Italiae custodia, qua Maecenas inopinis et subitis, absente Augusto, mederetur, privatim et ad tempus mandata, multum discrepabat ab ea potestate, quam hic rerum potitus ipse serius constituit, teste Tacit. An. Libr. VI. c. 11., a quo haec dignitas *recens*, et a Suetonio Aug. c. 37. *novum* officium appellatur. Idem sentio de Praefectura Urbis, quae vulgo M. Agrippae tribuitur quaeque ei acriter a Frandsenio de Vit. Agripp. p. 75 sq vindicatur, ita tamen ut minime persuadeat: multo saniora hac de re scripsit C. Hoeckius Hist. Rom. P. I. p. 312 sq. et p. 412 sq.

bium mihi videtur, quin Maecenas in exsequendis amici mandatis cum aliis tum maxime in imperandis pecuniarum collationibus usus fuerit suo ipsius aposphragismate, Rana, quam ideo magno in terrore fuisse ait Plinius [5]). Hoc autem tempore Sphingis, qua ille Triumviri nomine signaverit, nulla dum fit mentio. Quid, quod omnino a nullo rerum scriptore traditur, illud sigillum ab Augusto alterutri amicorum neque soli, neque iis res suo jussu conjunctim administrantibus prius traditum fuisse, quam ad Actium depugnatum fuisset [6]). Unus Plinius memoriae prodit, id per bella civilia, absente eo, factum esse. Jam ex hoc certamine Augustus utique victor discesserat; sed M. Antonio devicto quidem, nondum autem de medio sublato, tantum aberat, ut de summa imperii securus esse et se eo, quo jam dudum voluerat, pervenisse opinari posset, ut contra omnis regni controversi fortuna in hujus belli exitu disceptaret. Res Urbis et Italiae, in ultimum discrimen adductae, nunc multo difficiliores evaserant, quam quibus unus vir praeesse posset. Quapropter Augustus, qua erat providentia, non multo post pugnam, aliam quidem praetexens caussam, mense Decembri ejusdem anni in Italiam submisit Agrippam, quem Maecenate fortiorem manu et ad opprimendas veteranorum, quorum dux fuisset, seditiones aptiorem haberet. Quemadmodum autem Maecenas privato Augusti mandatu Romae remanserat; ita Agrippa extraordinaria eaque privata missione amandatus in Italiam profectus est, consociatis cum Maecenate curis et opera, Urbis Italiaeque custodiis praefuturus. Sed neuter eorum tum magistratus erat; neuter publica aliqua auctoritate instructus quidquam agere poterat, nisi nominis terrore ejus, a quo ipsis mandatum esset. Jam Augustus probe intelligens, quam invalida quamque lubrica Maecenatis juxta atque Agrippae in Italia futura esset conditio, id operam dedit, ut his velut vicariis suis quantam posset maximam auctoritatem et potestatem impertiret. Propterea, ut ait Dio Cassius, Agrippae discedenti alterum, quod Sphingis imagine caelatum esset, sigillum, Romanis ex aliquot jam annis satis cognitum, ita tradidit ac concredidit, ut, quas posthac Romam missurus esset epistolas et edicta, aequato jure ambo legerent, quidquid in eis visum esset, suo arbitratu mutarent et obsignarent! Mirifica hercle et singularis Principis fides, qua non poterat fieri, quin utriusque amici publica dignitas et in agendo auctoritas apud Senatum Populumque mirum quantum augeretur et communiretur. Dio Cassius igitur dum narrationem de anulo signatorio cum extraordinaria Agrippae missione in Italiam ita conjungit, ut

---

5) „Quin etiam Maecenatis *Rana,* inquit Plinius, per collationem pecuniarum in magno terrore erat.“ De hoc anulo signatorio multa congessit Meibomius c. 13. §. 16. p. 81. Ut mittam hic ea, quae ibidem de origine et significatione hujus aposphragismatis disputantur, sufficiat monuisse, *Ranam* in multis conspici Etruriae numis, ut Winckelmannus Opp. Vol. II. p. 615. docet, illudque sigillum videtur fuisse gentis Ciliniae ex Etruria oriundae proprium ac familiare: cf. Facius *Collectaneen z. Gr. u. R. Alterthumsk. p.* 79. Coburg 1811.

6) Cum circa illud tempus i. e. a. U. C. $7\frac{22}{24}$ s. $\frac{32}{30}$ a. C. scripta fuerit Horatii Libr. II. Satira 6. omnes, quos scio, Interpretes v. 38. *Imprimat his, cura, Maecenas signa tabellis;* explicuerunt de Sphingis imagine sigillaricia, quam Augustus tum temporis Maecenati utendam tradiderit. Praeter Interppr. in eadem opinione sunt Meibomius c. 13. §. 8. p. 80. et Drumannus Hist. Rom. Vol. IV. p. 290. N. 25. Quamvis certum sit, Satiram illam exaratam esse circa illud tempus: cf. Franckii Fasti Horat. c. 2. p. 119 sq.; tamen re cogitatius pensitata, adduci nequeo, ut ab Horatio ibi anulum illum signatorium significatum esse credam. Primum enim Maecenas sigillo Augusti non solus neque in rebus privatis uti poterat, sed cum Agrippa conjunctus inque rebus tantum publicis, quae ambobus communi opera curandae et peragendae ab amico mandatae fuerant. Deinde Horatio verendum erat, ne illudenda velut imagine Sphingis per istud tempus famosae ipsum Augustum offenderet. Denique id si voluisset Poeta, eccui dubium est, quin scripturus fuisset: *Maecenas Sphinge tabellis.* Satius igitur fuerit, *Ranam* intelligere, terribilem istam pecuniarum conferendarum imperatricem, quam Maecenas exsequendis per bellum Siculum Augusti mandatis ipse infamaverat.

era ab altera velut apta fuisse intelligatur, simul indicat, utrumque non nisi semel factum se neque umquam repetitum. Ac sane rerum tantum summae angustiae et periculorum unque tum imminentium moles Augustum permovere et impellere poterant, ut se, dum peregre at, aliqua potentiae et majestatis suae parte exueret eamque aliquamdiu cum amicis communiret, praesertim cum per belli in Asia et Aegypto gerendi necessitatem se diutius et longius be et Italia absfuturum esse praevideret.

His rationibus adducor, ut Plinium de omnibus loquentem bellis civilibus parum accurate n notam et insignem retulisse existimem.

Redeundum jam est ad illos Atiae matris anulos, quibus Sphingis imaginem indiscretae nilitudinis insculptam fuisse Plinius narrat. Quos anulos ectypos unde Atia acceperit accesque cur velut insigne ac pretiosum gentis suae κειμήλιον servaverit, quaerere hic aeque superleo atque investigare, illud aposphragisma exhibueritne Sphingem Aegyptiam an Thebanam. c multum refert, utram hic intelligamus. Sphingis typus tametsi apud utrumque populum e communis est ab initio nec magnopere dispar: cf. Winckelmannus Opp. Vol. III. p. 329 sq. Creuzeri Symb. et Mythol. P. I. p. 496. sqq.; tamen tempore procedente diversa forma diverque potissimum attributis expressus in terrarum, insularum, urbium, gentium singularumque niliarum Numis invenitur, quos recenset Raschius in Lexic. Numism. Vol. IV. P. 2. p. 1442 [. et Creuzeri Symb. et Mythol. l. c. p. 498 sq. 7). In gemmis saepius est obvia Graeum illa πτερόεσσα κόρα, ut docent Lippertus Dactyl. Mill. I. N. 916 sqq. et Od. Müllerus chaeol. §. 412. 3. Utriusque Sphingis figura, docente Raschio l. c. p. 1448 sqq., praeue visitur in Augusti Numis, quorum Aegyptiam qui repraesentant, referendi fortasse erunt Aegyptum devictam; qui autem Thebanam ostendunt, eos rectius ad Atiae matris anulos, hingisque, qua primum ille signaverit, aposphragisma revocabis. Nemini autem, qui Austum noverit, dubium erit quin versutus ille homo inter initia imperii huic Sphingi anulari symlicum quemdam sensum subjecerit eamque sciens volensque ad signandum usurparit, quo fors Romanorum animos rerum futurarum metu territaret atque agitaret. Exstant Numi, in ibus adversa parte caput Augusti coronatum cum manu expansa, aversa parte Sphingis virgie et alatae germana effigies, addita stella, conspicitur. Hujusmodi Numum, in quo VV.). illius Sphingis anularis ἀρχέτυπον agnoverunt, ediderunt J. Tristanus in Commentair. storiq. des Empereurs Tom. 1. p. 69. et Spanhemius de Us. et Pr. Numism. Dissert. V. p. 5., quibus Seb. Erizzum Dichiarazione di medaglie antiche P. III. p. 111. (Venet. 1571.) lit Fabricius ad Dion. Cass. Libr. LI. c. 3. N. 25. Aliis in Numis ipsa Sphinx in Augusti itis locum successit, ut ejusmodi Numum descripsit Eckhelius in D. N. P. 1. Vol. 2. p. 567. id, quod Cynobellinus, Britannus, Tenuantii filius, Cassivellauni nepos, Romae educatus,

7) In Numis autonomis Chii insulae visitur typus Sphintam saepe obvius, ut Chiorum proprius fuisse videatur, ute Eckhelio D. N. P. I. Vol. II. p. 564., qui praeeunte nhemio de Us. et Pr. N. Dissert. V. p. 245. monuit, causejus typi ignorari: nostratium alii aliam proferunt: vide Creuzeri Symb. et Mythol. P. III. p. 159. N. 102. et *Bern-Wappenwes. d. Gr. u. R.* p. 122. N. 9. Porro in Nu- Gergithiorum in Troade, ut refert Phlegon ap. Stephanum Byz. s. v. Γέργις p. 91, 26. W., altera pars Sibyllam inde oriundam, altera Sphingem ostendit: cf. Fabricii Bibl. Gr. Vol. I. p. 229. ed. Harl. Neque obscurum est, quibus de caussis conjunctae fuerint Sibylla fatidica et Sphinx αἰνιγματώδης. Hujus κόμματος Numus ap. Romanos occurrit a Carisio Triumviro Monetali cusus et editus a Spanhemio l. c. p. 246.

Augusti amicus perpetuusque expeditionum comes, Numos cudendos curavit Augusti capite ornatos, addita non raro Sphingis, qua signaverat, effigie. Haec accepta debeo doctrinae G. L. Walchii ad Taciti Agr. c. 13. p. 210., qui insuper citavit: *The Quarterley Journal of Science.* N. XXIII.

Augustus postea ad evitanda convicia Romanorum non infaceto lepore accipientium, aenigmata afferre eam Sphingem, Alexandri Magni imagine signare coepit, ut Plinius et Suetonius attestantur, Dio autem plane silet. Coeptum est ab eo hoc sigillum usurpari, postquam rerum potitus securus esse potuit. Nam Alexandri Magni imaginem ut eligeret, nulla alia caussa videtur eum impulisse, quam quaedam magnitudinis ejus aemulatio et gloriae affectatio, quam aliis quoque in rebus prae se ferre solebat. Non male Bergerus quoque in Spec. I. Rhet. Aug. p. 35.: „Augustus, qui Alexandri imaginem sic animo studiisque tenuit, ut ea quoque uteretur in signando, admonebat, velut edicto Alexander [8]), Praetores, ne paterentur nomen obsolefieri suum, teste Sueton. c. 89.“ [9]).

A quo tempore Augustus anulo signatorio usus sit, cui sua ipsius imago fuisset insculpta, definiri nequit. Suetonii fidem de artifice tuetur consensus Plinii N. H. Libr. XXXVII. c. 1. §. 8.: „Post eum (Pyrgotelem) Apollonides et Cronius in gloria fuere, quique Divi Augusti imaginem similem expressit, qua postea Principes signabant, Dioscurides.“ Dio Cassius de artifice silet: sed confirmat suo assensu quae Plinius de Imperatoribus, Augusti successoribus, narrat; Dionis autem verba: *ἐκείνῃ τὰ πάντα ἐσημαίνετο. Καὶ αὐτῇ καὶ οἱ μετὰ ταῦτα αὐτοκράτορες, πλὴν Γάλβου, ἐχρήσαντο:* duplicem sensum admittunt, ut recte monuit Fabricius ad h. l. N. 28.: „Alterum, quem secutus Xylander, ut Augusti exemplo insecuti Imperatores etiam sua quisque imagine usi fuerint ad signandum. Alterum, quem Suetonii et Plinii jam allata confirmarunt testimonia, et quem merito praetulit Maffejus in Histor. Diplom. p. 18., ut Augusti imagine signarent, gratae memoriae ac venerationis causa.“ Maffeji ac Fabricii rationem amplexi sunt Drumannus Hist. Rom. Vol. IV. p. 290. N. 25., O. Müllerus Archäol. §. 200. p. 193. ed. 1. et Corn. Müllerus ad Gurlitti Archäol. Schrift. p. 103. N. At mihi Xylandri interpretationem adoptanti non credibile videtur, omnes deinceps successores Augusti, sive verae sive simulatae pietatis et reverentiae sensu ductos, imagine ejus signasse. Id factum esse ab Imperatoribus proximis, qui stirpis Juliae essent et affinitatis ad Neronem usque, facile concesserim; ex eo autem, quod Galbam Dio Cassius testatur primum fuisse, qui suo ipsius sigillo uteretur, non temere mihi concludere posse videor, istum morem signandi imagine Divi

---

8) Notum illud Alexandri edictum, quod praeter Plut. c. 4. Plinius N. Hist. Libr. VII. c. 37. §. 125. et Appulejus Florid. Libr. I. N. 7. Tom. II. p. 24 sq. B. commemorant, festive accommodat Horatius Augusti de poetis aequalibus judicio Epist. Libr. II. 1. v. 237 sqq.

9) Quod supra N. 2. de aposphragismate *Veneris Genitricis* scripsi, id de Alexandri M. effigie adnotavit Trebellius Pollio Trig. Tyrann. de Quieto XIII. p. 769. Schrev.: „Videtur mihi non praetermittendum de Macrianorum familia, quae hodieque floret, id dicere quod speciale semper habuerunt. Alexandrum Magnum Macedonem viri in anulis argento, mulieres in reticulis et dextrocheriis et in anulis et in omni ornamentorum genere exsculptum semper habuerunt: eo usque ut tunicae et limbi et penulae matronales in familia ejus hodieque sint, quae Alexandri effigiem, deliciis variantibus, monstrent. Vidimus proxime Cornelium Macrum in eadem familia virum, quum coenam in templo Herculis daret, pateram electrinam, quae in medio vultum Alexandri haberet, et in circuitu omnem historiam contineret signis brevibus et minutulis, Pontifici propinare: quam quidem circumferri ad omnes tanti illius viri cupidissimos jussit. Quod idcirco posui, quia dicuntur juvari in omni actu suo, qui Alexandrum expressum vel auro gestitant vel argento:“ ibiq. vid. Casaubonus et Fabricius ad Dionis Libr. LXXIX. c. 4. N. 22.

Augusti apud Imperatores Romanos non ultra Neronem obtinuisse. Huic opinioni favet epistola Imperatoris Commodi, quae legitur ap. Jul. Capitolinum Clod. Alb. c. 2. p. 389. Schr. et quae litteras memorat signatas signo Amazoniae[10]). Quidquid ejus rei est, id veri est dissimillimum, aposphragisma illud a Dioscuride sculptum velut *κειμήλιον* servatum progressu temporis ad Divi Augusti successores deinceps transiisse. Quae hodieque Dioscuridis gemmae supersunt ac genuinae feruntur, quarum duae Augusti caput repraesentant, earum *γνησιότητα* in dubium vocat et subtilius explorandam esse ait O. Müllerus Archaeol. §. 200. 1. p. 221. ed. 2., et idem judicium facit Drumannus Hist. Rom. l. c. de amethysto ap. Lippertum Dactyl. Mill. II. N. 287.

Denique quae Suetonius sub fin. c. 50. de Augusti epistolas scribendi ratione subjicit: „ad epistolas omnes horarum quoque momenta nec diei modo sed et noctis, quibus datae significarentur, addebat“: ea nimiam quamdam ac fere putidam accurationem declarant, quam Augustus ut in omni vita cultuque, ita in litterariis quoque rebus observabat. Cf. supra §. 3. N. 11.

---

10) De Galbae aposphragismate Dio Cassius: *οὗτος γὰρ*, inquit, *προγονικῷ τινι σφραγίσματι, κύνα ἐκ πρώρας νεὼς προκύπτοντα ἔχοντι*, [*χρήσασθαι*] *ἐνόμισεν*: ubi adjectivum *προγονικὸν* indicat, illud ad gentem pertinere, cujus paternam originem Galba ad Jovem, maternam ad Pasiphaen, Minois uxorem, referret, ut ait Suetonius c. 2. ibiq. BCrusius et *Berndius* in *Wappenwes. d. Gr. u. R.* p. 139. — Imperatorem Commodum illam epistolam Clodio Albino de rebus quidem publicis scripsisse eamque tamen familiari signo signasse, liquidum est: v. Salmas. ad h. l.

EXCURSUS I.

DE

NOMINIS CATONIANI

APPELLATIVO APUD ROMANOS USU ET SIGNIFICATU.

Gentem Porciam, Tusculo oriundam, plebejam quidem, sed gravium feracem virorum, duo inprimis illustrarunt et nobilitarunt gentiles M. Porcius Cato *Censorius*, ejusque pronepos cognominis, qui ab urbe, in qua suâ se manu peremit, apud posteros *Uticensis* cognomen invenit. Utriusque historiam quum nuper excellenti cum cura et copiosa doctrina persecutus sit Drumannus,[1]) mihi hic brevissimo esse licebit et potiora tantum perstrinxisse sufficiet.

Quamquam duo illi Catones multiplici ingenii animique ornamentorum velut choragio praediti inter populares, cunctorum consensu, ita eminebant, ut in omnium, quae civem Romanum decerent, virtutum exempla geniti esse putarentur; tamen attentum historiae lectorem non fugiet, in magna utriusque similitudine haud exiguam inveniri dissimilitudinem, et Uticensem apud posteros proavi luminibus obstruxisse. Quanto enim magis Censorius excellebat ingenii vi, multiplicis doctrinae et eloquentiae facultate [2]), rerumque domi militiaeque gestarum multitudine et gloria; tanto magis Uticensis naturae humanae praestantia, animi praesertim excelsitate et bonis, vitae morumque sanctitate proavum tantopere antecedebat, ut per omnia Diis quam hominibus propior haberetur. Aliarum virtutum laudibus prope pares: patriae, libertatis publicae amore priscaeque fidei integritate nemini aequalium concedebant; vitae instituta si spectamus, homines erant parci, frugales, antiquae simplicitatis tenaces, severi et nonnumquam in alios vehementiores [3]), hoc tamen discrimine, quod Censorius nimiam austeritatem, ne dicam, asperitatem jocularis cujusdam hilaritatis et dicacitatis condimento temperabat,[4]) Uticensis contra, cui, ut Cicero de Off. Libr. II. c. 35. §. 112. ait, Natura incredibilem gravitatem tribuerat, Stoicam quam profitebatur [5]) philosophiam perpetua vultus tristitia risusque fuga prae se ferebat ac spreta molliore et remissiore vivendi ratione excelsae gloriae speciem vehementius quam caute appetebat.

Censorius quidem suismet ipsius virtutibus, quamvis admirandis et a Romanis ore ac scriptis percelebratis, non effecit, ut ante liberae reipublicae interitum *Catonis* nomen non amplius hominis esset, sed virtutis alicujus vel artis. Ornatus est Sapientis et Oratoris nominibus, nusquam tamen, nisi mea me fallit memoria, a quoquam sic memoratus, ut *Cato* ipsam sapientiam et eloquentiam indicaret: [6]) qua potestate *Cicero-*

---

1) In Histor. ejus Roman. Vol. V. p. 94—205., ubi stemmate Catonum accurate concinnato demonstratum est, Uticensem fuisse Censorii pronepotem: cf. Vol. I. p. 153. N. 68.

2) Cato Censorius qualis fuerit orator, exponit Cicero Brut. c. 16 et 17. §. 63 sq. ibique Meyer p. 51. et in Oratt. Rom. Fragm. p. 8 sqq.

3) Acriter inprimis invectus est in Scipiones, T. Flamininum aliosque: v. Drumanni Histor. Rom. Vol. c. p. 112 sqq. et 119 sqq.

4) Ejusmodi joculare dictum, quod opicae aetatis simplicitatem referat, servavit nobis Horatius Libr. I. Sat. 2. v. 31 sqq. „*Quidam notus homo cum exiret fornice: „Macte Virtute esto“ inquit sententia dia Catonis: Nam simul ac venas inflavit tetra libido, Huc juvenes aequum est descendere, non alienas Permolere uxores.*“ Cum hoc loco mihi videtur Fragm. Philemonis ap. Mein. p. 357. aptius comparari posse quam cum Horat. Libr. II. Sat. 7. v. 48 sq. et, quae Orellius ibi de liberiore vocabulorum *ἀφροδισίων* usu monet, iis adde Heinrichii Adnotationem ad Juvenal. Sat. VI. v. 322.

5) Uticensis, nisi a Philosophia Stoica, non magnopere laudatur a doctrina et eloquentia: vid. Cicer. Brut. c. 31. §. 118. ibique Meyer et in Oratt. R. Fragm. p. 189. Quare non obtrudendus est oratoribus ap. Vellej. Paterc. Libr. II. c. 36. §. 2. ubi Kritzio prorsus assentior.

6) Nomen Catonis Censorii jam ap. Ciceronem per excellentiam occurrit Numero Plurali: cf. Brut. c. 17. §. 67. cl. c. 69. §. 244. Sic etiam de uno Censorio accipe Horat. Libr. II. Epist. 2. v. 117.: „*vocabula rerum Quae priscis memorata Catonibus atque Cethegis*“, ubi collatis Art. Poet. versibus 56 et 50. manifestum est, solum Censorium intelligendum esse non tam ob Cethegi et Ennii mentionem, sed, nulla Uticensis habita ratione, propter innumera scripta et orationes, quibus olim Censorius linguam ditavisset.

nis nomen usu venisse narrat Quinctil. I. Or. Libr. X. 1. §. 112. Atqui tantus, quantus Uticensem ornabat, multarum et magnarum virtutum splendor non poterat non animos vel obtrectatorum adeoque adversariorum tacita admiratione et verecundia quadam implere et amicorum haud paucos incitare, ut pro virili quisque parte sua in Catonianae praestantiae comparationem contenderet atque externos ejus mores servili passim ridiculaque imitatione exprimere studeret. Hi sunt isti *Pseudo-Catones*, qui unice ad Uticensem pertinent, a Cicerone [7]) passim cum acumine dicti. Ut enim quisque, praesertim istis temporibus, quae factiones diversarum partium inquietabant, videri haberique voluit bonus ac fortis civis, ita maxime simillimus Catoni evadere laboravit. Paucis ut dicam, summa jam fuit Uticensis, dum in vivis adhuc erat, auctoritas et gloria!

Verum enim vero haec gloria dici non potest quanta ceperit incrementa, posteaquam acerrimus ille veteris reipublicae defensor, rebus in discrimen extremum adductis, Uticae sua sponte e vita abierat, nullam ratus accipiendam esse conditionem a cive tamquam tyranno impositam. Credibile est, Catonis *αὐτοχειρίαν*, Stoicorum mente ac rationibus peractam, inimicis incussisse stuporem ac veluti torporem, amicis bonisque civibus dolorem et desiderium. Tunc demum visa est ejus virtus omnibus numeris tam absoluta, ut, quisquis sanctum et egregium civem significare vellet, sub nomine Catonis definiret, ut Valer. Maximus Libr. II. c. 10. 1. scribit, neque dubitari potest, quin Romanorum haud pauci inde ab hoc tempore eum tamquam heroem divino cultu prosecuti fuerint. [8]) Idque studium in Uticensem, vitae muneribus gloriose defunctum, quod annis proxime sequentibus diversis, quibus laudatores ejus et vituperatores certabant, scriptis uberrima fomenta et nutrimenta accipiebat, eo latius per civium Romanorum animos diffusum est ac progressu temporis voce et scriptis eo apertius declaratum, quo magis in dies per moderationem et prudentiam Augusti pristinum partium odium consopiretur. Augustus quidem ab initio non poterat non Uticensi, acerrimo Julii Caesaris adversario et pertinacissimo regni regnandique cupidorum osori, esse infensior sic, ut, quas alii in coelum ferebant, ejus virtutes ipse parvi faceret, suspectas haberet ejusque gloriae obtrectaret: id quod per Triumviratus annos factum esse, infra monstrabo. Neque tamen idem Augustus is erat, qui suapte indole veras splendidasque aliorum hominum virtutes earumque nativam praestantiam parum perspiceret meritave laude privaret; imo potius eum fuisse scimus, qui aliorum consilia et facta, proba per se et laudabilia, simulac sibi suisque consiliis non amplius, sublatis de medio auctoribus, adversa essent, nequaquam perhorresceret et indignanter aversaretur. Nihil igitur probabilius, quam Augustum, rerum potitum regnique jam securum, aequius benigniusque de Uticensi existimare coepisse ejusque laudes et praeconia apud scriptores et poetas patienter ac sine ulla offensione tulisse. [9]) Quid, quod ipsum, perspecta serius bonorum civium penuria, non suppudebat, Catonem Uticensem palam laudare et talis civis tamquam desiderium candide profiteri. Qua de caussa mihi videtur ex animi sententia respondisse Straboni, male existimanti de Catonis pervicacia, auctore Macrobio Sat. Libr. II. c. 4.: „*Quisquis praesentem statum civitatis commutari non vult, et civis et vir bonus est.*" Et hocce responso ac judicio de gravissimo Caesarianae partis quondam adversario, satis serio, ut Macrobius verissime monuit, et Catonem laudavit et sibi, ne quis affectaret, res novare, consuluit.

His praemissis, quae tenuia historiae persecuti vestigia scripsimus, non amplius incertum esse potest, utrum Catonem, Censorium an Uticensem, verbis „*contenti simus hoc Catone*" Augustus significaverit et quem sensum iis

---

7) Ita *Pseudo-Catonis* nomen invenit *C. Cornutus* (ad Attic. Libr. I. Ep. 14. §. 6.), Tr. pl. a. U. C. 693. s. 61. ac Praetor a. U. C. 697., qui valde faveba Ciceroni et universe bonarum partium tam studiosus erat, ut Caoni simillimus existimaretur; cf. Or. post redit. in Sen. c. 9, 22. Notus est *M. Favonius*, de quo Drumannus H. R. Vol. III. p. 32 sqq. *M. Statilius* quidam, Catonis simius, memoratur a Plutarcho Cat. M. c. 65. 66. et 72. Etiam ex hoc numero fuisse videtur M. Agrippae frater, cujus meminit Nicolaus Damasc. c. 7. Ejusmodi in rebus minutis et externis imitatores et admiratores Catonis notantur adhuc ab Horatio Libr. I. Ep. 19. v. 12.: *Quid, siquis vultu torvo ferus et pede nudo Exiguaeque togae simulet textore Catonem, virtutemne repraesentet moresque Catonis?*

8) Sic Virgilius, qui Censorium Aen. VI. v. 842. simpliciter *magnum* salutat, de Uticensi canit Aen. VIII. v. 670.: „*et te, Catilina, minaci Pendentem scopulo, Furiarumque ora trementem Secretosque pios: his dantem jura Catonem:*" et hunc constantem, dum in vivis erat, virtutis cultorem haud inscite facit Inferorum judicem eumque inter Pios ponit nihil curans ejus *αὐτοχειρίαν*, qua Piorum sede excludi debuisset: vid. Aen. VI. v. 434 sq. Sed Stoicus quum ob libertatis interitum simul interiisset, ap. Romanos et excusatus erat et nobilitatus. Neque, ut Servius opinatur, mentio Catonis jura apud Inferos dicentis Augusto tum ingrata esse poterat, ut statim videbimus.

9) Quare Augustum ita de Uticensi sentientem non poterat offendere Horatius quum caneret Libr. I. Od. 12. v. 35.: *Romulum post hos prius, an quietum Pompili regnum memorem, an superbos Tarquini fasces, dubito, an Catonis Nobile letum*: ubi Poeta non sine aculeo, quo Augustum, tamquam dominum, pungeret, cum Tarquinio Superbo, rege postremo, componit osorem gravissimum servitutis ab Julio Caesare impositae et hujus nobile letum opponit Tarquinii superbis fascibus. Injuria Peerlkampius totum hunc locum induxit negavitque, usquam ap. Horatium Uticensis fieri mentionem nisi Libr. II. Od. 1. v. 24.: „*Et cuncta terrarum subacta Praeter atrocem animum Catonis*": quae dicit scribi potuisse sine offensione, siquidem *atrox* h. l. significet eum, qui uti noluerit clementia vel amicitia victoris! Sed rectius de feroci et imperterrito animo Catonis ob libertatis amorem et virtutis conscientiam accipit Orellius. Caeterum Peerlkampio, neganti Catonem Uticensem praeterea laudari a Poeta Venusino in Odis, repono Libr. II. Od. 2. v. 17—24. et Od. 24. v. 31 sq., in quibus mihi non dubium est quin Poetae scribentis animo obversatus fuerit idem ille Cato, quem *virtutum vivam imaginem* appellat Seneca de Tranq. Anim. c. 15. §. 5.

subjecerit? Censorii nomen jam pridem Uticensis praestantia aliquantulum obscuratum ad illam aetatem pervenisse, in aprico est; contra hujus memoria recens adhuc in omnium animis vigebat et factionis Caesarianae amicos propius illo attingebat, ne dicam, clanculum adhuc mordebat. Catonem igitur Uticensem modo intelligi potuisse ab Augusto regnum adepto, manifestum est. Sensus autem illius dicti num recte a Suetonio fuerit perspectus et explicatus, addubito; mihi certe illud ab initio non tam de rebus quam potius de personis, de civibus bonis videtur usurpatum esse. Utut est, rejiciendam esse interpretationem Turnebi Advers. Libr. XXIV. c. 15. apertum est, accipientis nomen Catonis cum cavillatione quadam τῆς αὐτοχειρίας quasi dicere voluerit: feramus haec aequo animo nec nobis mortem consciscamus: satis sit unum hoc fecisse Catonem. Ac si Casaubonus suspicatur, Augusto nomen Catonis odiosum ac contemptibile fuisse, quod proverbiali usu magis magisque voluerit deterere ac despicatui habere, fallitur nec satis animum attendit ad tempora eorumque mutatas rationes, quibus calidior Augusti animus et Catoni iratior jam dudum deferbuerat et in tacitam admirationem ac desiderii affectum abierat. Verissime Beroaldus existimat, hujus formulae originem sumptam esse ab honore, quem Augustus tum Uticensi deferre solitus fuerit: id autem factum esse puto demum post pugnam Actiacam. Quod si verisimilis est conjectura Casauboni scribentis: „Augustus quando hominem mediocri virtute praeditum in Senatum legebat vel Senatui aut tribubus commendabat, dicere solebat: contenti simus hoc Catone;" equidem in conjiciendo longius progressus contendo, Augustum uti demum coepisse illa formula a. U. C. 726. s. 28. a. Chr., quo anno Consul VI. rempublicam civilibus tandem armis fessam, nomine Principis, prudenter componere aggressus Censuram egit, adsumpto collega M. Agrippa Cos. II., Senatum severe legit et expunctis fere ducentorum nominibus, eximia liberalitate explevit. Inde ab hoc tempore mihi videtur ille Princeps ad designandum civem, quo melior ac praestantior in suam aetatem non cadat, ita dictitasse et scriptitasse aliisque primus omnium ansam exemplumque praebuisse, quo Cato non amplius hominis, sed ipsius virtutis nomen fieret. [10]) Quod quantam habeat probabilitatem, ex eo apparet, quia nemo scriptorum ante Augustum neutrius nomine Catonis appellative usus est, et poetae primi sub finem Augusteae aetatis hunc usum introduxerunt et frequentarunt. Jam, ingravescente postea in dies luxuria morumque corruptela, per eosdem serioris aetatis scriptores factum esse puto, ut etiam Censorii nomen in ejusdem appellativae notionis velut societatem assumeretur et, quoties vir honestus, antiquis moribus, severus ac morosus esset significandus, [11]) uterque Cato utrovis numero jungeretur sic, ut praecipue de altero utro hodie cogitandum sit. His scriptis mihi videor planum fecisse et evidens, illum nominis Catoniani significatum proverbialem ab Uticensi ductum esse et originem habuisse per Augustum et sub ejus imperii demum finem in consuetudinem venisse. Restat, ut, quae scripsi, aliquot scriptorum locis comprobem.

Ordiamur a M. Manilio, quem fere in confessis est Astronomicῶν libros sub Augusto ejusque imperio sive ineunte sive exeunte scripsisse. Is Libr. IV. v. 86. canit:

Quod Decios non omne tulit, non omne Camillos
Tempus, et invicta devictum mente Catonem:
Materies in rem superat, res lege repugnat.

Haec scripta esse, vigente adhuc Uticensis memoria atque admiratione, liquet. Jam Libr. I. v. 795. *Fortunae victor* appellatus fuerat a Manilio non metuente Augusti offensionem et iram. Memoratu dignus est post *Decios* et *Camillos* Numerus singularis nominis Catoniani. [12]). Manilio hic succedat Phaedrus, Augusti libertus, quem plurimas fabulas sub Tiberio composuisse constat: is ergo Libr. IV. F. 7. v. 21.:

---

10) In hac enim formula mihi videtur inesse vox judicantis, *wir können zufrieden seyn.* Quare, praeeunte Oudendorpio, *simus* pro *sumus* retinui, qui Burmanno recte oblocutus, „Non enim, inquit, hic agit Suetonius de ejus elocutione seu scribendi ratione, sed de sententiis notabiliter ab ipso vel primo usurpatis."

11) Propter communem utrique severitatem et austeritatem sub Cepheos cum Aquario ortu nati fuisse finguntur Censorius et Uticensis a Manilio Libr. V. v. 414.: „*Sed regione means Cepheus humentis Aquari Non dabit in lusum mores. Facit ora severa: Frontes ac vultus componit pondere mentis. Pascentur curis, veterumque exempla revolvent Semper et antiqui laudabunt verba Catonis, Tutorisque supercilium patruive rigorem:* sic pro *vigorem* edidit Bentlejus, cui merito accessit Orellius ad Horatii Libr. III. Od. 12. v. 3. p. 347. Cum illo Manilii loco conjungas Libr. V. 105.: „*Nec crede severae Frontis opus signo, strictos nec crede Catones Aut Brutum, atque parem Torquatum et Horatia facta:*" sic olim hic locus ante Bentlejum legebatur, in quo manifestum est, Catones esse proprio sensu Censorium et Uticensem, quibus Natura tribuerat *strictas pondere mentes*, ut ait Manilius Libr. I. v. 769. Contra priore loco v. 448. intelligendus est, me judice, unus Censorius.

12) Contra qui dimidio fere saeculo post Manilium floruit L. Seneca, scripsit Epist. XCVII. §. 9.: „*Omne tempus Clodios fert, sed non omne tempus Catones:*" et Epist. CXX. §. 20.: „*Quidam alternis Vatinii, quidam alternis Catones sunt:*" ubi Clodiis et Vatiniis, civibus perditissimis, opponuntur *Catones* i. e. uterque quidem *Cato* sed praecipue Uticensis, unicum illud civium et virtutum exemplar. Contra praepollente Censoris notione scripsit Juvenalis Sat. II. v. 40.: „*Felicia tempora quae te Moribus opponunt! Habeat jam Roma pudorem: Tertius e coelo cecidit Cato.*" Id paulo liberius a poeta dictum, quasi Urbs duo habuisset Catones *Censores*, olim existimavit Heinrichius: meliora edoctus profert in Edit. (Bonnae 1839. 8.) p. 95. *Censorius* praecipue significatur eique ob similem vitae gravitatem morumque rigorem assimilatur *Uticensis*. Duo igitur Romae exstiterant

Quid ergo possum facere tibi, lector Cato,
Si nec fabellae te juvant, nec fabulae?

ubi Intptt. tantum non omnes intelligunt *Censorium;* sed hunc, hominem jocularem et ludicrorum amantem, non dubito quin fabulae potius juverint quam a lectione averterint. Verum Phaedrus procul dubio ob oculos habuit Uticensem, utqui Stoicus morosior fabularum nugas earumque levitatem et petulantiam aversatus sit. Hinc apud poetas, Phaedro posteriores, in ejus nomine et mentione inesse coepit pudicitiae et castitatis notio, et inde materiae impudicae et lascivioris excusatio et venia repeti solebat. Sic Martialis Libr. IX. Ep. 28. v. 3.:

Qui spectatorem potui fecisse Catonem,
Solvere qui Curios, Fabriciosque graves [13]).

Neque id cuiquam mirum erit post notabile illud Catonis Uticensis factum, quod respicit Martialis in Epistola ad Lectorem Libri I.: „Si quis tamen tam ambitiose tristis est, ut apud illum in nulla pagina latine loqui fas sit, potest epistola vel potius titulo contentus esse. Epigrammata illis scribuntur, qui solent spectare Florales. Non intret Cato theatrum meum, aut si intraverit, spectet. Videor mihi meo jure facturus, si epistolam versibus clusero:

Nosses jocosae dulce cum sacrum Florae [14])
Festosque lusus et licentiam vulgi,
Cur in theatrum, Cato severe, venisti?
An ideo tantum veneras, ut exires?“

Miror fuisse qui hic cogitarent de *Censorio*, ut Schwabe ad Phaedr. l. c. Vol. II. p. 222.: qua opinione nihil est falsius. [15]) Severus ille Cato nemo est alius quam Uticensis, cum Martialis respexerit id quod Seneca Epist. XCVII. §. 7. attigit: „Catonem illum, quo sedente negatur populus permisisse sibi postulare Florales jocos nudandarum meretricum:“ et copiosius Valerius Maxim. Libr. II. c. 10, 8. memoriae prodidit: „Eodem ludos Florales, quos Messius aedilis [16]) faciebat, spectante, populus, ut Mimae nudarentur, postulare erubuit. Quod cum ex Favonio, amicissimo sibi, una sedente cognovisset, discessit e theatro, ne praesentia sua spectaculi consuetudinem impediret. Quem abeuntem ingenti plausu populus prosecutus, priscum morem jocorum in scenam revocavit confessus, plus se majestatis uni illi tribuere, quam universo sibi vindicare.“ Id unice pertinere ad Uticensem, admonuit jam Pighius Annal. T. III. p. 388 sqq. propter Favonium, fidissimum ejus comitem, qui ab eo divelli non poterat: v. Not. 7. — Plus ambiguitatis et dubitationis habet locus Horatii Libr. III. Od. 21. v. 11., ubi ad amphoram conversus ait:

Descende Corvino jubente
Promere languidiora vina.
Non ille, quamquam Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus:
Narratur et prisci Catonis
Saepe mero caluisse virtus:

quo in loco lectori ultro se offerre Catonem *Censorium*, haud diffiteor, quem etiam Scholiastae intellectum volunt, quos Intpp. fere omnes, quos noverim, sequuntur. Acron: „*Prisci*“, *antiquioris*, *non Uticensis.* Nec desunt, quibus haec interpretatio muniatur. Plutarchus c. 1. refert, Censorio fuisse tertium cognomen *Prisci:* quod tamen nomen serius demum ortum eique inditum esse suspicatur Drumannus Hist. R. Vol. V. p. 97., ut distingueretur ab Uticensi, uti eadem de caussa appelletur *Superior* seu *Major* a Valer. Max. Libr. III. c. 2. 6., et Libr. VIII. c. 15. 2. cl. Aeliani Var. Histor. XII. 6. et vid. supra Not. 9. [17]) Nihil dubitat Drumannus

---

Catones, censoria gravitate et severitate insignes: nunc, inquit Juvenalis, *tertius* Cato divinitus quasi oblatus adest, Domitianus, qui multo acumine et magna acerbitate ita significatur et taxatur.

13. Etiam *Catoniana lingua* ap. Martial. Libr. IX. Epigr. 28. v. 14. referenda est ad *Uticensem.* Idem passim solus significatur Numero plurali, v. c. Martial. Libr. X. Ep. 19. v. 21.: „*Tunc me vel rigidi legant Catones.*“ Petron. Satyr. c. 132.: „*Quid me spectatis constricta fronte Catones, Damnatisve novae simplicitatis opus,*“ ubi fortasse praestat legere *contracta fronte;* vide tamen Burmann. p. 817.

14. *Ludi Florales* sive *Floralia* mense Aprili celebrata, ut omnia bene deflorescerent (v. Plinius N. H. Libr. XVIII. c. 29. §. 286.) in honorem Chloridis Nymphae agitabantur in Circo Maximo, ut docet G. A. Becker de Romae Vet. Muris et Portis p. 88. Plura de iis scripsit Weberus ad Juvenal. Sat. VI. v. 67. p. 382 sq.

15. Hodieque sunt, qui h. l. *Censorium* intellectum velint et quidem eam ob caussam, quia is in Censura orationem habuisse de re *Floria* existimetur. At isti orationi merito controversiae moventur, quas percenset Meyerus Oratt. Rom. Fragm. VI. p. 60 sq., qui mihi jure videtur negasse, orationem illam cum Floralibus quidquam commune habuisse.

16. *C. Messius* fuit Aedilis a. U. C. 699. s. 55. a. C. secundum Pighium Ann. Tom. III. p. 388., quo anno Cn. Pompejus et M. Licinius Crassus Coss. suis factionibus M. Catonem Uticensem a Praetura repulerunt. Plura de Messio habent Orellius in Onomast. et Drumannus Hist. Rom. Vol. V. p. 171, qui rem istam, Catone Praetore, accidisse statuit a. U. C. 700. s. 54. a. Chr.

17. Hoc potissimum cognomine nituntur, qui ab Horatio l. c. Catonem illum, cujus virtus saepe mero caluerit, *priscum* appellatum esse urgent ac negant, Uticensem potuisse ita insigniri: is tamen si quis alius fuit priscis hominibus similis. Sulpiciae Sat. v. 48. operam imitatricem agnosco quidem sed leviorem esse censeo, quam quae in hac vocabuli ambiguitate momentum habere queat.

locum Horatianum de *Censorio* intelligere H. Rom. Vol. c. et p. 137. N. 28. et probatum ire studet, eumdem senem in frugalitate et parsimonia factum esse solutiorem. Atque nuper Orellius ad h. l.: „Censorius, inquit, unice aptus: nam is propter nescio quam festivam morositatem atque multa et lepida ἀποφθέγματα personam gerebat apud Romanos posteriores mediam inter severitatem et jocum. Et de *Censorio* manifesto accepit Sulpicia Sat. v. 48.: „*prisci sententia dia Catonis,*" imitata Horat. Sat. I. 2. v. 32. cf. Plutarch. Cat. Cens. c. 25." Verum enim vero non possum adduci ut hanc in sententiam transeam. Primum enim exemplum *Uticensis* aptius erat Messalae Corvino, quam *Censorii*, majusque habere debebat in illum pondus: illius enim, utpote Stoici et fere aequalis laudatissimi, exemplo poterat ad bibendum facilius et fortius permoveri. Deinde apud Horatium l. c. non sermo est de jocis et lepide dictis *Censorii*, sed de ejus ebriositate quaeritur: quem tamen bibacem fuisse seque nonnunquam vino largius invitasse, nusquam traditum reperimus. Plutarchi enim locus, quem Orellius affert, huc non pertinet, ut jam Mitscherlichius ostendit. At *Uticensi* objectum est, eum aetatis progressu vino indulsisse. Sic Plutarch. Cat. Min. c. 6. καὶ κατ' ἀρχὰς μὲν ἅπαξ ἐπιπιὼν ἐπὶ τὸ δεῖπνον ἀνέλυεν, προϊόντι δὲ χρόνῳ μάλιστα προσίετο πίνειν, ὥστε πολλάκις ἐν οἴνῳ διάγειν εἰς ὄρθρον. Cf. c. 44. Seneca de Tranquill. c. 15. §. 10.: „Cum pueris Socrates ludere non erubescebat: et Cato vino laxabat animum curis publicis fatigatum:" et §. 15.: „Catoni ebrietas objecta est: facilius efficiet, quisquis objecerit, hoc crimen honestum, quam turpem Catonem." Ad quem Senecae locum §. 10. Ruhkopfius concedit quidem cogitandum esse de *Uticensi*, sed apud Horatium oportere intelligi *Censorium*. Graviores igitur proferam testes. Ipsum Senecam diserto confisum auctore sua vireta irrigasse suspicor ex Julii Caesaris Anticatone, unde etiam sumpta esse VV. DD. non temere conjiciunt, quae apud Plinium Libr. III. Epist. 12. §. 12. leguntur: „Erunt officia antelucana, in quae incidere ne Catoni quidem licuit: quem tamen C. Caesar ita reprehendit, ut laudet. Scribit enim eos, quibus obvius fuerat, cum caput ebrii retexissent, erubuisse: deinde adjicit, non ab illis Catonem, sed illos a Catone deprehensos." Tametsi confiteor, Julium Caesarem in Anticatone suo cupidius corrasisse, quaecumque adversario, nimium ab aequalibus laudato, crimini dari possent; tamen ebrietatis vitium ab eo prorsus confictum et ex vano haustum fuisse, numquam patiar mihi persuaderi. Mihi credibile est, Catonem bene potum olim primo diluculo domum revertisse et lascivientibus juvenibus occurrisse. Id quum de tanto tamque severo et abstemio viro per Urbem rumoribus dilatum perque hominum ora traductum fuisset, non est, quod miremur, Julium Caesarem, minima quaeque consectantem Catonis demortui vitia et in vita παροράματα, hoc quoque in Anticatone notasse et sic ebriositatis cujusdam crimini fidem et auctoritatem conciliasse. Quotquot autem scriptores hujus vitii mentionem fecerunt, mihi videntur ex hoc uno fonte hausisse. Quemadmodum autem Julius Caesar, teste Plinio, Catonem ebrium ita reprehenderat, eum ut laudaret; sic etiam multis annis post Horatius illud Catonis vitium, mirifico emollitum verborum lenocinio commemoravit neque indignum habuit, quod in Oda per jocum Messalae Corvino velut imitandum proponeret. Ejus tamen rei memoriam ad posteritatem propagatam viguisse, docet Martialis Libr. II. Epigr. 89. v. 1.:

Quod nimio gaudes noctem producere vino,
Ignosco: vitium, Gaure, Catonis habes;

qui Poeta Venusino procacior Gaurum, hominem ebriosum, jocose excusat Catonis Uticensis ebrietate, haud veritus, ne ejus vitae cum virtute peractae splendorem labecula adspergeret sanctosque ejus Manes pollueret. Notum quidem est illud Zenonis dictum: Sapientem οἰνωθήσεσθαι μὲν, οὐ μεθυσθήσεσθαι δὲ, quod habet Diogenes Laert. Libr. VII. p. 118. et Vol. II. p. 166. Hbn.; sed vere etiam ait Seneca Epist. LXXXIII. §. 9.: „Plurimum interesse concedes inter ebrium et ebriosum: potest et qui ebrius est, tunc primum esse, nec habere hoc vitium, et qui ebriosus est, saepe extra ebrietatem esse." Igitur salvam esse censebimus laudem, quam ei hoc nomine impertitus est Drumannus Hist. Rom. Vol. V. p. 186 sq.

---

18. Plutarchus quoque quin sua hauserit ex J. C. Anticatone, dubitari nequit, tacente quidem Heerenio de Fontibus Plut. p. 170. de illis, quae supra adscripsimus.

EXCURSUS II.

DE

REGIA, DOMO PONTIFICIS MAXIMI.

Quam Augustus ap. Sueton. c. 76. commemorat Regiam, ex qua olim lectica vectus domum redierit, perquam controversum est, utrum intelligenda sit Regia Numae, an Regia Regis sacrificuli seu domus Regis Sacrorum. Videsis perdoctam adnotationem Oudendorpii ad Sueton. l. c. BCrusius, quem Paldamus secutus est, neutram intelligit, sed basilicam nescit quam, ubi Augustus ambulaverit. Id numquam mihi visum est ad persuasionem appositum, utqui crediderim ab Augusto significari Regiam vulgo notam et domum κατ' ἐξοχὴν sic dictam. *Regia Numae* sita erat in ima Fori parte VIII. regionis Tiberim versus vel, ut Servius ad Virgil. Aen. VIII. v. 363. ait, in radicibus Palatii finibusque Fori Romani propter aedem Vestae, cui ita adjuncta erat, ut fere ejus *Atrium* efficeret. Hinc Horatius Libr. I. Od. 2. v. 14.:

Vidimus flavum Tiberim, retortis
Littore Etrusco violenter undis
Ire dejectum monumenta Regis
Templaque Vestae;

ubi conferatur Peerlkampius p. 13 sq. Illa Numae Regia quamvis per decursum temporis varias subierit vicissitudines, praesertim aliquot experta fuerit incendia, tamen iterum iterumque ex cineribus excitata et Marti, cujus hastae ibi asservatae stato tempore inde movebantur, consecrata retinuit nomen *Regiae* vel, cum ea serius atrium templi Vestae esset, *atrium regium* vocatum est, ut Oudendorpius inter alia docuit Ovidii Fast. Libr. IV. v. 263.:

Hic locus exiguus, qui sustinet atria Vestae,
Tunc erat intonsi regia magna Numae.

Videsis Plutarch. Num. c. 14. et quos laudat Ruperti ad Tacit. Ann. Libr. XV. c. 41. Hanc Numae Regiam scriptores utriusque antiquitatis simpliciter ac per excellentiam vocitarunt Regiam, τὸ βασίλειον. Ab ea diversa erat alia *Regia*, domus Pontificis M., sic passim appellata, vel quod in ea rex sacrificulus habitare consuesset, ut ait Servius l. c., vel ab Anco Marcio Rege, quae pariter Marti sacra in summa via sacra jacebat, ubi Fornix Fabianus erat: vid. Cicer. pro Milone c. 14. et Pseudo-Asconium ad Cicer. Verrin. I. c. 7. §. 19. p. 133. Or.

Jam utram *Regiam* Augustus h. l. significaverit, diu multumque quaesitum est hodieque in disceptatione versatur, si quidem certorum ea de re testimoniorum magna sit penuria et ambiguitas.

Julius Caesar, auctore Suetonio c. 46., primo habitabat in Subura modicis aedibus: post adeptum autem Pontificatum M. in via sacra, domo publica. Atqui Augustus, postquam, mortuo M. Aemilio Lepido, Pontificatum M. susceperat a. U. C. 741. s. 13. a. C. sive, ut Eckhelius D. N. Vol. VI. p. 107. accuratius definit, ineunte a. U. C. 742., noluit domo sua Palatina cedere in domum publicam, ut moris erat. Propterea partem Palatii publicavit [1]) in eaque aediculam Vestae ex Senatus Consulto condidit: cf. Ovidii Fast. III, 419., IV, 949. cl. Metamorph. XV, 846.: cujus rei caussa nulla alia fuit, quam quod Pontificem M. juxta aedem Vestae habitare oporteret [2]). Mitto hic quaerere, qua in domo habitaverit M. Lepidus itemque Rex Sacrorum, cujus domum pariter publicam Augustus tum Virginibus Vestalibus habitandam concessisse traditur a Dione Cass. Libr. LIV. c. 27. Haec quaestio, quae amplioris est indagationis quam quae huc quadret, cum jam a doctissimis superioris aetatis viris copiose tractata, tum nostra memoria a Duumviris [3]) ad liquidum paene adducta est perquam subtilibus perque eruditis disquisitionibus, quae diligenter a me lectae exploratae que effecerunt, ut ego in hac Augusti ad Tiberium Epistola *Regiam*, quam se adiisse scribit, nullam aliam fuisse putem, quam *Numae Regiam* κατ' ἐξοχὴν sic dictam, et domum hic agnoscam *Palatinam*, in quam lectica re-

1. Quum forte Palatium a. U. C. 756. s. 3. p. Chr. incendio absumptum fuisset, domum suam refecit refectamque publicavit totam, ut Dio Cass. Libr. LV. c. 12. refert: ὁ δὲ Αὔγουστος, τὴν οἰκίαν ἀνοικοδομήσας, ἐδημοσίωσε πᾶσαν, εἴτε δὴ διὰ τὴν συντέλειαν, τὴν παρὰ τοῦ δήμου οἱ γενομένην, εἴτε καὶ ὅτι ἀρχιέρεως ἦν, ἵν' ἐν τοῖς ἰδίοις ἅμα καὶ ἐν τοῖς κοινοῖς οἰκοίη.

2. Illam Vestae aediculam d. 28. Aprilis a. U. C. 742. s. 12. a. C. in domo Palatina dedicatam esse, testantur Fastor Praenest. Reliq. p. 70. ibique Fogginius.

3. Dico Jul. Athanas. Ambroschii *Studien und Andeutungen im Gebiet des altröm. Bodens und Cultus* (Bresl. 1839) Fasc. I. c. 1. et 2. cl. V. D. in Ephemerid. Jenens. Jan. 1841. p. 56., et Guil. Ad. Becker. *de Romae vet. Mur. et Portis* (Lips. 1842.) p. 25. sqq.

vectum panis unciam cum paucis acinis uvae duracinae [4]) se comedisse cum privigno suo communicat. In illam autem Regiam, cujus nomen per omnes Romae casus ac pericula mansisse et viguisse arbitror, haud dubie Augustus se contulerat, sacra solemnia obiturus, quae Pontificem Maximum stato tempore facere oporteret. Nam licet Augustus in ea quam publicaverat Palatii parte aediculam Vestae haberet veteri illi assimilatam, tamen numquam adducar ut credam, licuisse ei etiam ibidem perfungi, quidquid sacrorum Pontifici M. obeundum esset in Regia! [5]) Nihil refert scire, quo anno illa Epistola ab Augusto fuerit exarata; id manifestum est, scribi eam potuisse demum post a. U. C. 741. s. 13. a. Chr.

EXCURSUS III.

DE

LOCO CHARISII

LIBR. II. C. 14. P. 124. L.

Charisius de v. „*Obiter*" ita disputat: „Divus Hadrianus Sermonum primo quaerit, an Latinum sit: *Quamquam*, inquit, *apud Laberium haec vox esse dicatur, tamen Scaurus Latinum esse negat.* Addit, quod veteres *eadem* soliti sint dicere, non addentes *via*, ut sit *κατ᾽ ἔλλειψιν*, ut Plautus, inquit, *Eadem bibes, eadem tibi dedero savium.* Quamquam Divus Augustus reprehendens Tib. Claudium ita loquitur: „*Scribis enim perviam ἀντὶ τοῦ obiter.*" Sed Divus Hadrianus: „*Tametsi*, inquit, *Augustus non pereruditus homo fuerit, ut id adverbium ex usu potius quam lectione protulerit.*" [1]).

De hoc Hadriani in Augustum crimine indignatus Rutgersius ad h. l.: „Equidem, inquit, Hadrianum miror id de Augusto contra universum omnium seculorum consensum dicere non erubuisse." At qui Hadrianum noverit, duriusculum illud judicium non magnopere mirabitur. Vir enim fuit magni quidem ingenii multaeque doctrinae, sed vanitate, gloriae honorisque cupiditate famigeratus atque obtrectatione invidiaque, qua in alios homines doctos flagrabat, infamis, ut diserte testatur Xiphilinus Libr. LXIX. c. 3. Itaque non inscite G. de Rhoer de Stud. Litt. C. A. c. II. §. 21. p. 42. iniquius illud judicium ex obtrectandi quadam lubidine natum esse opinatur [2]). Mihi autem Hadriani verba primo adspectu acerbiora esse videntur quam reapse sunt. Quum enim negabat, Augustum hominem fuisse pereruditum, nihil aliud significabat, quam defuisse ei accuratam et amplam linguae inprimis Graecae scientiam. Nam apud Romanos argenteae aetatis *eruditus* appellabatur *κατ᾽ ἐξοχὴν* is, qui litteras Graecas et Latinas callebat: vid. Ernestius et BCrusius ad Sueton. Tiber. c. 70. Apud Sueton. Calig. c. 53. *eloquentiae* opponitur *eruditio*, i. q. philologia, quam dicimus: v. ad h. l. Ernestii Not. Atqui Augustus, ut jam Libr. II. §. 7. monitum est, Graecarum disciplinarum quamvis studiosus non tamen ita peritus erat, ut aut loqueretur expedite aut componere aliquid auderet. Ergo Hadrianus jure quodam suo magnae eruditionis laudem ei derogare poterat. Ipse enim erat, ut apud Xiphilinum legimus, *φύσει δὲ φιλολόγος ἐν ἑκατέρᾳ τῇ γλώσσῃ καί τινα καὶ πεζὰ καὶ ἐν ἔπεσι ποιήματα παντοδαπὰ καταλέλοιπεν.* Inde a teneris linguae Graecae operam dedit eaque ab initio in fraudem facundiae Latinae in dicendo usus est, auctore Spar-

---

4. De *uvis duracinis* exposuit J. G. Schneiderus in Ind. ad Scriptt. R. R. p. 176 sq.

5. Me hic respicere conjecturam acutissimi Viri, Beckeri, l. c. p. 35., ipsa, quibus usus sum, verba arguunt; caeterum meae suspicioni qualicumque favent, quae de Augusto, homine veteris religionis rituumque observantissimo, praeclare scripsit Ambroschius l. l. c. 2. p. 44 sqq.

1. Hoc in Charisii loco probabiles Niebuhrii et Lindemanni conjecturas secutus pro vulg.: *et cum Scaurus — — neget*, edidi: *tamen Scaurus — — negat.* Plauti versus ex Bacchid. I. 1. v. 15. hodie legitur: „*Eadem biberis; eadem dedero tibi, ubi biberis, savium.*" — Lindemannus ex Cod. et Edit. Pr. dedit: *T. Claudium*, contra Putschius et Fabricius *Tib. Claudium*, quos secutus sum. Tiberius est intelligendus, cui voc. *perviam* pro *obiter* usum olim exprobraverat Augustus. Vocem *obiter*, de qua Faernus ad Terentii Heaut. II. 3. v. 127. Bentl. conferatur, argenteae aetatis esse neque ante Senecam inveniri, contendunt Nolten in Lexic. Antib. Ind. Etym. II. p. 628. et Doederleinius in Synon. et Etymol. Ind. p. 241. Sed Laberius cum ea in Mimis jam usus esset, sequitur, eam pridem in vulgi sermone usurpatam fuisse. Neque tamen Augusto prorsus improbata est, utqui reprehenderit vocabulum *perviam* et simul ostenderit, se rejicere tantum illius originationem *ob* et *iter*. Videsis Reisigii Praelect. de L. L. §. 132. ibique Haase N. 241.

2. Idem judicium de Augusti eruditione C. Reisigius fecerat in Praelect. l. c., quem Virum egregium irritatum fuisse suspicor verbis et exemplo Augusti, quo se facile tuerentur Philologi, qui disserentes de rebus Grammaticis, perspicuae brevitatis gratia, amarent Articulo Graeco in sermone Latino uti!

tiano in Vit. ej. c. 2. De ejus Orationibus egit H. Meyerus in Oratt. Rom. Fragm. p. 254. Praeterea reliquit multa alia utriusque generis scripta, quorum titulos diligenter collegerunt Reimarus et Sturzius ad Xiphilini l. c. N. 28., 29. et 30. Vol. VI. p. 647 sq., omissis tamen *Sermonum* libris, quos Charisius ante oculos habuit et quos grammatici argumenti fuisse liquet. Sed revertamur paucis ad Tiberium, quocum Augustum epistolarum crebritatem et assiduitatem habuisse et vidimus jam et multi alii, qui supersunt, contestantur scriptorum loci, in quibus recte posuit Fabricius Sueton. Aug. c. 86. et 92., Tiber. c. 11., 12. et 22. Et quamquam Augustus suspiciosus in Tiberium erat eique nonnumquam subirascebatur, tamen interiora animi sui sensa ac cogitata aperte cum eo communicare solebat. Spectat huc inprimis Sueton. Aug. c. 92., ubi refertur, qualis Augustus circa religiones fuerit: „Observabat et dies quosdam, ne aut postridie nundinas quoquam proficisceretur, aut Nonis quidquam rei seriae inchoaret: nihil in hoc quidem aliud devitans, ut ad Tiberium scribit, quam *δυσφημίαν* nominis." Videlicet Augustus in hoc superstitionum genere, quod Cicero de Divin. Libr. II. c. 40. attingit, majoribus nihil concedebat, docente Drumanno Hist. Rom. Vol. IV. p. 301 sq.

EXCURSUS IV.

DE

LOCO QUINTILIANI

INST. OR. LIBR. I. C. 6. §. 19.

Quintilianus in eo, quem dixi, loco §. 17. damnat molestam diligentiae perversitatem eorum, qui plenam vocabulorum formam imminutis ubique praeferant neque consuetudini et decori serviant, sicut in plurimis, quae M. Tullius in Oratore divine, ut omnia, exsecutus sit: quibus verbis Ciceronis Orat. c. 46. et 47. respici apertum est. Inde discimus, jam Ciceronis aetate fuisse, qui vetarent loqui *nosse*, *judicasse*, juberent autem *novisse, judicavisse*, et plenum verbum recte dici, et imminutum usitate. Ac Cicero ipse haud diffitetur, se in hoc genere consuetudini auribus indulgenti obsequi, a qua impetratum sit, ut, concessa hujuscemodi licentia, peccare suavitatis caussa liceat. Quintilianus ipse affert, qui *audaciter* pro *audacter*, *emicavit* pro *emicuit* malint dicere et *audivisse* et *scivisse* praeferant, licet omnes oratores aliud sequantur.[1]) Evidentissimum est, Fabii aetate brevioris in vocabulis formae usum praevaluisse et obtinuisse, cui jam Cicero, superbum aurium secutus judicium, priores partes detulerat. Jam M. Tullii doctrinae et exemplo a Quintiliano subjicitur aliud §. 19.: „Sed Augustus quoque in Epistolis ad C. Caesarem scriptis emendat, quod is *calidum* dicere, quam *caldum* malit: non quia illud non sit Latinum, sed quia sit odiosum, et, ut ipse Graeco verbo significavit, *περίεργον*." Quam ego Spaldingium secutus nunc quidem in textu h. l. dedi scripturam, reliqui fere omnes probaverunt Editores et Viri Docti, si discesseris a BCrusio ad Sueton. Aug. c. 86., ubi in Fabiano loco repudiata Spaldingii lectione, corrigendum esse dicit: *quod is* caldum *dicere quam* calidum *malit*. Huic correctioni sive trajectioni verborum patrocinari videntur praestantissimi Codices, quorum variantes scripturas in lucem protulit Zumptius in Editionis Spaldingianae Vol. V. p. 44. sq. Hi Codices, ab Viro egregio in Prooemio p. XI. sqq. descripti, h. l. praebent: *emendatius calidum dicere quam caldum mavult;* ubi tamen Zumptius acute addit: „Sed tuto etiam alteram illam scripturam restituere potes, modo *emendatius caldum quam calidum*, permutatis sedibus, scribas." Optime! quem enim altera haec Codicum scriptura praebet sensum et quem huic loco subjectum esse vult BCrusius, eum a Quintiliani mente alienum esse, et Zumptius bene sensit et Meyerus recte docuit, qui in Addend. Vol. I. p. 462. non multum abest quin partim ex Codd. scriptura, partim ex Zumptiana conjectura totum h. locum constituat: *Sed Augustus — emendatius caldum dicere quam calidum mavult:* me adstipulante, cui illa vv. *emendat, quod is* numquam non displicuerunt. Jam nemini cuiquam dubium erit, quin a Fabio hic illae Augusti ad C. Caesarem Epistolae nominentur, quas collectas editasque fuisse Gellius refert, ut supra h. Libri §. I. admonuimus. In una igitur alterave illarum Epistolarum ad C. Caesarem Augustus sine dubio nepotem suum, quia plenum vocabulum *calidus* usurpasset, reprehenderat monueratque, ut in posterum

---

1) H. Meyerus ad Quintil. l. c. §. 17. monet, formam *audaciter* passim apud Ciceronem inveniri laudavitque Garaton. ad Cicer. Or. pr. Fontej. c. 1., pr. Coel. c. 6.

uti mallet imminuta ejus forma *caldus*. Hanc esse loci Quintilianei sententiam, utramvis adoptaveris ejus scripturam, sole clarius est, viditque etiam Forcellini in v. *Caldus*. Cognitam etiam habemus Augusti curam in erudiendis nepotibus neptibusque: quemadmodum Agrippinae nepti in Epistola, quam supra N. 20. dedimus, scripserat, daret operam, ne moleste scriberet et loqueretur; ita veri simillimum est, Gajum nepotem ab eo fuisse monitum, ut abstineret vocabulorum formis, quae in desuetudinem venissent. Haec si via et ratione disputavimus, consequens est et consentaneum, ab Augusto praeoptatam fuisse formam illius vocabuli breviorem, per Syncopen, quae dicitur, contractam [2]). Subit mirari, qui factum hoc sit ab Augusto, Latinae linguae non nescio et munditiarum patris sui in sermonibus sectatore, ut Gellius ait. Sed illius brevitatis licentiam dabat ei commendabatque consuetudo. Neque enim dicit, *calidum* se aspernari, quia non sit Latinum; imo si quis alius bene sciebat, illud ab optimis oratoriae et poeticae dictionis scriptoribus olim et propria et translata notione usurpatum ac promiscue retentum esse; sed idem etiam sciebat, imminutam vocabuli istius formam cum eadem potestate antiquis jam et doctis Latinitatis auctoribus fuisse probatam et adamatam [3]). Ciceronem quidem breviore forma abstinuisse, adnotarunt Viri Docti neque tamen eam ignorasse, ex vulgi certe sermone sibi cognitam, evincunt ea quae de Invent. Libr. II. c. 9. de nomine *Caldi* scripta legimus: „ut si dicamus, idcirco aliquem Caldum vocari, quod temerario et repentino consilio sit.“ [4]) Sed qui hac in re praecipuus idemque gravissimus auctor est, M. Terentius Varro, videtur contractam h. v. formam in deliciis habuisse eamque, quantum ex binis, quae ferme integra supersunt, ingenii doctrinaeque ejus operibus colligi licet, prae caeteris frequentasse [5]). Hujus viri, Latine doctissimi, auctoritas et exemplum hanc videtur vim habuisse, ut inde ab hoc tempore plenum verbum apud multos prorsus ex usu sublatum in desuetudinem abiret. In horum numero fuit etiam Augustus, quem ut imminutam formam praeferendam judicaret, etiam impulit, quia, ut ejus verbis utar, v. *calidum* odiosum esset et *περίεργον*. Jam Forcellinio in v. *Caldus*, assentiente H. Meyero ad Quintil. p. 106., Augustus videtur illud odiosum appellasse, quia proximum voci *callidus* [6]), quod fere in malam partem usurpari soleat; *περίεργον* autem illi est nimis exquisite et curiose dictum. Posterius ut recte, vereor: ac, cum proprie *περιεργία* affectatio ornatus in compositione orationis sit, mala sedulitas in ornando et poliendo, haud scio an non h. l. rectius ad mediam vocalem referas, quam supervacuam esse h. verbo Gr. significare voluit [7]). Ego quidem utrumque verbum malim ad rationem soni referas. Quemadmodum enim jam veteres, monente Cicerone Orat. c. 47., vocabulorum formas et pleniores et breviores soni suavitate et gratia metiri et aurium judicio alii alias vel probare vel improbare solebant; ita etiam ab Augusto suspicor *calidum* rejectum et *caldum* praeoptatum esse, quia illud in sermone opimius esset ac nimis pingue sonaret, hoc autem simplicius esset suisque temporibus usu quotidiano et consuetudine velut sancitum vigeret.

Quidquid ejus rei est, id largiri possumus Forcellinio ex hoc Fabii loco colligenti, Augusti aevo *caldum* pro *calido* usitatissimum fuisse. At, quantum in tanta scriptorum, qui ad nostram aetatem pervenere, paucitate affirmare possumus, tantum abest, ut plenum vocabulum ipsius Principis exemplo et auctoritate de communi omnium usu exemptum velut exstinctum evanuerit, ut illa ipsa aetate apud poetas, quibus inge-

---

2) Syncopam in h. v. Augusto unice probatam fuisse, confirmat etiam illud, quod in verbis compositis eamdem amavit: sic in Epistola ad Tiberium N. 6. exaratum reperimus: „*forumque aleatorium calfecimus.*“ De quo verbo si BCrusius in Ind. Sueton. s. h. v. existimat, usitatius fuisse activum *calfacere*, sed *calefieri* adhibitum media s. intransitiva significatione, non hujus loci est ea de re accuratius quaerere. Mihi secus videtur.

3) Sic jam *C. Lucilius* ap. Nonium s. v. *Fulgit*, Libr. VII. 9. D.: *Primum fulgit, uti caldum ex fornacibu' ferrum.* Idem ap. Nonium s. v. *Collus;* Libr. VII. 18. D.: *Caldissima, ac bene plena jam solorum* (?) *atque anseri' collus.* Sed levior cum sit in his auctoritas poetae, cui metrorum necessitati sit serviendum, mittamus *Lucilium* et graviorem proferam testem, *Catonem Censorium*, apud quem de R. R. c. 6. §. 1. *sub agro crasso et caldo* legimus et c. 69. ut *arfacito*, ita paulo post *dolium calfacito.* Contra ejus aequalis, *Ennius*, pleniorem formam, metro non cogente, praetulit, v. c. Annal. Libr. I. v. 123. „*Hoc, nisi tu, nam mi calido dabi' sanguine poenam:*“ et Libr. V. v. 12. Sp.: „*Spiritus ex anima calida spumas agit albas:*“ quae sane Hexametri gravitate dignior!

4) Hinc *Caldi* cognomen inditum est *C. Coelio*, tr. pl. a. U. C. 647. s. 107. et ad posteros propagatum, de cujus imagine et usu in Numis praeter Pighium Ann. Tom. III. p. 136. docte exposuit Drumannus Hist. Rom. Vol. II. p. 408. N. 25 et 26.

5) Operae pretium esse videtur Varronis locos hic collectos dare. v. c. de R. R. Libr. I. c. 41. §. 1. *ut ficus, quod densa materia non est, et ideo sequitur caldorem;* c. 55. §. 6. *Olea lecta — caldore fracescit;* Libr. III. c. 2. §. 1. *sole caldo;* c. 9. §. 15. *evitare item caldorem et frigus.* Idem Varro de L. L. Libr. (IV.) V. c. 22. §. 106. Mr. *Testuacium, quod in testu caldo coquebatur* etc.: quod Spengelius p. 110. optimis Codd. firmatum invenit, ceteri cum haberent *calido;* c. 27. §. 127. *Calix a caldo, quod in eo calda puls apponebatur et caldum eo bibebant.* Varro ibidem addubitare videtur de h. v. comparationum gradibus eorumque forma, utqui scribat Libr. VIII. c. 39. §. 75.: *Nam cum sit simile salsum, caldum, et dicatur ab his salsius, caldius, salsissimum, caldissimum* etc.: in quo loco Varro de Adj. *caldus* sic loquitur, ac si alia forma ejus non inveniatur. Comparativum habet Horatius Libr. 1. Sat. 3. v. 53.: *Caldior est: acres inter numeretur;* Superlativum legimus ap. Lucilium supra N. 3., scriptura si sana est, dubitante J. Vossio ad Catull. p. 61.

6) Habet haec suspicio, quod arrideat. Ita enim *calidus* et in pronuntiando et scribendo facile poterat depravari: id quod quodam modo hodieque intelligi potest ex librariorum erroribus ap. Cicer. d. N. D. Libr. I. c. 25. ibiq. vid. Davis. Heindorf. et Moser. itemque ap. Plinium Libr. V. Ep. 22. §. 6., ubi Ernestio adstipulor. Num vero Augustus loquentium ac scribentium oscitantiae tantum tribuerit, valde dubito.

7) Hanc *περιεργίαν* in oratione convertit Latine Quintil. Libr. VIII. c. 3. *supervacuam operositatem:* videsis Ernestii Lexic. Technol. Gr. p. 256.

nium, divinior mens atque os magna sonaturum esset, velut apud Horatium in Odis, Virgilium in Georgicis et Aeneide in summo maneret honore et apud seriores etiam carminum Virgilianorum imitatores porro vigeret. Imminutum autem verbum praevaluisse videtur in vulgi sermone inque tenui dicendi scribendique genere atque ubi de rebus vitae quotidianae humanaeque necessitatis dicendum esset. Sic, ut hoc utar, constans ac perpetuus brevioris vocabuli usus est, ubi de cibis et potionibus, vino et aqua sermo est, ut ex scriptorum locis comparet, quos *Gebauer de Caldae et Caldi potu.* Lips. 1721 aliique a Rupertio ad Tacit. Ann. Libr. XIII. c. 16. allegati congesserunt. Idem docet jocus iste militum ac plebis de Tiberii, hominis bibacissimi, ebriositate ap. Sueton. c. 42., ubi Burmannus carmen attulit ineditum, cujus est clausula:

Exinde plebs Quiritium vocavit
Non Claudium Tiberium Neronem,
Sed Caldium Biberium Meronem.

EXCURSUS V.

DE

C. ANNIO CIMBRO ET VERRIO FLACCO.

In Epistola Augusti N. 22. ad M. Antonium ap. Sueton. Aug. 86. cum alia, quae jam supra attigi, habent criticam difficultatem, tum inprimis duorum Grammaticorum nomina Viris Doctis multum negotii facessiverunt, ut de his nonnulla, quae scitu sint necessaria, hic persequar. A principio vulg. editum: *Tu quoque. Male! Cimberne Annius*, pro quo gentili nomine Torrentius et Casaubonus ex libris quibusdam *Annaeus* injuria defenderunt: vid. Intpp. ad Ciceronis Philipp. XI. c. 6. p. 368. sqq. Wf. Intelligendus est *C. Annius Cimber*, Lysidici filius, famosus M. Antonii administer, Rhetor, Historicus et Poeta admodum insulsus, a Virgilio in Epigrammate ap. Quintil. I. Or. Libr. VIII. c. 3. §. 28. derisus. Non est quod plura de eo adjiciam post perdoctam Comment. Imm. G. Huschkii. Rostoch. 1824. 4., quacum conferas Philip. Wagneri Excurs. ad Virgil. Catalect. Vol. IV. p. 377 sqq., qui acute admonuit, Cimbrum a Virgilio perstringi tamquam ineptum antiquitatis affectatorem. Neque ab Augusto h. l. alio nomine ac crimine notatur et cum *Veranio Flacco* copulatur. In errore enim sunt, qui utrumque sibi opponi opinentur 1), ut alter Cacozelus fuerit, Antiquarius alter; imo utrumque velut φιλαρχαῖον opponi potius h. l. Asiaticorum generi oratorum, evidens est. Neque tamen, ut Paldamus verissime censet, opus est, ut, illi ne disjungi videantur, cum Casaubono aliisque scribatur *aut* vel *ac* pro *an* Veranius. Is autem Veranius, quem vel ex Augusti commemoratione concludere possumus non ignobilem ejusdem generis Rhetorem fuisse, quis et cujas fuerit quibusve ingenii doctrinaeque monumentis inclaruerit, nos plane ignoramus. Qui enim ap. Festum passim et ap. Macrob. Sat. Libr. II. c. 16. et III. c. 2. et 5. laudatur *Veranius* 2), ei nusquam cognomen *Flacci* inditum reperimus. Quam ob caussam Casaubonus diu multumque secum meditatus pro *Veranio*, cujus nominis scriptura in Codd. *Verannius*, in Cod. Vindob. *Varianus* variat, tandem incidit in *Granium Flaccum*, quem Jul. Caesaris aequalem vixisse ac de Jure Papiriano ἀρχαϊκῶς scripsisse veri simile sit: cf. Bach Hist. Jurispr. R. Libr. I. c. 1. §. 7. et Zimmern I. 1. p. 86. Sed correctio ista, quamvis Oudendorpii assensu comprobata et docta disputatione in Petr. Paul. Justi Specim. Observatt. Crit. (Viennae 1765. 4.) Cap. XI. p. 29 sqq. stabilita sit, numquam tamen mihi placuit in eaque semper fui sententia, ut a Torrentio, Casaubono aliisque minoris quam par esset factam esse judicaverim palmariam conjecturam Beroaldi, a quo jam dudum divinando h. l. inventus esset *Verrius Flaccus*. Neque tamen quisquam Editorum, qui insecuti sunt, fidenter ap. Suetonium ei locum dedit, suadente quidem Fogginio in Praef. ad Fastos Praenest. p. XX. (Romae 1779.), cui nuperrime accessit Othofr. Müllerus in Praef. ad S. Pompej. Festum Cap. II. p. 12. his verbis: „M. Verrium Flaccum accepimus Augusti temporibus ita inclaruisse dicendi genere, ut ab ipso Principe nepotibus ejus, Gajo et Lucio, praeceptor electus cum tota schola in Palatium transiret, ea tamen lege, ne quem amplius posthac discipulum reciperet. Ita Suetonius de Illustr.

---

1) Hunc errorem ne Spaldingius quidem ad Quintil. l. c. Vol. III. p. 230. satis cavit.

2) A Macrobio Sat. Libr. II. c. 16. laudatur scripsisse de *Verbis Pontificalibus* et a Festo p. 173. Lind. propter librum, quem *Priscarum Vocum* inscripsit. Uterque liber afferri possit, quo probetur, ejus mentionem h. l. non incongruam esse.

Gramm. 17., cf. c. 18. Haec credibile est eo tempore facta esse, quo C. et L. Caesares pueri decem septemve annorum erant i. e. circa annum ab U. C. 744., a. Chr. 10. Atque Augustus quidem tanto in honore habuit Verrium, ut ejus dicendi genus, quippe emendatissimum et plane Latinum, Annii Cimbri obscurae et barbarae fere elocutioni (de qua Imm. Huschkius) opponeret: si quidem in Suetonii Octavian. c. 86. pro Veranio Flacco Verrius ab Ernestio aliisque recte restitutus est." [8]) Quae postremo loco a Müllero scripta sunt, ea nollem scripta ab eximio Viro! Neque satis caussae erat, ob quam Casaubonus Tom. III. p. 451. W., praeeunte Torrentio, Verrio Flacco juxta Cimbrum Antiquarium sedem quasi invideret ac Beroaldi conjecturam, jactis aliquot Chronologiae dubitationibus, elevare studeret his usus verbis: „Nam satis liquet, eum, qui hic cum Cimbro nominatur ab Augusto, ipsi fuisse ἀπὸ θυμοῦ, ingratumque atque adeo exosum (odiosum) ejus dicendi genus: ut parum sit probabile, illius opera, quicunque tandem fuerit is, usurum Augustum in liberis suis erudiendis. Non ergo *Verrius Flaccus* est, quem ille Princeps praeceptorem suis nepotibus elegit, teste Suetonio." Verum enim vero hanc suspicionum nubeculam accuratior temporum observatio extemplo dispellet! Hanc ad M. Antonium Epistolam ut scriptam esse statuamus certe ante a. U. C. 720. s. 34. a. C., res ipsa suadet. Atqui illis temporibus Verrius Flaccus necesse est vir fuerit admodum juvenis, utqui sub Tiberio demum exactae aetatis decesserit, ut ait Suetonius d. Ill. Gr. c. 17. Nihilo tamen secius existimandus est jam tum aliquam nominis doctrinaeque famam adeptus Augusto quamvis leviter, tamen ita innotuisse, ut Triumvir juvenis, qui erat in Collegae rebus studiisque aestimandis calidior ejus animus, nihil dubitaret eum componere cum Annio Cimbro, Antiquario jam tum famigeratissimo. Ita Verrium ipsum designat Antiquarium: id jure an injuria factum sit, nunc non quaerimus. Quid autem, ipse si Augustum ad eam sententiam sive opinationem traduxerat editis jam tum libris *De Obscuris Catonis,* quos A. Gellius N. A. Libr. XVII. c. 6. §. 2. memorat? Jam fac, illos libros Augusto fortasse fando tantum leviterque innotuisse, ideoque Triumvirum illius operis titulo deceptum de ipso auctore male opinatum esse, ita ut Rhetorem juvenem velut novicium Antiquarium pariter ac Cimbrum despicatui haberet eumque cum illo copulatum M. Antonio ad imitandum proponeret? Ac si quis est, qui cum Casaubono neget sibi persuaderi posse, ut Verrium Flaccum Antiquarium ab Augusto sumptum esse credat nepotum praeceptorem, is primum cogitet, quam longo post eam Epistolam temporis intervallo illud evenerit. Inter omnes constat, ex Augusti nepotibus *Gajum* a. U. C. 734. s. 20. a. C. et *Lucium* a. U. C. 737. s. 17. a. C. natos esse ita, ut illi in Verrii Flacci disciplinam non facile prius dari potuerint, quam circa a. U. C. 744. s. 10. a. C., ut Müllerus annorum rationes probabiliter computat. Deinde quid impedit quo minus statuamus, intra illud viginti annorum et amplius spatium fieri potuisse, ut aut ipse Verrius rationem adhibens vitiosam illam et corruptam Antiquariorum consuetudinem serius recto dicendi scribendique genere emendaret, aut Augustus opinione antea falsus, orta jam interiore utriusque notitia auctaque Rhetoris fama, eximiam ejus doctrinae sanioris facultatem accuratius cognosceret et ingenii ejus animique virtutes penitius perspiceret: quibus omnibus motum eum esse credibile est, ut, quem prius parvi aestimasset, eum in magno haberet honore et gratia eumque eligeret nepotum praeceptorem et cum tota schola in Palatium reciperet. Sed non vacat amplius ariolari! Sublatis vero pulsisque dubitationibus, quae Viris Doctis contra Beroaldi conjecturam subortae essent, ego confidentior factus nihil dubitavi *Verrium Flaccum* in Augusti Epistolam velut jure postliminii revocare. Quod ad postrema verba Augusti attinet, in Mediceo primo non comparet *sententiis:* cui si plures addicerent Codices, scribi mallem *inanis verborum volubilitas,* quam cum Gronovio *inanis sententiis verborum volubilitas,* cui conjecturae praeferenda est Vulgata, quam optime expedivit BCrusius.

EXCURSUS VI.

DE

LOCO MACROBII

SAT. LIBR. II. C. 4.

Cum in Macrobii textu typis exprimendo tum in Augusti ad Maecenatem verbis, in quibus vere dici potest quot verba tot inesse ingenii cruciamenta, repraesentandis maxime secutus sum Editionem, quam Joach.

8) Praeterea de *Verrio Flacco,* Gaji et Lucii Caesarum praeceptore, nonnulla alia notavit Norisius Cenot. Pisan. Dissert. II. c. 1. p. 96. sq.

Camerarius (Basileae ap. Hervag. 1535.) curavit, neque tamen alias easque antiquiores, quae ad manus erant, neglexi. [1])

In principio Epistol. Caesaris Augusti *Vale mel gentium* nihil vitii ac corruptelae video. Cod. Gudian. *Vale me legentium* nos ad genuinam Vulgatam ducit. Sicut Maecenas appellatur h. l. *mel gentium* sc. Romanarum, ita paullo post *Cilniorum smaragde* sc. Cilniorum Romanorum, non Etruscorum, apud quos nulli fuerunt. Quod G. de Rhoer conjectura dedit *Mel meum*, id eo minus probandum censeo, quo magis ita perit quaesitum ab Augusto *κακόζηλον* et revocatur consueta ejus loquendi castigatio. Invita Minerva Casaubonus correxit *Mel gemmeum Medulliae:* et quidem *Medulliae* nomen accepit de urbe Latii, vicina Etruriae, cujus tamen situs valde dubius est, notante Cellario G. A. Vol. I. p. 619. ac *gemmeum* mirifice languet. [2]) Melius Gyraldus tentavit *mel gentium et medulla*, nisi quod copula huic Augusti stylo, quem affectat, plane contraria est; *medulla* autem proxime accedit Cod. Gudian. *meculle.* In margine Edit. Camerar. pro *metuelle*, quod in textu est, ex Cod. antiq. appictum est *melcule*, quod ab Editoribus, quos sciam, omnibus et a Rutgersio, Schotto et Fabricio receptum propagatumque est, neque tamen a quoquam explicatum, si discesseris a Pontano, qui hic mendum odoratus vulg. *metuelle* perquam verisimili conjectura refinxisse sibi videbatur *mi tenelle.* Facilis et ad Vulg. ductus proxime accedens emendatio, sed dictio nimis vulgaris nihilque exquisiti et affectati continens. Fuit quo ego ipse tentarem *mellitule*, *mein Honigmännchen:* quae vox in blanditiis antiquae Comoediae videtur fuisse, ut colligo ex Apuleji Metamorph. Lib. III. p. 205. T. I. B., ubi legimus *mea mellitula*, *mein Honigpüppchen.* Quid autem, si sanissima est lectio *melcule?* Apud Plautum occurrit Adject. *melliculus* et Subst. *melliculum*, ut in Casin. Act. IV. Sc. 4. v. 18. *corpusculum melliculum*, et Curcul. Act. I. Sc. 1. v. 11. *melliculo dulci meo.* Jam uti apud eumdem Casin. Act. IV. Sc. 4. v. 14. teste Prisciano Libr. III. p. 610. P. c. V. §. 27. Kr. legimus *Meum corculum, melculum, verculum*, ubi vulg. *melliculum* inveniebatur; ita mihi vix dubium est, quin Augustus joci gratia ex *mellicule* per Syncopen fecerit *melcule* et rariore et insolentiore forma Maecenatem ludificatus fuerit. Neque tamen dissimulo, offensioni mihi esse duplicem mellis commemorationem, quae tantulae enuntiationis brevitati inferatur, nisi eam studiose quaesitam dixeris. Augustus in *ὑποκορίσμασι* sequentibus respicit ludendo cum rerum omnis generis deliciosarum tum inprimis lapillorum pretiosorum studium, [3]) cujus Maecenas insimulabatur, augetque *τὸ γελοῖον* sententiae eo, quod illas delicias adjectis nominibus designat quasi omnes ad Etruriam, Maecenatis ejusque majorum patriam, urbes regionesque pertineant ibique reperiantur. Consideremus singula. Male Crinitus habet *ebur Hetruriae:* invitis libris, in quibus est *ebur ex Etruria.* Maecenatem lepide appellat *ebur*, rem per se pretiosam, quam h. l. non India, sed Etruria mittat! Perridicule! Post eboris mentionem quilibet exspectet unionem, gemmam aliusve pretii lapidem; sed nominatur *laser Arretinum.* Cur *Arretinum* dicatur *laser*, liquet: *Arretium* una ex duodecim urbibus Etruriae principalibus et, ut ex Livii Libr. X. c. 3. colligi licet, natalis Maecenati; [4]) sed *laser* quid sibi hic velit, perobscurum est. Cod. Gudian. *lasar*, quod etiam Crinitus et Meibomius semel c. 2. §. 23. habet; *lasser* Edit. 1513. Jam quae a Taubmanno ad Plauti Rudent. Act. III. Sc. 2. v. 15. p. 1040. proposita est hujus nominis interpretatio, lascivienti quidem sordiumque in jocis studioso ejus ingenio digna est, sed, si quid judico, absona et ab hoc loco alienissima. Is enim *laser*, *eris*, capit de succo bituminoso et graveolenti plantae, quae *laserpitium*, Gr. *σίλφιον* appellatur. [5]) Quod etsi, teste Plinio N. H. Libr. XIX. c. 3. §. 15. S., auctoritate clarissimum fuit ac magnificum pretiosumque in usu medicamentisque: cf. Salmasius in Exercit. Plinian. p. 249. et Sprengel in *Beitraeg. z. Gesch. der Medicin* I. 1. p. 213 sqq.; tamen nullo pacto adduci possum, ut Augustum his verbis significare voluisse cum Taubmanno credam, Maecenatem apud Etruriae populos in eodem esse pretio, quo apud omnes laserpitium. [6]) Laser quod h. l. dicatur *Arretinum*,

---

1) Contuli Macrobii Editiones has: *Venetam*, quam Joannes Rivius recensuit 1513.; *Paris.* Ascens. 1519.; *Coloniens.* 1521.; *Venet.* Ald. 1528.; denique *Lugd. Bat.* 1628., quam Is. Pontanus secundo edidit.

2) Ejusdem farinae sunt aliorum ariolationes: Sic Simon Bosius ad Cicer. l. c. p. 104. proposuit *mel Centinum* (Sentinum?) et Vejens. Adr. Turnebus Advers. Libr. XVIII. c. 1. *mel gentium Medulliae* vel *Vetuloniae:* quae pariter urbs Etruriae memorata ab Sil. Ital. Libr. VIII. v. 483. et Plin. N. H. Libr. II. c. 103. cf. Od. Mülleri *Etrusk.* I. p. 116. N. 24. Utriusque V. D. correctiones perquam audaces nec necessarias silentio praeteriissem, nisi eas Fabricius notatu dignas censuisset.

3) Hoc Maecenatis studium non derivaverim tam ex liberali et honesto Naturae et Artis amore quam ex mera cultus et ornamentorum cupiditate et luxuria, quam in gemmarum anulorumque et multitudine et pulchritudine ponebat. Hinc non mirum est, eum, silente Plinio N. H. Libr. XXXVII. c. 1., numquam cogitasse de Dactyliotheca, licet scripsisse videatur de *gemmis*, auct. Plinio in Elencho ej. Libri Vol. I. p. 124. S.

4) Nomen hujus urbis scribitur nunc simplici nunc duplici littera canina, *Aretium* et *Arretium:* vid. Duker et Drakenb. ad Livii Libr. IX. c. 32. in. et X. c. 37. §. 4. cl. Schneider. Gr. Lat. I. 2. p. 428. Inscriptiones ap. Gruter. et Orellium praeferunt Diplasiasmum; in Codd. et Editt. scriptura perpetuo variat: ego cum Od. Müllero Inscriptiones secutus sum.

5) Celebratur *σίλφιον* jam ab Herodot. Libr. IV. c. 169., ubi Baehrius Vol. II. p. 575 sq. docte et copiose egit de hac memorabili planta, quam in rerum natura penitus interiisse suspicatur Böttiger in *Archaeol. u. Kunst* I. p. 226.

6) Hujus explicationis patronus quomodo esse potuerit G. de Rhoer, qui memorato antea melle, istius succi mentionem valde aptam censuerit, equidem non assequor; minus miror eam probatam fuisse a Billerbeckio in Flora Classica p. 73.

non magis me offendit quam ebur ex Etruria. Celebratur inprimis Libycum seu Cyrenaicum; in Caucasi quoque jugis σίλφιον inventum fuisse ex Aristobulo narrat Arrianus de Exped. Alexandr. Libr. III. c. 28. §. 10. Ell. Arretini laseris nomine et imagine ludit modo Augustus. At vero, ut, quod sentio, paucis dicam, mihi persuasum est, v. *laser* h. l. mendosum esse. Ac fuerunt jam, qui hocce nomen cohaerere suspicarentur cum Praenomine Etrusco *Larth*, *Lart*, *Lar*, *Lars*, uti invenitur *Lars Tolumnius*, *Lars Porsena* notione domini, principis:[7]) cf. Od. Mülleri *Etrusker* I. p. 367. et 408. N. 4. 5. 6. Non male Meibomius c. 3. §. 24. conjicit, Maecenatem ab Augusto vocatum esse *ebur ex Etruria*, *laser Arretinum*, *Cilniorum smaragdum*, ut tacito acumine significaret, eum *populo* Etruscum, *domo* Arretinum, *gente* s. *familia* Cilnium fuisse. Unde manifestum est, Meibomio in v. *laser* suboluisse notionem Dei alicujus penetralis sive domestici. Hinc, si quid sentio, optime R. Maffeus Volaterranus in Comment. Rerum Urban. Libr. XVII., quem Fabricius h. l. affert, et Gyraldus tentarunt *Esar* i. e. Deus: quae conjectura vitiosa lectione *lasar* egregie juvatur, praesertim si scripseris *Aesar*, quod a P. Crinito temere rejectum extra omnem dubitationem ponit Suetonius Aug. c. 97. de ostentis agens, ex quibus Augusti mors et apotheosis praecognita esset: „Sub idem tempus, inquit, ictu fulminis ex inscriptione statuae ejus prima nominis littera effluxit. Responsum est, centum solos dies posthac victurum, quem numerum C littera notaret, futurumque, ut inter Deos referretur, quod AESAR, id est, reliqua pars e Caesaris nomine, Etrusca lingua Deus vocaretur.“[8]) Cf. Dio Cass. Libr. LVI. c. 29. Hanc emendationem, qua ad sensum nihil commodius et ad Vulgatae ductus nihil est facilius, caeteris VV. DD. tentaminibus praeferendam duco, qua Maecenas tanquam numen Arretii tutelare designetur. Porro Maecenas appellatur per jocum *adamas supernas*, pro quo Cod. Gudianus vitiose *scaevas* habet: lapis ille maximi inter gemmas pretii, qui in Etruria non reperitur, tamen h. l. *supernas* audit, qua quidem voce a Romae incolis notatur, quicumque ad mare superum s. Adriaticum, uti *infernas*, qui ad mare inferum s. Tyrrhenum natus est. Forcellinius in Lexic. h. v.: „Ab Augusto l. c. vocatur per jocum Maecenas *adamas supernas*, *Tiberinum margaritum* etc., cum aut adamantes supernates aut margarita in Tiberi nulla sint.“[9]) Me mirum habet, quod Maecenas non dicatur *infernas* ob Etruriae situm Tyrrheno mari viciniorem, quam Hadriatico. An forte respicitur tractus Padanus, ad Spinam et Adriam usque pertinens, quem Etrusci pariter tenuisse feruntur et incoluisse? Videsis Od. Mülleri *Etrusk.* I. p. 131 sqq., qui illud nomen l. c. p. 376. N. 77. ad Apenninum refert et in Tiberino margarito illius fluvii Fontes potissimum intelligendos censet. Sed universe Tiberis audit ap. Romanos *amnis Tuscus*, utpote qui in Etruria ex Apennino ortus utrumque sub finem fertur: vid. Sil. Ital. Libr. VIII. v. 362. ibiq. Ruperti. Insolentiorem formam *margaritum* pro *margarita*[10]) ab Augusto de industria assumptam esse putato, quia ad Maecenatem scripsit. — *Cilniorum* est lectio unice vera pro *Cilneorum*, quod habet P. Crinitus: res satis explorata a Drakenb. ad Livii Libr. X. c. 3. §. 5. Meibomio c. 3. §. 24. et Od. Müllero *Etr.* I. p. 376. N. 77.[11]) Pro *smaragde* vitiose Cod. Gudian. *smagragde*. Smaragdus κατ᾽ ἐξοχὴν designat viridis coloris gemmas: v. Intpp. ad Juvenal. Sat. VI. v. 457. — In vv. *Iaspi figulorum* alii Codd. et Editt. *iaspis figulorum*; equidem praetuli Gr. Vocativi formam, qua Augustus data opera videtur usus esse eamque firmat Cod. Gudian. praeferuntque Rutgersius, Schottus, Fabricius, Forcellinius et Müllerus. Mentionem *figulorum* factam esse plurimi existimant propter Arretium, cujus ager terra abundabat aptissima ad coquenda fictilia, de quibus Plinius N. H. Libr. XXXV. c. 12. §. 160. S. Igitur propter pulchra et pretiosa figulorum Arretinorum opera alludi existimant quidam ab Augusto ad urbem natalem Maecenatis. In ea opinione est G. de Rhoer itemque Od. Müllerus in *Etrusk.* I. p. 246 et 376. Verum enim vero *figuli* quid sibi hic velint, non possum exputare; inprimis mihi displicent inter Cilnios et Porsenam memorati. Ego re accuratius pensitata, quo verius μυροβρεχεῖς cincinni imitatione exprimantur, Nomen Proprium desidero, nomen hominis, qui vivus in Etruscorum rebus studiisve famam adeptus post mortem in magno esset honore. Meditanti mihi in mentem venit *P. Nigidius Figulus*, aequalis Ciceronis, Praetor a. U. C. 695. s. 59. a. Chr., vir unus omnium doctissimus et sanctissimus, qui cum doctrina singulari, tum auctoritate et dignitate inter

---

7) Hujus opinionis fuit G. de Rhoer, qui commemorato isto nomine „Inde etiam, inquit p. 34., conjecturae meae, *Lar Arretine*, auctoritatem quaero, quod, cum apud antiquos celebretur Maecenas tamquam ortus ex regia Etruscorum familia, Augustus eum hic joci causa *Lartem Arretinum* vocaverit, tamquam principem Arretinorum vel Etruscorum.“ Bene, si sententiam spectas; sed verba longius a Vulgata discedunt, quam quae probari possint.

8) Casaubonus ad Sueton. h. l.: „Hesychius: *Αἰσοὶ θεοὶ ὑπὸ Τυῤῥηνῶν.* Est vero Graeca vox *aesar* Etrusca terminatione formata: nam *αἶσα* est fatum, id est, Deus, qui fatorum auctor.“ Cf. Od. Mülleri *Etrusk.* II. p. 81. N. 1.

9) Ea in re praeivit Abr. Ortelius in Thesaur. Geogr. v. *infernas* et eadem habet Freundius in Lexic. v. *supernas*.

10) De utraque hujus nominis forma exponit Charisius Inst. Gr. Libr. I. p. 42. et 88. P. c. 17. §. 10. et c. 18. §. 36. L. et Oudendorpius ad Sueton. Calig. c. 37.

11) *Ciliniorum smaragde* legendum putavit Penthagathus; Brusonius Facetiar. Libr. IV. c. 6. legit *Cillonum smaragde* contulitque Cicer. c. Sallust. c. 6. „*Quidquid impudicorum, cillonum, parricidarum, sacrilegorum fuit in Urbe.*“ Cael. Rhodiginus Libr. XXI. c. 22. *cillones* explic. ceventes, cinaedos, a *cillere* i. e. motitare: vid. Servius ad Virgil. Georg. Libr. II. v. 389. et Isidori Orig. Libr. XX. c. 14. §. 11. Aegre haec vox desideratur in Freundii Lexic. Utriusque ap. Macrobium scripturae notitiam debeo Pontano.

Romanos maximus in exilio decessit a. U. C. 710. s. 44. a. Chr. Cf. Eusebius in Chron. ad Ol. 184. p. 152. Fuit Pythagoricus et Magus ac cum in omni disciplinarum genere versatus, tum maxime in disciplina Etrusca ita excelluit, [12]) ut post mortem ejus nomen aeque ac Catonis in metonymicum usum abiisse videatur praesertim apud Augustum, cui ejus memoria non posset non grata esse ac venerabilis ob vaticinium, quod Octavio patri de futura filii modo nati magnitudine a. U. C. 691. s. 63. a. Chr. dedisse fertur, ut Suetonius Aug. c. 94. et Dio Cass. Libr. XLV. c. 1. memoriae prodont. Jam Augustus Maecenatem appellans *Iaspidem Figulorum* i. e. doctissimum et peritissimum hominum, qui disciplinam Etruscam calleant, et concinnius scribebat et amicum facetius pungebat nominis illius ambiguitate, quam credibile est hic studiose ab eo quaesitam esse. Annius Viterbiensis, ut Crinitus refert, *figulos* pro poetis dictos accepit. Inficete! Caeterum iste error non tam librariis imputandus est, quam Interpretum oscitantiae et vanitati. [13]) Porro quo fortius Maecenas etiam ob belli gerendi peritiam et fortitudinem laudetur, salutatur *berylle Porsenae:* Cod. Gud. *berulle* (y). Beryllus, *βήρυλλος*, est gemma viridis coloris aeque ac smaragdus et iaspis, quas verisimile est a Maecenate prae caeteris habitas esse in deliciis: beryllorum fuisse varia genera, testatur Plinius N. H. Libr. XXXVII. c. 5. §. 76. Sq. — Quae deinceps sequuntur magnas habent difficultates sive spectamus scripturam sive interductum. Inprimis difficilia intellectu sunt vv. *carbunculum habeas.* Hoc enim loco *carbunculus* non potest accipi de lapidea aedificandi materia, *Braun- oder Steinkohlen*, quam larga copia praebebat Etruria, ut ostendit Od. Müllerus Etrusk. I. p. 246. N. 77.; sed cogitemus necesse est de gemma igne coloris: vid. Plinius N. H. Libr. XXXVII. 5. Quid autem sibi volunt *carbunculum habeas*, *ἵνα κ. τ. λ.*?i Jam fuerunt, qui his partim verborum trajectione partim interpunctione, partim emendatione lucem aliquam afferre studerent: sic Crinitus et Gyraldus ediderunt *berylle et carbunculum Porsenae* et ille quidem *habeas* et quae sequuntur Graeca, plane delevit; hic post *Porsenae* posuit punctum, novumque *κῶλον* incepit *Habeas*, *ἵνα κ. τ. λ.* Schottus *habeas* de mendo suspectum habet; Casaubonus, illo prorsus omisso, tentavit *berylle Porsennae, carbunculum Italiae*, *καὶ ἵνα κ. τ. λ.*: qua in correctione nomen *Italiae* a contextu alienissimum est, quippe in quo omnia speciatim ad Etruriam referri oporteat. Sicut autem in Criniti et Gyraldi correctione male me habet copula *et*, ita ap. Casaubonum *καί:* copula enim utrobique abundat et hanc verborum complexionem *ἀσυνδέτως* factam turbat. Denique Bosius, verbis quidem audacius sed sensu longe commodius correxit: *berylle Porsenae, carbunculum Tolumnii; haveas*, *ἵνα κ. τ. λ.* Accommodate junguntur *Lars Porsena et Lars Tolumnius:* v. Livius Libr. IV. c. 17. *Haveas* placet, neque tamen licentius correxeris *valeas.* Verum enim vero quominus ulli harum emendationum assensum praebeam, mihi scrupulum dubitationemque injicit Vocativus *carbunculum* pro *carbuncule.* Neutrum hujus vocis non reperitur: nisi forte h. l. illud *ἅπαξ λεγόμενον* probandum est, iisque excusandum, quae paulo ante de v. *margaritum* monui. Utcumque est, ulcus remanet, cui sine Codicibus vix quisquam mederi possit. In Vulg. cohaerent *carbunculum habeas* cum Graecis *μάλαγμα moecharum*, [14]) quae pariter vocandi casu accipias. In illa autem locutione *carbunculum habere* suspicor inesse aut significationem proverbialem aut sollemnis cujusdam formulae vim, uti in divortio: *Res tuas tibi habeto!* sensu tamen petulanti et obsceno, quo me ducit acrius illud *ἀπροςδόκητον*, quo finit epistolam, *μάλαγμα moecharum.* Huic conjecturae meae momenti quid addit dictum Publii Syri ap. Petronium c. 55.: „*Probitas est carbunculus!*" praesertim si *probitatis* vocem Poetarum comicorum usu de pudicitia explicaveris: v. Burmann. ad h. l. p. 361. In Graecis Camerarium secutus sum: in Cod. Gud. omissa sunt; Editt. Venet. 1513. et Ascens. 1519. *ἵνα — πάντα μαλάγματα*; Editt. Colon. 1521. et Venet. Ald. 1528. *συντείνω — μαλάγματα.* Praeterea conferas quae scripsi in Poett. Lat. Reliq. p. 450 sqq.

Haec habui, quae de memorabili hoc Augusti Epistolarum Fragmento dicerem ejusque perspicuitati cum aliorum ope tum mea ipsius opella consulerem. Restat, ut paucis inquiramus, fueritne peculiaris quaedam data casuve oblata Augusto occasio, qua amico suo hac scribendi ratione responderet eumque illuderet. Temporibus rebusque utrimquesecus exploratis subnata est suspicio, qua Augustum non tam epistola quadam Maecenatis quam poetico aliquo lusu ad ejusmodi irrisionem adductum esse putem: in poëmatis autem Maecenatis quam conspicuum fuerit ejus studium *κακοζηλίας* gemmiferae, nos ipsi hodieque ex eorum reliquiis judicare possumus. Jam his reliquiis accensetur *ἀποσπασμάτιον* quoddam, quod notabilem cum Augusti epistola, qua de agimus, habet similitudinem, quae mutuam necessitudinem ac velut cognationem quamdam arguat. Dico illud fragmentum, quod in Catalectis repertum a Burmanno in Anthol. Lat. Libr. II. Epigr. 224. illustratum

12) Perdocte de *P. Nigidio Figulo* ejusque scriptis, quorum Reliquias colligere coepit Rutgersius Var. Lect. Libr. III. c. 16. p. 246 sqq., scripsit Od. Müllerus in *Etrusk.* II. p. 34. sqq.

13) Ad locum Lucani Phars. Libr. I. v. 639 sqq. de Nigid. Figulo G. Cortius in Weberi Edit. Vol. I. p. 167. adnotavit, apud Joannem Sarisberiensem Libr. II. c. 19. 25 et 26. male editum esse nomen appellativum *figulus*, ubi *Nigidius Figulus* intelligendus sit: vid. Policratic. Edit. Lugd. Bat. 1739. p. 91. 119 et 121. Non disparem esse arbitror in Augusti verbis Appellativi cum Nomine Proprio confusionem.

14) In Rutgersii Var. Lect. p. 144. legitur *carbunculum habeas*, *ἵνα — — μάλαγμα moechat:* haud dubie errore typographico, qui tamen in Addendis non est correctus.

etiam ap. Isidorum Orig. Libr. XIX. c. 32. §. 6. invenitur, ubi a Lindemanno sive potius ab Ottone, Faust. Arevali recensionem secuto, ita editum est:

Lucentes, mea vita, nec smaragdos,
Berillos mihi, Flacce, nec nitentes,
Nec percandida margarita quaero,
Nec quos thynnica lima perpolivit
Anellos, neque iaspios lapillos.[15])

Quinque, quos hic legimus, Hendecasyllabi communi fere omnium consensu Maecenati, lugenti obitum Horatii sui, adscribi solent, Isidoro quidem non suffragante: cf. Otto N. 32. Ut autem concedamus, eos esse Maecenatianos, utqui molle ejus delicatumque spirent ingenium; tamen nullo pacto referri possunt ad ἐπικήδειον quoddam, quo amicus amici mortem sit prosecutus, si quidem hunc post patronum demum vita defunctum esse, refutatis aliorum dubitationibus, copiose docuit post Meibomium c. 25. p. 155. Masson in Vita Horat. ad a. U. C. 746. p. 368. cf. Richter ad Sueton. Vit. Hor. p. 131.[16]) Missa igitur luctus de Horatii obitu opinione, juvat quaerere, quo consilio quave occasione qualecumque illud poema, ex quo illi versus supersunt, Poetae Venusino sit inscriptum. Non inscite, meo quidem judicio, Burmannus primus omnium suspicatur, hos Hendecasyllabos esse ex longiore carmine ad Horatium absentem scripto, quibus Maecenas impatientiam ac desiderium suum amici procul degentis testificaturus scripserat, se amore ejus et desiderio prope enecatum omnem cultum, ornatum et gemmarum, quibus mirifice delectetur, studium deposuisse. Idem Burmannus acute sensit mirabilem, quae hos inter versus et Augusti epistolium intercedat, similitudinem ita comparatam, ut alter alterum manifesto respexisse et enervis orationis colorem et portentosas verborum delicias opera imitatrice reddidisse existimandus sit. Utrum illud Maecenatis poema ulla necessitudinis ratione cohaereat cum Epistola Horatii Libr. I. septima, equidem neque affirmare neque infitiari ausim. Id autem minime incredibile est, Augustum, quae erat interior cum utroque conjunctio et amicitia, illud secum communicatum legisse et in sinu risisse. Ecquis est autem, qui alienum esse ab Principis dignitate judicet, data scribendi ansa sic uti, ut sub finem proximae epistolae, animi caussa, respectu illius poematis, amici κακοζηλίαν iisdem lapillorum gemmarumque nominibus ridicule usus, cum aculeo luderet eumque multo cum lepore carperet? Lubricum sane est ac difficile, in tam brevibus lacerisque scriptorum fragmentis certi quid divinare aut ultra probabilitatis speciem quidquam affirmare. Nihilo tamen secius addam, mihi videri Martialem quoque illos Maecenatis versus ob oculos habuisse ejusque verba de Stella, illius veluti simio, usurpasse Libr. V. Epigr. 11. S.:

Sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas uno
Portat in articulo Stella, Severe, meus.
Multas in digitis, plures in carmine gemmas
Invenies: inde est haec, puto, culta manus.

En purum putum Maecenatem! hominem et poetam! Sed ne extra oleas evagemur, finem hic faciamus.

---

15) Codicum et Editionum discrepantes lectiones et VV. DD. correctiones partim Arevalus Vol. IV. p. 476. partim Lindemannus Tom. III. p. 613. attulerunt; ac diversas emendationes, quas Viri Docti tentarunt, Burmannus in spisso Commentario ad Anth. Lat. Tom. I. p. 412. recensuit et examinavit, quibus adde quae habet Meyerus in Annotation. ad Anthol. Lat. Vol. I. p. 37. cl. Lion in Maecenat. p. 32 sqq.

16) Lectionem vulg. v. 1. *lugente mea vita* Codices alii aliter praebent, v. c. *lugentem ea vitta*. Primo And. Alciatus, ut aetate sic et industriae laude prior, Lib. *Παρέργων* legendum censuit *Lucentes, mea vita, nec smaragdos* etc., ut refert Schottus Observ. Libr. II. c. 60. p. 118.: quae emendatio jure meritoque praelata est aliorum tentaminibus *Lugent te* s. *Lugens te* etc. Perversae de ἐπικηδείῳ opinioni repugnat etiam blanditia, quae est in *mea vita*, quae de mortuo quamvis caro usurpari nequit. Vers. 2. offendit quosdam *Flacce* post *mea vita*, ut mallent agnosci lacunam, quam Pontanus ad Macrob. l. c. supplevit *Lugent, o mea vita, te Smaragdus, Beryllus quoque et ipse; nec nitentes* etc. Mihi blanditiae ejusdem repetitio videtur esse plane Maecenatiana, quam Augustus imitando illuserit vv. *mel gentium*, *melcule*, uti idem Maecenatis pungendi caussa scripserat Neutr. genere *margaritum* Tiberinum.

EXCURSUS VII.

DE

VIRGILII APUD AUGUSTUM

GRATIA.

Quemadmodum in confessis est, Virgilium in Augusti notitiam multo prius venisse quam Horatium, ita etiam dubitari nequit, quin vates Mantuanus, homo modestus, pacis amans, candidique vir animi, apud Augustum cum Triumvirum, tum maxime Principem gratiosior fuerit et multis eximiisque principalis favoris ac liberalitatis documentis condecoratus usque ad mortem a. U. C. 735. s. 19. a. Chr. manserit. Apud Imperatorem Caesarem Augustum Virgilio, quoties Romae praesens esset, neque familiaris in domum aditus et interioris admissionis conversatio defuisse, neque adeo inter absentes mutuae de communibus studiis crebraeque videntur cessasse epistolae. Quam felix eo nomine beatusque praedicatus fuerit Virgilius et vivus et mortuus, attestatur Auctor Dial. de Oratt. c. 13., ubi Maternus sortem Poetarum longe praeferens Oratorum conditioni: „Ac ne fortunam quidem, inquit, vatum et istud felix contubernium comparare timuerim cum inquieta et anxia oratorum vita. Licet istos certamina et pericula sua ad Consulatus evexerint, malo securum et quietum Virgilii secessum, in quo tamen neque apud D. Augustum gratia caruit neque apud populum Romanum notitia. Testes Augusti *Epistolae*, testis ipse populus, qui auditis in theatro versibus Virgilii surrexit universus et forte praesentem spectantemque Virgilium veneratus est sic quasi Augustum.“ 1) Hoc litterarum cum Augusto commercium confirmatur testimonio Claudiani Epistol. III. ad Olybr. v. 23.:

Dignatus tenui Caesar scripsisse Maroni.

Ac multo graviorem testem producere possum, ipsum Virgilium, ex cujus ad Augustum epistolis Macrobius Sat. Libr. I. c. 24. haec affert: „Ipsius Maronis Epistola, qua compellat Augustum, ita incipit: *Ego vero frequentes a te litteras accipio.* Et infra: *De Aenea quidem meo, si mehercule jam dignum auribus haberem tuis, libenter mitterem. Sed tanta inchoata res est, ut paene vitio mentis tantum opus ingressus mihi videar: cum praesertim, ut scis, alia quoque studia ad id opus multoque potiora impertiar.*“ Cum his arte cohaerent, quae ex eodem fonte derivata et a Donato narrata supra posuimus. Nam vix cuiquam dubium esse potest, quin memoratae a Macrobio et Donato Epistolae utriusque in illud cadant tempus, quo Augustus, teste Dione Cass. Libr. LIII. c. 22., inde ab a. U. C. 727. s. 27. a. Chr. Urbe profectus in Gallia et Hispania substiterat occupatus in bello adversus Cantabros et Astures gerendo usque ad mediam aestatem a. U. C. 730. s. 24. a. Chr. Cf. Norisius Cenot. Pis. Dissert. II. c. 15. p. 260. Circa illud tempus Virgilius ad perficiendam Aeneidem intentus 2) cum multorum aliorum, tum etiam Augusti attentionem moverat ejusque legendae cupiditatem ita incenderat, ut inter arma adeoque aegrotus primas carminis adumbrationes vel quodvis *κῶλον* efflagitaret: id quod factum esse puto circa a. U. C. 728/29. s. 26/25. a. Chr. Nam a Propertio, qui Libr. II. Eleg. 34. v. 61—66. sistit Virgilium Aeneae Trojani arma suscitantem et scribentem majus quid Iliade, hanc Elegiam exaratam esse brevi post a. U. C. 728., Cornelii Galli nuperrime mortui mentio v. 29. docet.

---

1) De hoc honoris testificandi modo, heroicis jam temporibus frequentato, videantur Heyne ad Virgil. Ecl. VI. v. 64 sqq. ibique Voss. p. 322.

2) Virgilius fertur Aeneidem exorsus esse a. U. C. 724/25. s. 30/29. a. Chr. et per undecim annos executus esse, ut probatum ivit jam Massonus in Jano Reser. Sect. III. c. 1. §. 9. et c. 5. §. 5 sqq. Quae annorum computatio quamvis incerta plurimum tamen habet probabilitatis!

EXCURSUS VIII.

DE

LOCO SUETONII

VIT. HORATII §. 7.

Omissis hic levioris momenti lectionum quisquiliis, quas Burmannus et Richterus diligenter congesserunt, nonnullos tantum discrepantis scripturae locos accuratius excutiamus. Nomen *Dionysii*, quod aphaeresim passum in Codd. *Onisyus*, *Onisius* et *Onysius* legitur, feliciter restituit Nannius. Ego illum non tam libertum quam servum Augusti tabellarium fuisse arbitror. *Libellum* accipio de carmine, quod credibile est hodieque inter Odas lectum nos latere. Hujus brevitatem Augustus familiari quidem, sed nec festivo satis neque venusto modo joculatus irridet eamque cum corporis Horatiani exiguitate et obesitate contendit. Olim vulgo editum legebatur: *quem ego ut s. ne accusem brevitatem, quantuluscumque est, boni consulo:* ubi *brevitatis* vocem sola Nannii conjectura legentis *ut non accusem brevitatem* intrusam esse ait Oudendorpius. Nannius in Ms. Blandin. invenerat *ut accusantem:* similiter Cod. Reg. et Eliae Vineti Edit., testante Fabricio. In Puteaneo libro *ne accusarem*: unde sine dubio nata est lectio Casauboni *ne accusem te* sc. brevitatis, ut ex contextu liquet. Huic lectioni receptae a multis, ut Mitscherl., Janio, C. Fea, aliis controversiam intendit Vanderbourgius Tom. I. p. LXI. N. 20., et refutata opinione Mitscherlichii conjectantis, Cod. Reg. habuisse cum lacuna *ne accus.... atem*, unde Nanniana orta sit lectio, scripturam Msti Blandin. et Cod. Reg. stabilivit assensu Codd. quatuor, quos ipse inspexit, neque omnino caussam, ob quam lect. *ut accusantem* rejiceretur, invenit idoneam, dummodo *quantuluscumque es* legatur, ut Ms. φ. habeat. Itaque edidit: *quem ego accusantem quantuluscumque es*, *boni consulo.* Sed ut ne urgeam Grammaticam rationem, mihi jam libellus aliquem brevitatis accusans prodere ac spirare videtur *κακόζηλον* quoddam, quod ab epistolari stylo per se alienum, nequaquam cadat in Augusti scriptionis *ἀφέλειαν.* Ego Bentlejanam amplexus sum lectionem *ut accusem te*, quam Oudendorpius caeteris elegantiorem et acutiorem habet et ita explicat: „quamvis, licet te accusem, quod tam parvum libellum miseris, nihilominus, quantuluscumque est, boni eum consulo."

Jam cum Horatius non brevis solum modulique bipedalis esset, ut ipse ait Libr. II. Sat. 3. v. 309. cl. Libr. I. Epist. 20. v. 24., sed etiam grandiore aetate obesus et pinguis: vid. Libr. I. Ep. 4. v. 15.; Augustus jocari pergit verbis, quae cum lacuna Nannius ex Cod. Reg. ita edidit: *Sed si tibi statura deest, ... unde est.* Hanc lacunam a Bentlejo quidem retentam, Graevius et Heinsius jam expleverant: *venae abunde est.* 1) Ingeniosius autem, me quidem judice, Scriverius ex diductis verbis *V. N. deest*, conjectando elicuit *venter non deest:* quam conjecturam Rutgersius praeferendam ducit suspicioni Casauboni *venter abunde est.* Sufficiet hic tribus verbis commemorasse commentum C. Barthii Advers. Libr. XXVII. c. 2. *cor corpusculo non deest*: in quo me male habet cum alliteratio, tum inprimis verborum multitudo, cui obstat lacunae brevitas. A Gujeto, Mureto, H. Stephano et Cruquio profectum est *corpusculum non deest*, quod a plurimis probatum editumque ad hunc usque diem Vulg. locum obtinuit. 2) Enim vero etiam hoc complementum vastius et verbosius est, quam quod angustae lacunae adaptetur, et partim molesta repetitione v. *deest* partim certissima Codd. scriptura ..... *unde est* rejicitur, quae Graevii conjecturam *abunde est* satis tuetur, ut recte monuit Wolfius ad Sueton. Tom. III. p. 51., cujus doctrinae et lectionis copiae etiam debemus notitiam emendationis felicissimae Salmasii de Modo Usur. p. 408.: „*Sed si tibi statura deest, ventris abunde est:*" quam ego sine ulla haesitatione in contextu reposui.

Quae sequuntur, multum negotii facessiverunt Intpp., inprimis illa *in sextariolo scribere:* quae quidem verba Intpp. tantum non omnes vel prudenter silentio praetermiserunt vel ridicule interpretati sunt opinati, ju-

---

1) Sic Horatius Libr. II. Od. 18. v. 10.: *At fides et ingeni Benigna vena est:* Ars Poet. v. 409.: *sine divite vena;* at repugnat contextus!

2) Similiter Trajanus Plinio tribuit *corpusculum* Libr. X. Ep. 29. §. 1. utpote imbecillo et minus robusto, eumque intentius orantem per libertum admonuit, ut lateribus consuleret, Libr. II. Ep. 11. §. 15.

beri Poetam Venusinum, hominem statura non procera ac ventre paulo projectiore cum suo aqualiculo irrepere in sextariolum tamquam in Museum sive lectum lucubratorium ibique contractum scribere carmina: quo sane joco nihil fuerit frigidius, nihil inficeto rure inficetius! *Sextarius* enim, pro quo Augustus Nomen deminutivum ἅπαξ λεγόμενον majore cum acumine posuit, erat apud Romanos mensura aridorum et liquidorum, sexta modii et congii pars, *eine Metze, ein Nösel.* Jam quid Augustus his verbis significare voluerit, primus omnium vidit Salmasius in eruditissimo, quem modo commemoravi, libro et multis annis post Gesnerus ad Sueton. Vit. Horat. Edit. p. XXXIII. N. 10. (ed. Bothe 1822.) in eamdem fere sententiam incidit sic, ut propriae inventionis et acuminis laude nullo pacto privandus sit. Uterque Vir Doctus acute observavit, Sextarioli vim et significationem h. l. spectare ad ejus formam, quam curtam et ventriosam fuisse constat: videsis Lucam Paetum in Thes. Antiq. Rom. Graevii Tom. XI. p. 1674., quem citat Fea in Praef. Horat. Tom. I. p. XXIX. (Romae 1811.) et addatur de Congio Farnesiano Haase in Palaeolog. p. 4. Salmasio corrigenti *in Sextario illos scribere* nequeo calculum addere, quandoquidem sic quaesitum Deminutivi acumen pereat; idem vero, flagitante Latinitate, pro vulg. *quum* optime correxit *quo* i. e. *ut eo:* Fea et Vanderbourgius ex Codd. receperunt *ut*, quod interpretamentum τοῦ *quo* esse suspicor. Item Gesnerus *quo* pro *quum*, quod consueta corruptione ex *quom* ortum esse putat. Ex ratione Salmasiana Augustus ita queritur, nimis esse brevem Horatii libellum sive libri volumen, suadetque ei, quo modulum ventris sui imitaretur, qui erat crassior, deinceps libellos suos in Sextario scribere. Intelligit Sextarium *ad granum:* si ad eam crassitudinem libelli tui non possunt pervenire, ut ventriculi tui modum exaequent, fac eos scribas in Sextario: sic exaequabunt. Graeci κυλίνδρους vocabant ejusmodi volumina. Gesnerus autem sententiam hujus loci ita explanavit: Humanissime accusat Augustus brevitatem libri Horatii eoque ipso indicat, se lectione illius non satiatum. Jocose autem impingit Flacco brevitatis illius consilium, vereri illum, ne se ipso majores sint libri, quos ederet. Addit, si velit Poeta volumina facere sui similia, debere illa non longa quidem esse, — (cogita hic, Lector, volumen in bacillo suo vel longo vel brevi convolutum) — sed tamen crassiuscula. Itaque licet pro illo bacillo, cui involvitur charta, adhibere Sextariolum, cylindrum brevem, sed proportione crassum, — (ut si axim aequet vel superet adeo diametros, quod in mensuris parvis liquidorum, magis etiam aridorum, solenne est) — quo i. e. ut circuitus tui voluminis propter illum, cui involutum est, Sextariolum sit tumidissimus, sicut est circuitus ventriculi tui. Haec Gesnerus, cujus interpretationem amplexi sunt Mitscherl., Jani et Fea, ex quibus tamen duo priores *quum* retinuerunt, et *dummodo* explicaverunt. Car. Fea comparat opposito sensu Martial. Libr. II. Epigr. 6. v. 10 sqq. — In libr. scr. et editt. οἰκολήσατος, ὀτηκωάντατος: inde fecerunt Nannius et Gujetus ὀγκωδέστατος i. e. crassissimus: quod probatum a Casaubono et Oudendorpio reliqui fere omnes ediderunt.

EXCURSUS IX.

DE

VINICIIS, AUGUSTI ET TIBERII

AEQUALIBUS.

Viniciorum gens plebeja quidem fuit sed equestris ordinis, quos inter haud pauci Augusti Tiberiique temporibus cum rebus gestis, tum honoribus inclaruerunt. Brevem eorum recensum exordiar a temporibus reipublicae proximis. Sic M. Caelius in Epistol. Cicer. ad Divers. Libr. VIII. 8. §. 6., quae scripta est mense Octobri a. U. C. 703. s. 51. a. Chr., memorat *L. Vinicium* quemdam, Tr. pl., cujus quidem nomen in aliq. Codd. et Editt. *Vicinius* exaratum invenitur, sed vulg. cum Glandorp. p. 904. praetulit Orellius in Onom. Tull. p. 647. Hunc *L. Vinicium L. f.* credibile est fuisse Consulem suff. ex Kal. Septembr. a. U. C. 721. s. 33. a. Chr. v. Fast. Cap. ad a. 720. Num ad eum pertineat Numus ap. Eckhel. P. II. Vol. 5. p. 343., in quo caput Concordiae laureatum et cum nomine *L. Vinici* et Victoria propere gradiens oblongum palmae ramum tenet, cui illigatae quatuor laureae, in medio relinquam, licet L. Vinicii Consulatu gliscens in dies discordia Triumvirorum largam suppeditet divinandi materiam. Exstat etiam Denarius cum Augusti capite a L. Vinicio III. viro monetali

percussus cum hac, quam Torrentius ad Sueton. Aug. c. 64. habet, inscriptione: „*S. P. Q. R. Imp. Cae. Quod V. M. S. Ex. Ea. P. Q. I. Ad. A. D.*“ h. e. quod viae munitae sunt ex ea pecunia, quam is ad aerarium detulit. Hujuscemodi Denarium, fortasse hunc ipsum Torrentii, affert Eckhelius, in quo quum Augusti tribunicia potestas VIII. memoretur, quae a. U. C. 738. coepit, hoc circiter tempore eum cusum esse existimat. Hic autem *L. Vinicius* videtur Eckhelio fuisse filius Lucii, quem Fasti a. U. C. 721. in Consulibus suffectis memorant. Porro inter Consules suffectos a. U. C. 735. s. 19. a. Chr., quo anno C. Sentius Saturninus et Q. Lucretius Vespillo Consules ordinarii erant, invenitur quidam *M. Vinicius P. f.* ex Kal. Jul. suffectus. Idem sine dubio circa a. U. C. 729. s. 25. a. Chr. Germanos quosdam, qui homines Romanos, ipsorum regionem commercii gratia ingressos obtruncassent, ultus esse narratur a Dione Cass. Libr. LIII. c. 26. Decretos ei propter hanc aliasque res tum bene gestas triumphos quum recusasset, ei positus est arcus triumphalis in Alpibus dataque potestas, Kal. Januar. singulis coronae et vestis triumphalis gestandae. Ejusdem rei memoriam servavit etiam Vellejus Paterc. Libr. II. c. 104. §. 2.: „sub M. Vinicio, avo tuo, clarissimo viro, immensum exarserat bellum — — eoque nomine decreta ei cum speciosissima inscriptione operum ornamenta triumphalia:“ quo in loco mihi Interpretes difficultates chronologicas sine caussa videntur movisse: certe Pighio Ann. ad a. 728. et 752. duplicem *M. Vinicii* missionem contra Germanos statuenti non possum assentiri. Veri similius est, hunc M. Vinicium aliquot annis post illam in Germania expeditionem Augusti beneficio et gratia ad Consulatum esse provectum. Eumdem enim Vinicium, virum consularem, respexit Vellejus Pat. Libr. II. c. 96. §. 2.: „Subinde bellum Pannonicum, quod inchoatum ab Agrippa *Marcoque Vinicio*, avo tuo, consulari, magnum atroxque et perquam vicinum imminebat Italiae, per Neronem gestum est:“ ita enim difficilem hunc locum, quem Krausius copiose quidem tractavit, neque tamen expedivit, levi correctione feliciter restituit Kritzius sensumque ei conciliavit rebus ac temporibus congruum. Vir egregius enim ex Dione Cass. Libr. LIV. c. 28. et 31. ostendit, bellum illud Pannonicum esse ab Agrippa inchoatum a. U. C. 741/2. s. 12. a. C. eique *M. Vinicium*, virum consularem, suspicatur interfuisse Agrippae legatum. Hujus Marci filius fuit *P. Vinicius*, M. f. P. n., Consul ordinarius cum P. Alfenio Varo a. U. C. 754/5. p. Chr. 2. memoratus a Dione Cass. in Fragm. Cod. Venet., quod inseruit Sturzius Libr. LV. Vol. III. p. 361—364. His Consulibus, teste Vellejo Paterc. Libr. II. c. 103. §. 1., Tiberius Rhodo reversus est Romam, quod circa mensem Julium factum esse monstravit Norisius Cen. Pis. Dissert. II. c. 14. p. 255. Temere Glandorpius in Onom. p. 904. hunc *P. Vinicium* opinatur esse illum declamatorem, quem Seneca Epist. XL. §. 9. profert, de quo paulo post dicemus. P. Vinicii Consulis, de quo loquimur, filius fuit *M. Vinicius, P. f. M. n.*, cum L. Cassio Longino Consul ordinarius a. U. C. 782/3. p. Chr. 30. Utrumque Tiberius a. U. C. 785/6. p. Chr. 33., Servio Galba et L. Sulla Coss., neptibus suis maritos legit, auct. Tacito Ann. Libr. VI. c. 15., qui „*Vinicio*,“ inquit, „oppidanum genus: Calibus ortus patre atque avo consularibus, cetera equestri familia erat, mitis ingenio et comptae facundiae. *Cassio* Drusillam, *Vinicio* Juliam Germanico genitas conjungit; superque ea re Senatui scripsit levi cum honore juvenum.“ Propter hoc unius Taciti testimonium huic Vinicio locus inter oratores illius aetatis assignatur a Westermanno Histor. Eloq. Rom. §. 84. N. 22. Eidem Consul quum designatus esset, Vellejus Paterculus inscripsit Historiam Romanam suam, de cujus scribendae consilio scite disseruit Kritzius in Proleg. c. 2. p. XXI sqq. Consul iterum fuit a. U. C. 797/8. p. Chr. 45. cf. Dio Cass. Libr. LX. c. 27. Produxit vitam ad Claudium Imperatorem, anno post Consulatum II. veneno necatus a Messalina indignante, quod ille coitum negasset: vid. Dio Cass. Libr. LX. c. 27. et Zonaras Libr. XI. c. 9. Hic Tiberii progener cognominatus est M. Vinicius *Quartinus*: de quo cognomine, praeter Glandorp. Onom. p. 905., conferas quae Ruperti ad Taciti l. c. Vol. I. p. 495 sq. collegit. Nomen gentile in Fastis Capitol. ap. Grüter. p. 1087., ap. Orellium Vol. VIII. P. 3. et ap. Laurentium in Ind. Nom. scriptum reperitur *Vinucius*, sed ap. eumdem in ipsis Tabulis *Vinicius*; quam scripturam unice veram censeo firmatam a Dione, cui constanter *Οὐϊνίκιος*, et a Zonara, cui *Βινίκιος* nominatur: cf. Fickert Not. Crit. ad L. Senecae Epist. Libr. IV. 11. §. 9. Vol. I. p. 160., accedunt Numi, Inscript. et nomina inde deducta conjurationis *Vinicianae* ap. Sueton. Ner. c. 36. et Annii *Viniciani*, qui Claudio insidias struxit, teste Dione Cass. Libr. LX. c. 15. ibique Fabricius.

Praeter eos, quos attuli, Vinicios, in hunc censum veniant necesse est etiam duo fratres qui vulgo putantur *Lucius* et *Publius Vinicii*, qui ab utroque commemorati Seneca in Declamatorum numero et ordine recensentur a Westermanno Hist. Eloq. Rom. §. 86. N. 25. Ac primum quidem ap. M. Senecam Controv. II. 13. p. 183. Bip. nominatur *Lucius Vinicius*, *Vinicii frater* etc. et ibidem p. 184. B.: „Hic est *L. Vinicius*, quo nemo civis Romanus in agendis causis praesentius habuit ingenium: quidquid longa cogitatio illi praestitura erat, prima intentio animi dabat: ex tempore causas agebat, sed non desiderabat hanc commendationem, ut ex tempore agere videretur. De hoc eleganter dixit Divus Augustus: *Unus Vinicius ingenium in numerato habet.*“ Pro *Unus Vinicius* in Excerpt. Controvers. II. Declam. 5. p. 392. B. legitur *L. Vinicius* etc. Hoc dicto reducimur ad Augusti aetatem ejusque cum hoc *Lucio* Vinicio consuetudinem, licet idem Quintilianus I. Or. Libr. VI. c. 3. §. 111., omisso Augusti nomine, in medium proferat, moneatque illud universe usurpari de actore facile dicente ex tempore: cf. infra in Append. N. 28. et 29. Quare Andr. Schottus in Not. ad M.

Senecae Controv. II. 13. Tom. III. p. 604. Ed. Elzevir. 1672. nixus Hieronymi loco illud dictum ad Q. Haterium refert, contradicente Spaldingio ad Quintil. l. c. Vol. II. p. 624. Ad eumdem *L. Vinicium* pertinet locus Senecae Controv. III. 20. p. 239. B.: „*Vinicius*, exactissimi vir ingenii, qui nec dicere res ineptas, nec ferre poterat" etc. cl. Excerpt. VII. Decl. 5. p. 458. B. Dubius autem sum, num eumdem *L. Vinicium* agnoscere debeam ap. Senec. Controv. III. 20. p. 240. B. et ejusdem Controv. V. 33. p. 354. B., ubi *Vinicius* quidam „summus amator Ovidii" memoratur. *Publii Vinicii* mentio nulla occurrit ap. M. Senecam, nisi forte recte divinavit N. Faber, qui Controv. I. 4. p. 103. B. pro *Punicitius* sive *Punitius*, ut Bipontini habent, *P. Vinicius* scribendum duxit. Sed *Lucii* fratrem omnes putarunt deprehendi ap. L. Senecam Epist. XL. §. 9.: „Recte ergo facies, si non videris istos qui quantum dicant, non quemadmodum quaerunt, et ipse malueris, si necesse est, vel *P. Vinicium* dicere. Qui itaque? Cum quaereretur *quomodo P. Vinicius diceret*, Asellius ait: *Tractim. nam Geminus Varius ait: Quomodo istum disertum dicatis nescio: tria verba non potest jungere.* Quidni malis tu sic dicere quomodo Vinicius? Aliquis tam insulsus intervenerit quam qui illi singula verba vellenti, tamquam dictaret, non diceret, ait: *Dic. numquam dicas?*" Praeclaram secutus recensionem C. R. Fickerti descripsi h. l., quo Viri Docti innixi vulgo statuunt hunc *Publium* fuisse *Lucii* fratrem, quem M. Seneca Controv. II. 13. p. 183. B. afferat. Quod testimonium quamvis sublestae sit fidei, in eo tamen acquiescamus receptamque de memorabili hoc fratrum pari lectionem sequamur. Jam Nic. Faber ad Senecae Contr. c. p. 206. E. nimis fidenter dicit, *Lucium* et *Publium* Vinicios hos fuisse fratres M. Vinicii Cos. a. U. C. 783., quem Tiberii progenerum fuisse supra vidimus: qua tamen opinione nihil est vanius et futilius, ut quae temporibus prorsus adversetur. Multo rectius eos dixeris filios *L. Vinicii* Cos. a. U. C. 721. Hunc Consulem BCrusius in Ind. Suetonii appellat eloquentia insignem! Quo steterit auctore, nescio; atque paene vereor, ne Glandorpio Onomast. p. 904. nimis fuerit confisus. Idem Vir egregius suspicatur, Consulem eumdem esse convivam et collusorem, qui ab Augusto in Epistola ad Tiberium N. 5. memoretur, et clarum decorumque juvenem, L. Vinicium, cui scripta sunt N. 33., esse Consulis ejusdem filium. Atqui ego chronologicis rationibus adducor, ut et Juliae cultorem et Augusti convictorem unum eumdemque fuisse hominem credam. Nam quibus verbis Augustus juvenem istum increpuisse fertur, ea nego scribi potuisse, antequam Julia M. Agrippae in matrimonium data esset, in quo illa demum pudicitiae et famae negligentior facta patri quoque suo in suspicionem venerat, ut alias planum reddam. Illam autem epistolam demum post Tiberii adoptionem ab Augusto, sene jam sexagenario, exaratam esse manifestum est. Inde autem quid argumentando colligam, vide! *Lucius Vinicius* ille, cognominis Consulis a. U. C. 721. filius, qui, cum juvenis adhuc esset non clarus modo et decorus, sed etiam ingeniosus et doctus, Bajas adierat Juliam, Agrippae tum nuptam salutaturus, eaque re stomachum et indignatiunculam Augusti extimescentis, ne talis juvenis filiae suae ingeniosae pariter atque alacrioris animi feminae fidem conjugialem et castitatem labefactaret, in se converterat, dubitari vix potest, quin triginta fere annis post idem fuerit in jucundis gratiosisque Augusti convictoribus ac principalis aulae amicis, praesertim cum caussarum actor esset neque ineptus neque indisertus, quo, Augusto ipso judice, nemo praesentius et exactius tum habebat ingenium. Denique nil obstat, quominus eumdem post a. U. C. 738. s. 16. a. Chr. Triumvirum monetalem fuisse cum Eckhelio statuamus.

LIBER QUINTUS

DE

CAESARIS AUGUSTI

LIBRIS DE VITA SUA.

---

§. 1.

Multi Romanorum veterum suam ipsi vitam narrarunt, fiduciam potius morum quam arrogantiam arbitrati, ut Tacitus Agr. c. 1. ait, idque neque Rutilio neque Scauro citra fidem aut obtrectationi fuisse testatur. Nam M. Aemilius Scaurus scripsit tres de Vita sua libros ad L. Fufidium, ut discimus ex Cicer. Brut. c. 29. §. 112. et Plinii N. H. Libr. XXX. c. 1. §. 21. Ex his libris, quos Cicero haud paulo utiliores Xenophontea Cyri disciplina praedicat, pauca admodum supersunt, quae collegit A. Krausius in Vit. et Fragm. Histor. Rom. p. 223 sqq. Cum Scauro Tacitus, judice G. L. Walchio p. 108., de industria conjungit P. Rutilium Rufum, quippe quos perpetuae invicem inimicitiae et obtrectationes exercerent. Rutilius aliquot tantum annis minor quam Scaurus, doctrinae inprimis philosophiae Stoicae laude, integritate, animi magnitudine morumque sanctitate multo antecellebat. Idem scripsit de Vita sua libros, si fides est Grammaticis, quinque, quorum fragmenta perpauca ac tenuia collecta dedit idem Krausius l. c. p. 230.

Postquam Scaurus et Rutilius in hoc scriptionum genere velut facem praetulerant et exemplum τοῦ ἑαυτὸν βιολογεῖν praeiverant, non defuerunt inter Romanos, qui illos sequerentur, et, ut quisque vita rebusque gestis clarissimus fuit ac famosissimus, ita maxime suum esse existimavit curare, ut, quae et qualia vellet, posteris de se traderentur. Quapropter hujuscemodi scriptionum fidem et auctoritatem in suspicionem vocat Krausius l. c. p. 225. eamque rerum memoriae caute adhibendam esse recte monet. Nemo enim est quin intelligat, illos, sua potissimum caussa, sive ambitione sive aliorum obtrectatione incitatos ad scribendum se dedisse. Ecquis, ut hoc utar, dubitet, Scaurum, in quo ingenii magnitudinem cum ea morum fallacia junctam fuisse ajunt, ut specie virtutum pessima vitia occultarentur, ideo de Vita sua scripsisse, ut, si non aequales, certe posteri de consiliis factisque suis rectius et melius opinarentur? Ac Rutilium sane Rufum, quem Romanorum Socratem non inepte dixeris, putabimus eam ob caussam de Vita sua exposuisse, ut, quaecumque aequalibus in ipsius moribus publicisque actio-

nibus displicuerant et improbata fuerant, eorum rationes et caussas redderet, ab obtrectationibus defenderet veramque sui imaginem omnibus repraesentaret. De hoc egregio viro conferas quae scripsit Fr. Ellendt in Prolegom. ad Cicer. Brut. §. 30—32.

Prae caeteris autem, qui hoc nomine memoretur, dignus idoneusque est L. Cornelius Sulla, qui cum Dictatura se abdicasset inque villam prope Neapolim se recepisset, res a se gestas litteris mandasse traditur. Etsi Sulla, auctore Sallustio Jug. c. 95. §. 3., litteris Graecis atque Latinis juxta atque doctissume eruditus fuit; tamen, ut Plutarchus Lucull. c. 1. refert, Lucullo, utriusque linguae perquam gnaro, *τὰς ἑαυτοῦ πράξεις ἀναγράφων ἐκείνῳ προςεφώνησεν, ὡς συνταξομένῳ καὶ διαθήσοντι τὴν ἱστορίαν ἄμεινον.* Item Plutarchus Sull. c. 37. memoriae prodit, eum biduo ante mortem *τὸ εἰκοστὸν καὶ δεύτερον τῶν ὑπομνημάτων γράφοντα παύσασθαι.* Ipse igitur sua manu exaravit de rebus suis libros viginti duo eosque etiam sic absolvit, ut librum vigesimum secundum, quem summatim tantum litteris fugitivis consignaverat, non posset ipse, morte praeventus, limae curisque secundis subjicere et ita eum imperfectum relinqueret. Composuerat hoc opus jam senex belli laboribus luxuriaque fractus atque effetus: proinde Lucullo, cui illud inscripserat, simul mandaverat, ut id digereret ac retractaret. Hanc veluti *διασκευὴν* quum Lucullus suscipere aut noluisset aut non potuisset, in ejus locum successisse videtur L. Cornelius Epicadus Grammaticus, procul dubio rogatus a Fausto, Sullae filio, ut novissimo imperfectoque libro summam manum imponeret. Nam, auctore Suetonio de Illustr. Gr. c. 12., „Cornelius Epicadus, L. Cornelii Sullae libertus, Calator in sacerdotio augurali, filioque Fausto gratissimus fuit: quare numquam non utriusque se libertum edidit. Librum autem, quem Sulla novissimum de rebus suis imperfectum reliquerat, ipse supplevit.“ 1) Hac via ac ratione Suetonius et Plutarchus, qui hac in re secum pugnare videntur, commodius, opinor, conciliari posse videntur, quam id post G. J. Vossium de Hist. Lat. I. c. 9. p. 13. tentavit Drumannus Hist. Rom. Vol. II. p. 500. N. 26. Neque est quod cum aliis Suetonii Interpretibus locum lacunosum esse aut corruptum suspicemur, quippe qui quum plurimum aliqua tantum brevitate laboret. Similiter Hirtius Jul. Caes. Gallici belli novissimum imperfectumque librum supplevisse dicitur a Sueton. J. C. c. 56. Ex hoc Sullae opere, quod satis amplum diffusumque fuisse liquet, plurimum profecit Plutarchus in Vitis Sullae, Luculli et Marii, ut docuit Heerenius in Comment. de Font. Plutarch. p. 150 sqq., qui tamen in eo falsus est, quod Sullam Graece scripsisse existimat, notatus jam a Krausio de Font. Sueton. p. 23. N. 2. et erroris convictus Fragm. ap. Gellium N. A. Libr. I. c. 12. §. 16. XX. c. 6. §. 3. et ap. Priscian. Libr. IX. p. 864. P. c. 7. p. 457. Kr. Reliqua hujus operis fragmenta videsis ap. Krausium in Vit. et Fr. H. R. p. 290 sqq., quem sine haesitatione in eis reposuisse miror controversum locum Ciceronis de Divin. Libr. I. c. 33., ubi non *Sullae* sed *Sisennae* historiam intelligendam censeo cum Orellio et Mosero Adnott. p. 168 sq. Sullani operis titulus non satis certo definiri potest. Apud Gellium allegatur: „*L. Sulla rerum gestarum libro secundo;*“ ap. Priscianum: „*Sulla in XXI. rerum suarum;*“ Plutarchus contra in Sull. c. 6. 14. 23. 37. in Mar. c. 35. fere constanti *τῶν ὑπομνημάτων* nomine illud designat, si discesseris a Mar. c. 26., ubi vv.

---

1) Ille Sullae libertus a Charisio Libr. I. p. 85. P. vocatur *Epicadius:* quod scripturae vitium sanavit Lindemannus Corp. Gram. Tom. IV. p. 62. Fuerunt qui eumdem inveniri crederent ap. Plinium N. H. Libr. XVII. c. 25. nomine *C. Epidii*, improbante jam G. J. Vossio de Hist. Lat. III. 2. p. 218. cl. supra Libr. I. §. 10. N. 85.

οἱ περὶ Σύλλαν ἱστοροῦσι more seriorum scriptorum ipsum Sullam denotant: vid. Bernhardy Syntax. p. 263. et Held ad Plutarch. Timol. c. 13. §. 3. p. 386. Neque tamen inde sequitur, ut Sullam suo operi nomen titulumque *Commentariorum* eo significatu fecisse existimemus, quo dicti fuerint Julii Caesaris Commentarii, de quorum nomine et natura perdocte scripsit Drumannus Hist. Rom. Vol. III. p. 754 sq. N. 20 et 26. Tametsi veri simile est, Sullam praecipue de rebus in bello prospere a se gestis egisse; tamen oportuisse eum etiam prolixum et accuratum esse in exponendis vitae privatim publiceque actae institutis et rationibus tam in promptu est videre, ut cum Sullano opere Caesariani Commentarii ne potuerint quidem in contentionem venire. Qui enim, ut Scaurus, Rutilius, Sulla de Vita sua deque rebus suis scripserunt, illi non dubium est quin a natalibus exorsi gentis suae vel antiquitatem vel nobilitatem diligenter persecuti fuerint suaque fata ordine enarraverint. Sic Scaurus in primo libro retulerat, quantulam a patre hereditatem, quot mancipia, quantum censum accepisset, ut testatur Valer. Maxim. Libr. IV. c. 4, 11. Et Sulla, auctore Gellio N. A. Libr. I. c. 12. §. 16., in libro secundo scripserat, P. Cornelium, cui primum cognomen Sullae impositum fuerit, Flaminem Dialem captum esse. Novimus enim, quam diligentes Romani fuerint in perscrutandis omnis antiquitatis reliquiis, ex quibus gloriae ac splendoris quid ad se suosque majores redundaret. In tradenda autem rerum, quas publice gesserant, meritorumque in civitatem memoria facilis est conjectura, quantam praesertim apud Romanos vim habere debuerit vanitas, ambitio gloriae laudisque cupiditas, quae optimum quemque impellere solita fuerit, ut gloriosa scribendo augeret et magnifice ornaret, temere et inconsulto peractis consilii et prudentiae speciem ac velut colorem daret adeoque turpia, quantum posset, honesta quadam praescriptione tegeret. Ac quo tandem alio animo dicemus se ad scribendum de rebus suis vertisse senili demum aetate Sullam Dictatorem, quam ut, postquam per omne vitae tempus pestiferorum vitiorum luxuriae, avaritiae et crudelitatis, ut Cicero de Fin. Libr. III. c. 22. §. 75. ait, magister fuerat, ipse litteris mandaret ac posteritatis memoriae proderet, qualis domi militiaeque in vita victuque fuisset, atque ut rerum flagitiose et saeviter actarum immanitati velamenta quaedam quaereret, improspera et reipublicae damnosa levaret aut occultaret, alia negaret, excusaret alia, denique alia contra adversarios defenderet.[2]) Adde, quod sua ipsius confessione id potissimum in scribendo spectavit, ut omnibus omnium fortunatissimus, ut felicior quam fortior fuisse videretur et *Felicis* cognomine dignissimus et haberetur et diceretur. Maxime huc pertinent, quae Plutarchus c. 6. med. scripsit: *Σύλλας δ' οὐ μόνον ἡδέως προσιέμενος τὸν τοιοῦτον εὐδαιμονισμὸν καὶ ζῆλον ἀλλὰ καὶ συναύξων καὶ συνεπιθειάζων τὰ πραττόμενα. τῆς τύχης ἐξῆπτεν, εἴτε κόμπῳ χρώμενος εἴθ' οὕτως ἔχων τῇ δόξῃ πρὸς τὸ θεῖον· καὶ γὰρ ἐν τοῖς ὑπομνήμασι γέγραφεν, ὅτι τῶν καλῶς αὐτῷ βεβουλεῦσθαι δοκούντων αἱ μὴ κατὰ γνώμην, ἀλλὰ πρὸς καιρὸν ἀποτολμώμεναι πράξεις ἔπιπτον εἰς ἄμεινον. ἔτι δὲ καὶ δι' ὧν φησι πρὸς τὴν τύχην εὖ πεφυκέναι μᾶλλον, ἢ πρὸς πόλεμον, τῇ τύχῃ τῆς ἀρετῆς πλέον ἔοικε νέμειν.* Quae cum ita sint tantum abesse arbitror, ut ille quamvis vir magni altique animi

---

2) Conferas quae scripsit C. S. Zachariae in libr. *L. Cornelius Sulla, genannt der Glückliche.* (Heidelb. 1834.) p. 7. qui Sullani operis jacturam inique ferens addit: *da Sulla bei der Ausarbeitung seiner Denkschriften noch den besondern Zweck gehabt zu haben scheint, sich gegen seine Tadler und Feinde zu vertheidigen* u. s. w. cf. Plutarch. Mar. c. 35.

vitia sua, scelera, flagitia ingenue candideque confessus patefecerit ac sine fuco descripserit, ut ab eo vera falsis mixta et sincera fucatis simulatisque adulterata posteritati tradita fuisse dicam. [3])

Cum tribus M. Scauri libris, quos paulo ante memoravi, contendit Cicero Brut. c. 35. §. 132. Q. Lutatii Catuli librum, quem de Consulatu et de rebus gestis suis conscriptum molli et Xenophonteo genere sermonis misisse ait ad A. Furium poetam familiarem suum. Quae librorum similitudo quamquam a Cicerone repetatur maxime ab incorrupta quadam Latini sermonis integritate, quam uterque callebat; tamen aliunde cognitum habemus, utrumque opus ab utroque scriptore uno potissimum eodemque consilio fuisse exaratum et publicatum. Nam Q. Catulum quoque, virum humanitate, sapientia, integritate antecellentem, cum aliorum, tum inprimis C. Marii collegae invidia et malignitate motum fuisse, ut de se rebusque in Consulatu a. U. C. 652. s. 102. a. Chr. contra Cimbros gestis, sui defendendi caussa, scriberet, pluribus locis testatum facit Plutarchus in Mario c. 25.: ὅμοια δὲ καὶ τὸν Κάτλον αὐτὸν ἀπολογεῖσθαι περὶ τούτων ἱστοροῦσι, πολλὴν κατηγοροῦντα τοῦ Μαρίου κακοήθειαν πρὸς αὐτόν, et c. 27.: τὰ μὲν οὖν χρήματα — — λέγουσιν· ᾧ καὶ μάλιστα τεκμηρίῳ χρῆσθαι τὸν Κάτλον, ὡς κατ' αὐτὸν ἡ νίκη γένοιτο. [4]) Itaque Catuli opus ita comparatum fuisse liquet, ut ἀπολογίας, quam verum ἱστορίας nomen meruisse videatur. Sic Julium Caesarem, virum ingenio factisque omnium Romanorum eminentissimum, non incredibile est pariter ac Scaurum Rutiliumque aliquid scripti de Vita sua, criminibus multifariam exposita, relicturum fuisse, nisi in medio rerum gloriaeque cursu inopinus percussorum manu corruisset. Quid Ciceronem commemorem, quem de Consulatu suo oratione ligata Latine et soluta Graece scripsisse constat et quem in confessis est rerum suarum non tam simplicem narratorem, quam verbosum callidumque exornatorem fuisse. Nemo igitur infitiabitur, virum eximium, sed vanitati nimis deditum in componendo hoc utriusque linguae opere id potissimum spectasse, ut ambitioni suae ac gloriae aviditati satis faceret et simul malevolis adversariorum obtrectationibus calumniisque, quibus vita ejus publica patuisset, quoad fieri posset, occurreret easque confutaret. His Scauri et Rutilii de Vita et Catuli ac Ciceronis de Consulatu scriptis vetustate deperditis absumtisque periit utique nobis liberalis ingenii ac lectionis fructus, quem quilibet deplorabit, sed Romanarum rerum memoriae nihil damni magnopere illatum esse fatebimur. [5]) Sed haec leviter perstrinxisse placuit.

3) Quare addubito calculum addere omnibus, quae Blumius in libro: *Einleitung in Roms alt. Gesch.* p. 132. de Sulla scripsit: *Ein Mann von so ausserordentlichem Charakter, der im Leben über Alles sich weggesetzt hatte, um sein Ziel zu erreichen, wird sich in jenem Werke gewiss ohne Scheu gegeben haben, wie er war. Es ist daher nicht zu bezweifeln, dass dasselbe ein höchst eigenthümliches Gepräge, und da er sehr gebildet war, eine schöne Darstellung gehabt haben muss.* Rectius judicat Drumannus Hist. Rom. Vol. II. p. 500.: *Treue durfte man nicht von ihm erwarten, denn man sollte überall sein Glück und den Zorn der Götter und des Schicksals gegen die Feinde ihres Lieblings erkennen, unter Anderem darin, dass er in den Schlachten wenig Menschen verlor. Daher hielt Plinius seine Nachrichten für unverbürgt, und sogar Plutarch, welcher ihm vorzugsweise folgt, konnte sich mitunter des Zweifels nicht erwehren.* Vid. ibidem N. 30. et Plinius N. H. Libr. 22. c. 6.

4) Illud Q. Catuli opus num Plutarchus ipse suis oculis usurpaverit suaque inde hauserit, haud injuria dubitant Heerenius de Font. Pl. p. 149. et Krausius de Histor. Rom. p. 238.

5) Circa illud tempus jam usu venit, ut in describendis illustrium virorum vitis rebusque multum versaretur cum amicorum cognatorumque industria, tum etiam libertorum docta opera. Inter hos familiam veluti ducit *L. Otacilius Pilitus*, olim servus, dein ob ingenium ac studium litterarum manumissus et rhetoricam professus Cn. Pompejum Magnum docuit patrisque ejus res nec minus ipsius compluribus libris exposuit, teste Suetonio de clar. Rhet. c. 3. cf. Ellendt Proleg. ad Cicer. Brut. p. 86. et Krausius de Hist. Rom. p. 289. Item *M. Tullius Tiro*, cujus librum quartum de Vita Ciceronis affert Asconius ad Orat. pro Milon. c. 14., existimandus est suo tam vasti ambitus libro complexus esse illius temporis res, quae plus minus ad patronum suum pertinuissent. Cf. infra N. 9. 12. et 15.

§. 2.

Prudens ego paulo copiosius exsecutus sum Cornelii Sullae opus de rebus suis, quocum magnam et luculentam similitudinem habuisse arbitror ea, quae a Caesare Augusto de Vita sua composita fuisse accepimus. De his jam cum cura dicturi sumus.

Augustus prosa oratione composuit aliqua de Vita sua, quam tredecim libris, Cantabrico tenus bello, nec ultra, exposuit. Haec Suetonius c. 85., ubi ad *aliqua* supplere jubemur *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ volumina.* Infert autem Pronomen illud multitudinis notionem, ut ap. Sueton. de ill. Gr. c. 6.: „composuitque variae eruditionis aliquot volumina, ex quibus novem unius corporis:" hac tamen restrictione, quae indicet, partem tantum aliquam vitae, non universam vitam ab Augusto descriptam fuisse. Propter hoc potissimum opus locum inter Historicos Latinos Augustus accepit ap. G. J. Vossium Libr. I. c. 18. p. 28., ubi quae reliqua ei adscribuntur argumenti historici opera, ea suo deinceps loco examinabimus. 6)

In numero librorum nulla invenitur Codicum discrepantia apud Suetonium, quocum facit Suidas: *Αὔγουστος Καῖσαρ, ὁ καὶ Σεβαστὸς καὶ Ὀκταβιανὸς ἐπικληθεὶς, ἔγραψε περὶ τοῦ ἰδίου βίου καὶ τῶν πράξεων βιβλία ιγ κ. τ. λ.* Vol. I. p. 851. B. Quodsi igitur Torrentius ad Suetonii l. c. edidit „*XXX. libris,*" temere secutus Plantinum, ut Burmannus monet, errorem dicemus esse futilem neque ullius libri Msti consensu firmatum. Fallitur etiam, adnotante Fabricio, Vir Doctus, qui ad Libr. XLVIII. Digest. tit. 24. l. scribit, *decem* libros Commentariorum de Vita sua ab Augusto scriptos fuisse.

De titulo illorum XIII. librorum res ambigua est et perquam incerta. Scriptores Graeci, quos sciam, omnes eis *τῶν ὑπομνημάτων* nomen imponunt, excepto Suida, qui veri similius reddit, Augustum suo operi titulum fecisse de Vita sua et rebus gestis. Utrumque *ὑπομνημάτων* et *commentariorum* nomen ap. utrumque populum latissime patet significationibus, quas verborum contextus definire solet. Quare ex *ὑπομνημάτων* apud Graecos cognominatione minime sequitur, ut Augustum, avunculi magni aemulatione adductum, suos de Vita rebusque libros *Commentariorum* nomine insignivisse credere debeamus. 7) Id si fecisset, mihi certe non

---

6) Ab hoc opere longe diversum aliisque ab auctoribus digestum esse illud, de quo Plinius H. N. Libr. VII. c. 13. §. 60. mentionem facit, adnotavit Fabricius ad h. l. p. 191. Acta temporum Divi Augusti, quae ibi memorantur, sunt *τὰ ὑπομνήματα τὰ δημόσια* ap. Dionem Cass. Libr. LIII. c. 19. ibiq. vid. Fabricius N. 134 et 135.

7) Sic Tiberius quoque Commentarium de sua Vita summatim breviterque composuisse fertur: vid. Sueton. c. 61. A Claudio, homine vacerroso sed industrio, de Vita sua octo volumina magis inepte quam ineleganter conscripta fuisse testatur Suetonius c. 41. Quid, quod Tacitus An. Libr. IV. c. 53. legit Commentarios Agrippinae, in quibus mulier illa perita et industria, Augusti proneptis, Claudii uxor et Neronis mater, suam vitam et casus suorum posteris memoraverat. Hos de Vita libros sive Commentarios nego scriptos fuisse, qui umquam ederentur, sed posteris familiae in sacrario principali asservatos esse credo. Ab his distinguamus oportet alios Commentarios, in quibus a patrefamilias quotidie res domesticae ac privae suorum omnium breviter consignarentur et memoriae caussa ibidem servarentur. Suetonius Aug. c. 64. eos appellat *Commentarios diurnos* sive *acta diurna*, vera si est Burmanni conjectura ap. Sueton. Claud. c. 41. Sunt illi *Commentarii principales*, quos dicit Tacitus Hist. Libr. IV. c. 40., pariter atque illi in Principis domo repositi et custoditi, quorum tamen *αὐτοψία* et usus Tacito, Suetonio, aliis rerum scriptoribus per Principis gratiam paterent. Ad hoc scriptionum genus refer ap. Suetonium Calig. c. 15.: „commentarios ad matris fratrumque caussas pertinentes", quos concremasse se Caligula simulavit, sed posthac protulit c. 30., ubi *libelli* audiunt, uti *γράμματα* ap. Dion. Cass. Libr. LIX. c. 4. ibiq. Fabricius N. 45. Strz. Huc referendos etiam judico „Commentarios et acta Tiberii Caesaris" ap. Sueton. Domit. c. 20.; quidam intelligunt Tiberii Commentarium de Vita. Injuria! Neque „Commentarii patris sui" i. e. Claudii, patris adoptivi, quos Nero citat ap. Tacitum An. Libr. XIII. c. 43., sunt octo illa de Vita Claudii volumina.

dubium est, quin Suetonius pro ea, quae est ejus in his rebus *ἀκρίβεια*, eadem illos cum accuratione et diligentia fuisset commemoraturus, qua Julii Caesaris opus laudavit c. 56. [8]) Praeterea neque Latinorum quisquam scriptorum neque Scholiastarum illud opus allegantium huic titulo aliquam auctoritatem fidemque conciliat, si exceperis Tertullianum et Plinium Valerianum, quorum locos in hujus dissertationis cursu proferemus. Nam Servius, quem bis testem producemus, nunc *Memoriam*, nunc *Commemorationem Vitae* illud Augusti opus appellat. [9]) Qua de caussa in eam propendeo sententiam, ut Augustum, si quem suo operi fecerit titulum, illud cum Scauri et Rutilii, tum inprimis Sullae ad instar, *de Vita sua et rebus gestis* nominasse arbitrer. Utut est, ego in hac tamen disputatione passim brevitatis gratia etiam *Commentariorum* appellatione usurus sum.

Tredecim illos de Vita sua Augustus libros M. Agrippae et C. Maecenati inscripsit, ut testatur Plutarchus in Compar. Demosth. et Cicero. Tom. IV. p. 847. R.: *ὡς αὐτὸς ὁ Καῖσαρ ἐν τοῖς πρὸς Ἀγρίππαν καὶ Μαικήναν ὑπομνήμασιν εἴρηκεν*. Quo loco simul notandus est error G. J. Vossii, qui de Histor. Lat. Libr. I. c. 18. p. 28. haec *ὑπομνήματα* distinguat a Commentariis seu libris, quos Augustus de Vita sua composuit. Hunc Vossii errorem a Funccio de viril. aet. L. L. c. II. §. 18. p. 154. repetitum legimus. Rectius Meibomius in Maecen. c. 18. §. 19. p. 113.

Atqui Augustus Vitam suam, teste Suetonio, Cantabrico tenus bello, nec ultra exposuisse fertur. Intelligendum est sine dubio illud cum Cantabris bellum, quod primum ipse gessit ac deinde suis auspiciis per legatos suos, C. Antistium et T. Carisium, finivit. Medio fere anno U. C. 727. s. 27. a. Chr. Augustus egressus fuerat Urbe, suscepturus expeditionem in Britanniam; in Gallia aliquamdiu substiterat in rebus provinciae constituendis occupatus. Hinc eamdem ob caussam in Hispaniam profectum Tarracone retinuerunt Salassorum, Cantabrorum et Asturum rebelliones: v. Dio Cass. Libr. LIII. c. 22. Auctore Suetonio Aug. c. 26. octavum et nonum Consulatum illa in urbe iniit, ita ut eum prius quam Dio innuat, Galliam cum exercitu reliquisse appareat. Octavum Consulatum cum T. Statilio Tauro iniit Kal. Jan. a. U. C. 728.

---

8) Ab his nemo non distinguet ejusdem Commentarios, quos Vellejus Paterc. Libr. II. c. 60. §. 4. ab Antonio corruptos dicit; quos tamen Appianus de B. C. Libr. III. pariter *ὑπομνήματα* nominat: cf. Trotz. ad H. Hugonis Pr. Scrib. Orig. p. 376 sq.

9) Uti Servius Augusti opus, quod in suae vitae rerumque memoriam scripserat, *Memoriam* vocat ex usu et consuetudine serioris aetatis, v. Forcellini h. v.; ita jam Suetonius Claud. c. 1. *vitae memoriam* appellat libellum, quem Augustus de Drusi privigni vita composuisse traditur: vid. supra Libr. II. §. 6. p. 98. Similiter *Memoriam* Augusti defuncti scripserat *Julius Marathus*, unus ex ejus libertis. Dubitari enim non potest quin ap. Sueton. c. 79. legendum sit: „*Julius Marathus libertus in memoria ejus*" etc. uti felicem Casauboni emendationem amplexus jam edidit BCrusius, assentiente Schweigero de Font. Sueton. p. 14. N. 71. Praepositionem *in* quidem non agnoscunt omnes Codices, sed latet illa in vv. *etiam memoriam*. Lipsius Elect. I. 12. emendavit *libertus et a memoria ejus:* quam correctionem firmavit Oudendorpius Inscript. ap. Gud. p. CXCII. n. 2., probat Wolfius Tom. II. p. 367. et recepit Paldamus. Alii aliter vulg. tentarunt, ut Cannegieter Misc. Observ. Vol. VI. T. 3. p. 602.: „*Sed jam immemor ejus:*" quam emendationem ab Oudendorpio probatam lepide rejecit BCrusius. Krausius de Font. Sueton. p. 36. N. 22. improbat Casauboni emendationem, dicens: „*in memoria vitae, éloge nemo facile illud dicet.*" At *memoria* minime est *éloge*, sed liber in rei alicujus memoriam scriptus. Nihil h. l. referebat notare, cujus officii ille libertus fuerit; sed designari debebat liber, ex quo sua hauserit Suetonius. Sic c. 94.: „*Auctor est Julius Marathus, ante paucos*" etc.: inde liquet, Suetonium utroque loco eumdem librum ob oculos habuisse, in quo vel minutissima quaeque de Augusto prodita essent. Ceteroquin videsis supra Libr. II. §. 7. N. 27. p. 103.

Jam, misso adversus Salassos A. Terentio Varrone (vid. Strabo Libr. IV. c. 5. §. 7.), ipse in Astures Cantabrosque, validissimas et in rebellando pertinaces gentes, profectus est, sed ἔκ τε τοῦ καμάτου καὶ ἐκ τῶν φροντίδων νοσήσας ἐς Ταῤῥάκωνα ἀνεχώρησε καὶ ἐκεῖ ἠῤῥώστει, ut ait Dio Cass. l. cit. c. 25.: quo in loco φροντίδας non male retuleris ad criminationes Cornelii Galli, poetae amici et in bello socii, et ad M. Egnatii scelus. Uterque, absente in Gallia seu Hispania Augusto, a Senatu condemnatus poenas luebat a. U. C. 728. Consulatum nonum aeger iniit Kal. Jan. a. U. C. 729. cum M. Junio Silano, perque totum annum adeo videtur aegrotasse, ut nuptiis Juliae filiae cum M. Marcello ipse non posset Romae interesse, sed eas M. Agrippae celebrandas mandaret: vid. Dio Cass. l. cit. c. 27. Quo in loco Consulatum decimum cum C. Norbano inierit, nusquam traditur; Norisius autem Cenot. Pisan. Diss. II. c. 15. p. 262 sq. ex fragm. Inscript. Gruter. veri simile reddit, Augustum demum Idubus Juliis a. U. C. 730. sanitatem recuperasse et, eum non multo post in Urbem revertisse. Jam post triennii absentiam vix redux factus in Urbem, anno proximo U. C. 731. s. 23. a. Chr. iterum in morbum eumque periculosiorem incidit, quem descripsit Suetonius c. 81.: „Graves et periculosas valetudines per omnem vitam aliquot expertus: praecipue Cantabria domita,[10]) quum etiam destillationibus jecinore vitiato ad desperationem redactus, contrariam et ancipitem rationem medendi necessario subiit, quia calida fomenta non proderant, frigidis curari coactus, auctore Antonio Musa.“ Tranquillus non distincte memorat diuturnum illum periculosumque morbum, quo implicatum Augustum Tarracone retentum fuisse perhibet Dio Cass. l. c. c. 25.; sed maxime in eo describendo versatur, quo Augustus ex Hispania Galliaque reversus novo morbo tentatus Romae decubuit. In hoc vitae rerumque articulo quae reipublicae caussa velut moribundus constituerit, explicate exponit Dio Cass. l. cit. c. 30.: „Ὁ δὲ Αὔγουστος, ἑνδέκατον μετὰ Καλπουρνίου Πείσωνος ἄρξας, ἠῤῥώστησεν αὖθις, ὥστε μηδεμίαν ἐλπίδα σωτηρίας σχεῖν. πάντα γοῦν ὡς καὶ τελευτήσων διέθετο καὶ τάς γε ἀρχὰς τούς τε ἄλλους τοὺς πρώτους καὶ τῶν βουλευτῶν καὶ ἱππέων ἀθροίσας, διάδοχον μὲν οὐδένα ἀπέδειξε, καίτοι τὸν Μάρκελλον πάντων προκριθήσεσθαι ἐς τοῦτο προσδοκώντων· διαλεχθεὶς δέ τινα αὐτοῖς περὶ τῶν δημοσίων πραγμάτων, τῷ μὲν Πείσωνι τάς τε δυνάμεις καὶ τὰς προσόδους τὰς κοινὰς ἐς βιβλίον ἐσγράψας ἔδωκε, τῷ δ' Ἀγρίππᾳ τὸν δακτύλιον ἐνεχείρισε.“ Quid, quod, abjecta omni convalescendi et longius vivendi spe, de reddenda republica rursus cogitavisse traditur, auctore Suetonio c. 28. Atqui eum contraria medicina Antonii Musae gravi periculo exemptum brevi post inopina mors M. Marcelli juvenis, quem sibi successorem animo destinaverat, afflixit adeoque percussit, ut mortalitatis et fragilitatis, cui res humanae ac spes succumbant, vehementius admonitus non posset quin diuturnae valetudinis ipsiusque vitae taedio corriperetur.

Nam mirum quemvis habeat necesse est, qui factum sit, ut Augustus, vix quinquennium et amplius rerum solus potitus, in medio aetatis flore animum ad scribendum de Vita sua induxerit. Quos enim hoc nomine supra attulimus viros, homines graves multarumque rerum

10) *Cantabriam domitam* Suetonius indefinite loquitur: rem subtiliter persequitur Frankius in Fast. Horat. p. 159. et 194. Cantabros primum a. U. C. 725. bello petitos, deinde a. U. C. 729. et 731. aliquoties ita superatos, ut plane subacti a Romanis et credi potuerint et crediti sint, tandem M. Agrippa a. U. C. 734. devicit, teste Dion. Cass. Libr. LIV. c. 11.

cumprimis peritos, eos vidimus grandiore demum aetate exactaque vita publica res suas chartis mandasse memoriaeque prodidisse. Quid igitur Augustum nondum quadragenarium impulit, ut vitam suam eamque Cantabrico bello tenus nec ultra exponeret? et cur tandem singulari perque amplo opere eam vitae partem copiosius tractare instituit, ad quam non posset non invitus oculos suos retorquere et quam stilo persequi omnino incertum est pudere eum magis debuerit an pigere? Verum enim vero quum mecum perpendo res ac tempora, quae eum circa et proxime post bellum Cantabricum incesserunt, mihi est veri simillimum, eum hominem gloriae apud aequales adipiscendae et immortalitatis apud posteros consequendae cupidissimum, tum primum cogitationem de se suisque rebus domi forisque gestis scribendi animo concepisse conceptamque omissis omnibus exsecutum esse. Quamquam Augustus, infirmus a puero et valetudinarius, nihil minus umquam sperasse existimandus est, quam senectutem crudam vegetamque; tamen illo, quo dixi, tempore animum sollicitum anxiumque habere debebat repetita insidiarum frequentia et morborum brevi temporis intervallo recurrentium gravitas eumque vicinae mortis exspectatio et timor acrioribus stimulis fodicare.[11])

Haec igitur spectanti mihi et integre examinanti non dubium est quin Augustus vitae suae laudi et memoriae apud aequales posterosque consulturus per biennium fere a. U. C. 732/33., antequam in Asiam abiret, consilium ceperit exarandi aliquot libros de Vita sua eamque prae caeteris fusius ac diligentius persequendi partem vitae, quam omni se fraudum scelerumque genere contaminasse conscius sibi esset. In hoc enim opere illum chronologico ordine a natalibus suis exorsum etiam aetatis puerilis et juvenilis res et, quae ipsi memoratu digna viderentur, fata narratione complexum esse, non dubitare nos sinunt ejus reliquiae. Injuria id negat Heerenius de Font. Plut. p. 147. et 149., uti recte admonuerunt Krausius de Font. Sueton. p. 31. et Wilmannsius de Font. Dion. Cass. p. 21. Cum in Fragm. §. 3. N. 3. ap. Servium commemoretur ex Libro Secundo res, quae acciderat mense Julio a. U. C. 710. i. e. primo, quo Augustus juvenis Apollonia Romam venerat, anno, non male concludit Wilmannsius, pueritiae et juventutis tempora libro tantum primo fuisse comprehensa. Ac, quae mea quidem est sententia, in exponendis vitae domesticae annis eum breviorem fuisse existimo et de genere et vitae privatae institutis ea tantum perstrinxisse, quae malignis aliorum obtrectationibus et criminibus exposita fuissent;[12]) copiosior autem et accuratior dicendus est fuisse in enarrandis rebus, quas inde ab Julii Caesaris caede, simul ac primum ad negotia publica accesserat, per Triumviratus potissimum decursum gesserat. Id ut statuam, cum illius, quae

---

11) Magnum documentum animi praesagientis praematuram mortem et formidantis mihi videor invenire in eo, quod Augustus, vir admodum juvenis et regnum modo adeptus statim de condendo Mausoleo cogitavit, in quo si quid sibi accidisset, cineres sepelirentur: id enim jam a. U. C. 726. s. 28. a. Chr. perfecit. Nam eum jam praevio avunculi magni exemplo et caede territum non poterant non perpetuo subitae mortis timore implere insidiae et conspirationes, quae brevi temporis spatio repetitae acciderunt annis U. C. 725. 728. et 732. cf. Suetonius c. 19. et 66. ibique BCrusius.

12) Sub Imperatoribus, apud quos liberti magna plerumque gratia et potentia florebant, non mirum videbitur, illum morem, quem supra N. 5. attigi, et permansisse et invaluisse. Nam illi vel ab ipsis Imperatoribus impulsi vel sua in illos pietate adducti illorum adeo, qui ipsi de suis fatis et rebus exposuerant, vitam a teneris perscripsisse ac levissima quaeque expiscati adnotasse traduntur. Augustus, teste Suetonio c. 67., multos libertorum in honore et usu maximo habuit, de quibus alias dicturus sum. Aliorum nonnullos laudavit Krausius d. Hist. Rom. p. 17. His libertis scriptoribus quantam auctoritatem tribuerint seriores Imperatores, argumento est Hadrianus, de quo Spartianus c. 16.: „*Famae celebris Hadrianus tam cupidus fuit, ut libros vitae suae scriptos a se libertis suis litteratis dederit, jubens, ut eos nominibus suis publicarent, nam Phlegontis libri Hadriani esse dicuntur.*“

passim apud scriptores supersunt, operis fragmenta me commovent, tum inprimis consilium evincit, quo brevi post illud cum Cantabris bellum omnem hanc scriptionem ab eo susceptam moxque publicatam fuisse suspicor.

Ex quo enim Principem se ferebat Augustus omnemque operam dabat et dare coeperat, ut omnia, quibus perpetratis se unum populi Romani dominum fecerat, in oblivionem venirent neve quemquam novi status poeniteret; nihil magis ei praematurum divinanti fatum curae cordique esse poterat, quam ut ipse rerum a se susceptarum et actarum caussas et rationes explicaret, crimina sibi objecta refelleret, commissa domi forisque scelera quovis modo elevaret et, paucis ut dicam, Triumviratus memoriam, horribilem istam ac detestabilem, si non prorsus oblitteraret, certe speciosis argumentis mitigaret atque excusaret. Augustus igitur scripsit ἀπολογίαν quamdam ac consimilem quidem consilio, indole et ambitu Sullano operi, quod supra cognovimus. Quod enim Cornelium Sullam, dirum Proscriptionis auctorem, in conscribendis sub finem vitae rebus suis spectasse diximus, ut vera rerum a se gestarum facies multiplici modo immutata et infucata ad posteritatem perveniret; idem potissimum Augustum in scribendo de Vita sua egisse veri simili nixus conjectura contendo. Id enim inprimis ei propositum fuit, ut, quidquid ad adipiscendum regnum simulando dissimulandoque perfecerat, id sua ipsius manu descriptum involucris quibusdam tegeretur, ut perfidiae in Ciceronem et omnibus omnino proscriptionis atrocitatibus, quas Sullanis non inferiores censeo,[13] et crudelitati in Perusinos, honestatis, pietatis et necessitatis nomina praetenderentur. Ac sicut Sulla, aliquam auctoritatem ac fidem suo operi conciliaturus id ad Lucullum, virum gravem ac plurimarum rerum socium ac testem αὐτόπτην miserat; sic Augustus prudens libros illos de Vita rebusque suis inscripserat M. Agrippae et C. Maecenati, quibus amicis sane graviores et disertiores testes habere non poterat, per quos quodam modo majorem fidem pararet eis, quae posteritati tradenda chartis mandaverat.[14] Porro utrumque opus noli dubitare quin ab auctoribus doctis et ingeniosis profectum pares habuerit tractationis et orationis virtutes et artes. Denique ad Sullani operis similitudinem etiam ambitu proxime accessit Augustus, quippe qui tredecim libros vita rebusque impleret suis, licet longe pauciorum spatium annorum et historiam complexus fuisset.

Inde multi multa hauserunt non ea semper usi cura et cautione, qua eos oportebat in rem suam adhibere opus, quod a scriptore sui defendendi caussa exaratum esset. Prudentius ea in re versatus est, meo quidem judicio, Suetonius, quippe qui ea, quae ibidem memoriae tradita inveniret, ad inimicorum fidem examinanda censeret.

---

13) Sullani temporis et exempli malum, proscriptiones et caedes, quibus Cornelius Sulla Cinnae et Marii victoriam ultus est a. U. C. 672. s. 82. a. Chr., diligentissime exposuit Drumannus Hist. Rom. Vol. II. p. 469—77. Haec civilis sanguinis sitis in civitate gravius et ardentius rediit per Triumviros a. U. C. 711. eamque vividius descripsit Drumannus H. Rom. Vol. I. p. 364—380. Quo improbante quaesivit Dio Cass. Libr. XLVII. c. 3., num Triumviri illud, quod sane Sulla unice praeiverat, civitatis malum crudelius instauraverint. Me assentiente cum Dione facit Hoeckius in Hist. Rom. Vol. I. P. 1. p. 238 sq.

14) Utrumque Augusti amicum aliquid scripti reliquisse et publicasse, in quo vitae rerumque illius temporis cum Principis mentione et commendatione conjunxissent, multi hodieque sunt qui existiment. Jure an injuria ita statuant, controversum est, ut infra Excursu I. videbimus.

§. 3.

Jam his universe praemonitis id agamus, ut reliquias tredecim illorum librorum, quos Augustus de Vita sua evulgasse traditur, dispersas passim apud scriptores hic componamus et, quoad fieri potest, ordine quodam digeramus. Praeter Rutgersium et Fabricium in eis colligendis etiam Cortius operae curaeque aliquid posuit in Fragm. Historic. Vett. ad Sallust. p. 74 et Vol. I. p. 503. ed. Fr. Ac nos quidem praemittamus eos locos, qui vel expressis scriptorum verbis vel probabili conjectura certo cuidam libro assignari possunt.

Liber I.: 1. Suetonius Aug. c. 2.: „Ipse Augustus nihil amplius quam equestri familia ortum se scribit, vetere ac locuplete et in qua primus Senator pater suus fuerit." Recte Viri Docti judicarunt haec lecta fuisse *Libro Primo*, in quo, ut supra §. 2. demonstravi, de genere et majoribus suis exposuerat vindicaturus se ab ignobilitatis opprobriis, quae in ipsum cum alii tum maxime M. Antonius congesserat, ut pluribus expositum est in Comment. *de Cassio Parmensi* §. 16. III. p. 283 sqq. cf. supra Libr. IV. §. 4. N. 21.

2. Ad eumdem *Librum Primum* dubitari vix potest quin referendus quoque sit locus Tertulliani de Anima c. 46.: „Reformatorem imperii, puerulum adhuc et privatum loci et Julium Octavium tantum et sibi ignotum Marcus Tullius jam et Augustum et civilium turbinum sepultorem de somnio norat. In Vitellii commentariis conditum est." Sic edidit etiam Semlerus Vol. IV. p. 309. hunc locum, cujus errores jam notavimus supra Libr. I. Excurs. 1. N. 12. p. 65.; hic postrema nos advertunt, de quibus Gerardus Vossius ad Vellej. Pat. Libr. II. c. 59. §. 1. „quis, inquit, Vitellios commentarios[15]) fando umquam audivit? ita igitur rescribendum putamus: *de somnio norat; ut in Vitae illius commentariis conditum est.*" Palmaria est emendatio: intellige Augusti libros de Vita sua, *τὰ ὑπομνήματα*, Commentarios. Undecumque haec fluxerunt apud Tertullianum, quem minime credibile est hausisse ex ipso fonte; id manifestum est, intelligendum esse illud somnium, quod de Augusto puero Ciceroni secundum quietem visum Suetonius c. 94., Dio Cass. Libr. XLV. c. 2. et Plutarchus Cic. c. 44., fonte, ex quo hauserunt, non indicato memoriae prodiderunt. Jam veri simillimum est, Augustum, quem somnia neque sua neque aliena de se neglexisse Suetonius c. 91. testetur, de illo somnio, quo futura magnitudo sua portenderetur, in Libro I. de Vita sua studiose exposuisse.

3. Credibile etiam est, *Libro Primo* mentionem factam esse *Repulsae* in Magisterio Equitum apud avunculum et contra petitionem ejus praelati Lepidi, de qua re egi supra Libr. I. §. 6. p. 18 sq. Hanc repulsam fuisse inter Romanos qui Augusto ignominiae verterent, liquet ex loco Plinii N. H. Libr. VII. c. 45. Idcirco facile mihi persuaderi patiar, Augustum ea de re ibidem exposuisse eamque depellendae omnis ignominiae gratia honorifico quodam nomine colorasse.

---

15) *Vitellios Commentarios* noli referre ad *Q. Vitellium Eulogium* libertum, qui libellum ad Q. Vitellium, Divi Augusti Quaestorem, scripserat exque suo nomine nuncupaverat, teste Sueton. Vitell. c. 1. ibiq. v. Casaubonus. Is patrono suo gratificaturus stemma gentis Vitelliae designaverat: cf. G. J. Vossius de Hist. Lat. Libr. I. c. 20. p. 34.

Liber II.: Quae Augusto, audita Julii Caesaris caede, Apollonia Romam redeunti acciderint et quae redux factus ibi publice peregerit, ea probabile est jam diligentius fusiusque ab eo tractari coepta esse *Libro Secundo*. Inde maximam quoque partem hausta sunt quae apud scriptores de primi, quem Romae privatus adhuc transegit, anni decursu narrata prostant cum apud alios, tum maxime apud Appianum Libr. III. c. 10. sqq.[16])

1. Sic, ut hoc utar, quod solus Appianus c. 10. habet, Augustum, relicta Apollonia, mare trajecisse *οὐκ ἐς τὸ Βρεντέσιον (οὔπω γάρ τινα τοῦ κεῖθι στρατοῦ πεῖραν εἰληφὼς, πάντα ἐφυλάσσετο) ἀλλ' ἐς ἑτέραν οὐ μακρὰν ἀπὸ τοῦ Βρεντεσίου πόλιν, ἐκτὸς οὖσαν ὁδοῦ, ᾗ ὄνομα Λουπίαι. Ἐνταῦθα οὖν ἐνηυλίσατο διατρίβων*, id unice ex Augusti narratione Libri II. desumptum esse probabile est.

2. Non magis dubito suspicari, in eodem Libro II. actum fuisse de Julii Caesaris Testamento, de quo praeter Sueton. J. C. c. 83. ibiq. Intpp. accuratissime Drumannus Hist. Rom. Vol. I. p. 99. sqq. scripsit. Pertinet huc locus Dionis Cass. Libr. XLIV. c. 35., ubi, memoratis Jul. Caesaris haeredibus, pergit: *καὶ προςέτι καὶ δωρεὰς ἄλλοις τέ τινας, καὶ τῇ πόλει τούς τε κήπους τοὺς παρὰ τὸν Τίβεριν, καὶ δραχμὰς, ὡς μὲν αὐτὸς ὁ Ὀκταούϊος γράφει, τριάκοντα, ὡς δὲ ἕτεροι, πέντε καὶ ἑβδομήκοντα ἑκάστῳ σφῶν δοθῆναι κεκέλευκεν κ. τ. λ.* Fabricius ad h. l. N. 152. Stz. suspicatur, scripta haec fuisse ab Augusto in Commentariis de Vita sua: quae suspicio si vera est, non dubito de Libro II. cogitare, in quo relatum fuerit. At non dissimulanda est alia, quae hic nascitur, difficultas. Auctore Dione Cassio, quem h. l. ad verbum descripsit Zonaras Libr. X. c. 12., Augustus ipse ibi tradiderat, ab Julio Caesare viritim populo legatas esse *τριάκοντα δραχμάς*; alii autem auctores memoraverant *πέντε καὶ ἑβδομήκοντα δραχμάς*. Posteriorem hanc summam firmat Suetonius J. C. c. 83.: „Populo hortos circa Tiberim publice, et viritim trecenos sestertios legavit." Nam 75. drachmae respondent trecentis sestertiis; trecenti autem sestertii valent novem thaleros totidemque grossos, adnotante Fabricio N. 151. Cum Suetonio faciunt Plutarchus Anton. c. 16. Brut. c. 20. et Appianus Libr. II. c. 143. Quid, quod Augustus ipse scriptum reliquit in Monum. Ancyr. Tabul. tertia a laev. v. 8. p. 173. Chis.: *„Plebei. Romanae. viritim. Ss. trecenos. numeravi. ex. testamento. patris. mei."* Quodsi Dioni Cassio fidem habemus, Augustus in Commentariis longe minorem summam 30. drachmarum sive centenos vicenos sestertios scripserat. Mirificum hunc dissensum non habemus quo alio modo expediamus, quam ut aut ipsum Augustum impudentis mendacii reum faciamus aut Dioni gravem errorem impingamus cum Drumanno Hist. Rom. Vol. I. p. 101. N. 42.

3. Plinius N. H. Libr. II. c. 25. §. 93.: „Cometes in uno totius orbis loco colitur in templo Romae, admodum faustus Divo Augusto judicatus ab ipso, qui incipiente eo apparuit ludis quos faciebat Veneri Genetrici non multo post obitum patris Caesaris, in collegio ab eo

---

16) In exponendis Augusti rebus haud exigua tribuenda est auctoritas Appiano, quippe qui ejus Libros de Vita ad manus habuerit eosque maximam partem secutus sit. Hinc unus omnium scriptorum multa accuratius et copiosius memorat et ita quidem, ut, quod ipse Princeps habuerit scribendi consilium, hodieque compareat. Diligens est in rebus minoribus, praesertim geographicis, quae certum produnt auctorem. Me non latet, quam inique de eo judicaverit eo nomine Cluverius Ital. Ant. Vol. I. c. 28. p. 288.; aequius autem statuit Mannertus Geogr. Ant. Vol. IX. 1. p. 228.

instituto. Namque his verbis id gaudium prodidit: *Iis ipsis ludorum meorum diebus, sidus crinitum per septem dies in regione coeli, quae sub septemtrionibus est, conspectum. Id oriebatur circa undecimam horam diei clarumque et omnibus e terris conspicuum fuit. Eo sidere significari vulgus credidit, Caesaris animam inter Deorum immortalium numina receptam, quo nomine id insigne simulacro capitis ejus, quod mox in foro consecravimus, adjectum est.* Haec ille in publicum; interiore gaudio sibi illum natum, seque in eo nasci interpretatus est; et, si verum fatemur, salutare id terris fuit.“

Hactenus Plinius de re, quam Poetae pariter atque Historici cum artificibus celebrarunt, quos, praeter Fabricium ad Dionem Cass. Libr. XLV. c. 7. N. 41., diligenter laudavit Drumannus Hist. Rom. Vol. I. p. 127. N. 48. 49. et 50. Sic Virgilius Eclog. IX. v. 47.: *Ecce Dionaei processit Caesaris astrum:* ubi in Servii Comment. ad h. l. etiam haec legimus: „Baebius Macer [17]) circa horam octavam stellam amplissimam quasi lemniscis coronatam ortam dicit, quam quidam ad illustrandam gloriam Caesaris juvenis pertinere existimabant. Ipse animam patris sui esse voluit, eique in Capitolio statuam, super caput auream stellam habentem, posuit. Inscriptum in basi fuit: *Καίσαρι ἡμιθέῳ.* Sed Vulcatius aruspex [18]) in concione dixit cometem esse, qui significaret exitum noni saeculi et ingressum decimi, sed quod invitis Diis secreta rerum pronunciaret, statim se esse moriturum, et nondum finita oratione in ipsa concione concidit. Hoc etiam Augustus in libro secundo de memoria vitae suae complexus est.“ [19])

Hic locus eo maxime nomine memorabilis est, quod inde discimus, rem, quam Plinius ipsissimis Augusti verbis refert, commemoratam lectamque esse *Libro Secundo* de Vita: ex qua notitia quid de totius operis descriptione et ambitu concludi possit, supra §. 2. significavi. Caeterum dubitari nequit, Suetonium J. C. c. 88. „atque in Deorum numerum relatus est, non ore modo decernentium, sed et persuasione vulgi. Siquidem ludis, quos primo consecratos ei heres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa undecimam horam: creditumque est, animam esse Caesaris in coelum recepti: et hac de causa simulacro ejus in vertice additur stella:“ ob oculos habuisse Augusti verba et narrationem.

Ludos intellige eos, quos ab Julio Caesare ad Pharsalum cum templo Veneri Genetrici consecratos, sed non editos ipse Augustus *ἐπὶ τῇ τοῦ πλήθους θεραπείᾳ, ὡς καὶ προςήκουσαν διὰ τὸ γένος, τοῖς οἰκείοις τέλεσι διέθηκεν,* ut ait Dio Cass. Libr. XLV. c. 6. Pluribus haec

---

17) Quis fuerit *Baebius Macer*, non certo constat; plures sub Augusto vixerunt *Macri:* vid. supra IV. §. 5. N. 3. Gentem *Baebiam* illustrarunt *Tampili* s. *Tamphili:* vid. Duker et Drakenb. ad Livium Libr. XX. c. 18. itemque de *Macris* vid. Intpp. ad Plinii Libr. III. Epist. 5. §. 1. et Libr. IV. Ep. 9. §. 16. Servius ad Virgil. Aen. Libr. V. v. 556.: „Baebius tamen Macer dicit, a Caesare Augusto pueris, qui luserant Trojam, donatas esse galeas et bina hastilia: ad quod Virgilium constet adludere.“ Eumdem esse h. l. Baebium Macrum, qui a Servio ad Virgil. Ecl. IX. allegetur, intelligendum, mihi certum est. Jam cum in utroque loco ejus testimonium de rebus institutisque Augusti proferatur, in eam deducor sententiam, ut illum *Baebium Macrum* ex eis fuisse opiner, qui de Vita Augusti aut ejus Imperio quidquam scripti reliquerint, licet minime a Suetonio aliove scriptore memoretur et a G. J. Vossio plane omissus sit. Fortasse suspectae erat fidei! Nam primum de ortu sideris ac tempore discrepat ab ipso Augusto et adulatorie scripserat, fuisse qui illud ad illustrandam Caesaris juvenis gloriam retulissent. Deinde statuam Julii Caesaris in Capitolio positam fuisse tradiderat; Augustus contra se in foro eam consecrasse scribit.

18) *Vulcatii* aruspicis nomen aliunde nobis non cognitum Tuscae originis esse ex *Vermiglioli Iscriz. Perug. Cl. I. n.* 4. docuit Od. Müller Etrusk. V. II. p. 334. Interpretationem ejus de Cometa isto repetitam ex disciplina Etrusca videsis ap. Od. Müllerum et Creuzerum Symb. et Myth. Tom. II. p. 841.

19) Hunc Servii locum a Rutgersio omissum debemus diligentiae J. A. Fabricii in B. L. Libr. IV. c. 3. Tom. III. p. 308. E. In singulis secutus sum Burmannum.

exponit Drumannus Hist. Rom. Vol. I. p. 125 sqq. Illa stella crinita quo mense post Julii Caesaris caedem apparuerit, nemo veterum memoriae prodit. Plerique olim intelligebant mensem Januarium a. U. C. 711.: sed mensem Quinctilem a. U. C. 710. fuisse, quo illi ludi instituerentur, ex Virgil. Ecl. IX. v. 48. docuit J. H. Vossius p. 482., quocum facit Spohnius Proleg. ad Virgil. Bucol. p. 29. Wr. In memoriam illius rei, qua Augustus mirifice gavisus est, statuae Jul. Caesaris in templo Veneris illud sidus tamquam insigne ab ipso adjectum est. Sidus Julium Caesaris capiti solitum appingi conspicitur in Numis ap. Eckhelium D. N. Vol. VI. p. 11. et Drumannum Hist. Rom. Vol. I. p. 127. N. 49. et 50. Atque ipse Augustus, teste Servio, traditur in honorem patris stellam in galea depictam habuisse in pugna Actiaca, ad quam refertur locus Virgilii Aen. Libr. VIII. v. 680. itemque Propertii Libr. IV. Eleg. 6. v. 59. ibique Broukhusius p. 375 sq.

Liber X.: Digest. libr. XLVIII. tit. 24. *De cadaveribus punitorum* p. 1073. ed. Geb.: „Corpora eorum, qui capite damnantur, cognatis ipsorum neganda non sunt: et id se observasse etiam Divus Augustus libro decimo de Vita sua scribit.“

Haec excerpsit Ulpianus libro IX. de Officio Proconsulis. Is Tyrius Syrophoenix, sub Septimio Severo scriniorum magister, plurimos scripsit libros, quos inter libri X. de Officio Proconsulis memorantur a Bachio Hist. Jur. Libr. III. c. 2. §. 26. sq. cl. Zimmern I. 2. §. 100. p. 367 sqq. Fr. Balduinum observantem, hos Augusti libros studiose lectos fuisse ab Jurisconsultis et leges inde sumptas, notavit Bergerus Rhetor. Aug. Spec. II. p. VI. Crudelitatis nomine male audiebat Augustus Triumvir et jam Jac. Gutherius de Jure Manium Libr. I. c. 11. p. 71 sqq. ejus de se testimonio opponit, ut confecto bello Philippensi in splendidissimum quemque civium non sine verborum contumelia saeviens uni sepulturam suppliciter petenti responderit, jam istam in volucrum fore potestatem, auctore Sueton. c. 13. cf. Append. N. V. Apud nullum, quod sciam, scriptorem legitur aliud exemplum priscae illius, quam jactat, pietatis et humanitatis; manifestum tamen fit, Augustum istius, quam ab initio Triumviratus sui exercuerit, saevitiae atque inhumanitatis poenituisse totumque illud de Vita opus sui defendendi gratia ab eo exaratum fuisse.

§. 4.

Proferamus nunc ea fragmenta seu testimonia scriptorum, quae ex eodem Augusti opere vel certe vel probabiliter desumpta definiri nequit in quo Libro lecta fuerint. Rutgersius et Fabricius ea confusius attulerunt: nos maximam partem temporum rerumque ordinem secuti ea composuimus.

Quo tempore ac quo consilio Augustus a Philippo vitrico et a leviro suo, Marcello, ad Ciceronem, sexagenarium et amplius Consularem, deductus eique traditus sit, explicatius ostendi Libr. I. §. 9. p. 27 sqq. Dubitari nequit quin juvenis ille jam ante, quam in Urbem veniret, statum cum animo suo destinatumque habuerit, ut, dissuadentibus licet parentibus, invidiosam Jul. Caesaris fortunam adiret ejusque percussores atque adversarios, quam primum posset, pariter ulcisceretur. Contra opinionem suam exspectationemque M. Antonium Cos. nactus erat

adversantem sibi suisque consiliis [20]). Ad hunc frangendum inque plagas suas conjiciendum neminem Cicerone vidit aptiorem et fortiorem. Lubens igitur se ad eum duci passus est, nihilque in artiore necessitudine cum viro tam gravi tamque rerum perito vidit impedimenti quo minus sua consilia aliquando exsequeretur. Neque illa societas cum tanto viro et oratore rite quaesita et honeste inita Augusto juveni indecora erat atque inusitata, ut ipse confessus est in Libro quopiam de Vita sua, quem respicit

I. Plutarchus in Compar. Demosth. cum Ciceron. T. IV. p. 847. R.: *Ἡ μὲν οὖν ἐν τῷ δημηγορεῖν καὶ πολιτεύεσθαι δύναμις ὁμαλῶς ἀμφοτέροις ὑπῆρξεν, ὥστε καὶ τοὺς — κυρίους δεῖσθαι, Δημοσθένους μὲν Χάρητα καὶ Διοπείθην καὶ Λεωσθένην· Κικέρωνος δὲ Πομπήϊον καὶ Καίσαρα τὸν νέον, ὡς αὐτὸς ὁ Καῖσαρ ἐν τοῖς πρὸς Ἀγρίππαν καὶ Μαικήναν ὑπομνήμασιν εἴρηκεν.*

Ipse igitur isto in opere de hac gravi cum Cicerone necessitudine scripserat et professus fuerat, sibi opus fuisse illius opera ac dicendi arte reique publicae administrandae peritia se usum esse, quamdiu e re sua esset, M. Antonium sibi obstantem vexari et opprimi. Neque hoc mirum est. Non poterat Augustus illam cum Consulari familiaritatem in suo opere silentio praeterire. Veri enim simile est, magna eum propterea flagrasse apud Romanos invidia et odio. Quod odium commune tanto majora acceperat incrementa, quanto foedior erat crudelitas, qua M. Antonius et Fulvia abscisum clarissimi oratoris caput tractaverant ejusque adspectu hostilis odii aviditatem satiaverant. Vere enim Florus Libr. IV. c. 6. §. 5. ait: „Romae capita caesorum proponere in Rostris jam usitatum erat: verum sic quoque civitas lacrimas tenere non potuit, quum recisum caput in illis suis Rostris videret, nec aliter ad videndum eum, quam ad audiendum, concurreret.“ Quam saepe illius vox tot per annos et publicam civitatis et privatam civium salutem conservaverat! Quidquid indignationis iraeque conceperunt Romani, id in Augustum conjecerunt eique crimen scelesti ingratique animi objecerunt. Propterea de hac cum Cicerone necessitudine et societate fuse scripsisse censendus est, praesertim cum haberet quibus se defenderet, certe suam erga eum agendi rationem excusaret. Quemadmodum enim Cicero et suopte ingenio et ab aliis instigatus non poterat non huncce juvenem utpote Caesarianum suspecto excipere animo ejusque juventutem suspiciose regere; ita Augustus probe sensit praeviditque, quo potissimum consilio ille sua opera suisque usurus esset copiis. Sed tamen, simulata interim Optimatum caussa, sperabat fore, ut Consularem illum, potentem quidem Oratorem, animo autem imbecillum hominem, simulandi dissimulandique, quibus pollebat, artibus serius ocius deciperet ac M. Antonium Caesarianum denuo suam in caussam suorumque in consiliorum communionem traheret. Neque sua spe frustratus est. Quamdiu enim Ciceronis auxilio utebatur, ei privato licebat contra illius anni Consulem exercitum privato consilio suaque impensa comparare, ejus eloquentiae artificio honoratus est equestri statua et ab Senatu, Cicerone auctore, cum Consulibus ad arma M. Antonio Cos. inferenda pro Praetore missus est [21]). Hunc circa Mutinam mense Aprili medio a. U. C. 711. fudit resque tam astute provideque administravit, ut Consulum, qui ambo ex proelio occubuissent, solus exercitus haberet, Imperatoris nomine a militibus suo fortasse impulsu

20) Quae h. l. paucis modo verbis ac tenuius nexus gratia attingere debui, ea non minus docte quam pulchre exsecutus est Drumannus Hist. Rom. Vol. I. p. 117 sqq. cl. Vol. IV. p. 256 sqq.

21) Haec fusius, ut par erat, tractavit Drumannus Hist. Rom. Vol. I. p. 214 et 215 sqq. et p. 238 sqq. cl. Vol. IV. p. 257 sqq.

ornatus[22]). Bellum quod appellatur Mutinense ab Augusto confectum fuisse narratur duobus praeliis, quibus magnam sibi pepererat fortitudinis maximique animi laudem, ita ut a Cicerone reipublicae conservator praedicaretur. Huc pertinent et ex ejus Libris de Vita ducta esse suspicor quae habet

II. Suetonius Aug. c. 10. fin.: „Priore Antonius eum fugisse scribit ac sine paludamento equoque post biduum demum apparuisse: sequenti satis constat non modo ducis, sed etiam militis functum munere, atque in media dimicatione, aquilifero legionis suae graviter saucio, aquilam humeris subisse diuque portasse.“

Haec ex aliquo Antonii Edicto unus Suetonius refert, si discesseris a Floro Libr. IV. c. 4. §. 5., quem sua ex Suetonio perperam intellecto sumpsisse non male suspicatur Drumannus Hist. Rom. Vol. I. p. 308. N. 94. Prius proelium accipe de defensione castrorum, quae Augustus cum Hirtio Cos. adverso Mutinae latere habebat. Errant enim qui hic eam pugnam cogitant, quam M. Antonius, sua castra pariter prope Mutinam ad Forum Gallorum versus habens, ad illum vicum d. XVII. Kal. Majas Pansae Cos., qui pridie advenerat, insidiose fecerat eumque fere ad internecionem devicerat[23]). Ex hac pugna Pansa veruto per ilia graviter sauciatus Bononiam elatus est. Augustus huic pugnae non interfuerat, ut Dio Cass. Libr. XLVI. c. 38. aperte narrat; sed remanserat hoc die in castris Hirtii, qui collegae suo non nisi Praetorianos utriusque auxilio obvios miserat; v. Appianus B. C. Libr. III. c. 69. Sed Hirtius eodem die cum copiis egressus Antonianis e victoria sine ordine redeuntibus sub vesperam occurrit eosque ita devicit, ut Antonius ipse in Foro Gallorum pernoctaret et postridie demum in castra ad Mutinam rediret. Postero die d. XVI. Kal. Majas Hirtius cum Augusto strategemate usi invitum Antonium ad pugnam elicuerunt eumque internecino proelio ita vicerunt, ut fugam capessere cum equitibus cogeretur. In hoc certamine Hirtius circa Praetorium pugnans cecidit; tum Augustus adcurrens, Consulis corpore simul et castris potitus esse memoriae proditur[24]). Haec fuerunt duo illa, quibus bellum Mutinense ab Augusto confectum esse dicitur, praelia.

Saepenumero jam vidimus, M. Antonium Triumvirum exstitisse Augusti, collegae sui, conviciatorem: videsis supra Libr. IV. §. 4. N. 21. p. 156. Quid, quod non erubuit eum insectari ignominiosis mendaciis. Primis Triumviratus annis exprobravit juveni timiditatis in bello et ignaviae crimen et dedecus. Cum igitur Antonius ad Mutinam res minus prospere gessisset, contra Augustus nimiis laudibus fortitudinis elatus esset, nequaquam veri est dissimile, eum sibi suaeque fortunae subiratum invida posthac fictione et mendacio divulgasse, Augustum priori pugnae fuga se subduxisse et, id quod turpissimum erat et ignominiosissimum, sine paludamento equoque post biduum demum apparuisse. Non est hujus loci, in universum quaerere, jure an injuria ignavi timidique animi crimen Augusto hic et alias intenderit; sed haec infamia cum dissipata apud Populum percrebruisset, Augustus suum esse

22) Priore statim die Augustus Propraetor cum duobus Consulibus a militibus sine pugna *Imperator* salutatus est: v. Drumannus Hist. Rom. Vol. I. p. 301. N. 48.

23) Multa hic suppleri possunt ac debent ex eis quae Drumannus Hist. Rom. Vol. I. p. 297 sqq. de Consulum fatalibus ad Mutinam pugnis ingeniose et subtiliter disseruit reique perquam obscurae lucem attulit. Ex Serv. Galbae aliorumque ad Ciceronem Epistolis nihil magnopere lucramur; plura et certiora Appiano accepta referimus.

24) Haec narrat Appianus B. C. Libr. III. c. 71. de Augusto ejusque virtute: qui quum addit: *ἕως μετ' ὀλίγον ἐξεώσθη πρὸς Ἀντωνίου κ. τ. λ.* et quae idem in sqq. c. 72. de eodem Antonio memoriae prodit solus omnium scriptorum, ea suspecta habet et ab amicis ejus conficta esse censet Drumannus Vol. I. p. 308. N. 95. Mihi non liquet!

censuit adeoque necessarium, ut hujus infamiae notam, qua procul dubio saepe a collega adspersus fuerat, in suo de Vita Opere curaret seque ab hac macula quantum posset purgaret. Prudens autem elegerat istiusmodi exemplum, in quo M. Antonius mendacii manifestus erat, cum priori pugnae non interfuisset et ex sequenti simul publicare posset illustre suae fortitudinis ac virtutis documentum, quo optimos quosque duces aequaret. Jam mihi persuasum est, Suetonium, incorruptum illum et studio iraque vacuum Augusti arbitrum, haec sumpsisse ex ejusdem Libris de Vita sua, quos ab ipso sui defendendi gratia praecipue scriptos esse monuimus. De singulis non habeo, quod Interpretum Commentariis adjiciam.

Unus restabat Augusto, juveni multifariam laeso et irritato, Consulatus, quem plerique scriptores violenter eum adeptum esse memoriae tradunt, ut Suetonius c. 26. et Tacitus An. Libr. I. c. 10. ibiq. Intp. Jam ut de violentiae crimine, quod in petendo Consulatu incurrerat, se excusaret, videtur libro quopiam de Vita sua exposuisse remque publicasse antea ignotam omnibus. Hanc prae caeteris scriptoribus servavit nobis

III. Appianus B. C. Libr. III. c. 82.: *Καὶ τὴν ὕπατον ἀρχὴν ἐς τὸ λοιπὸν τοῦ ἔτους οἱ Πομπηϊανοὶ μετῄεσαν ἀντὶ Ἱρτίου τε καὶ Πάνσα· μετῄει δὲ καὶ ὁ Καῖσαρ, οὐκ ἐς τὴν βουλὴν ἔτι πέμπων, ἀλλ' ἐς τὸν Κικέρωνα ἰδίᾳ· καὶ αὐτὸν παρεκάλει καὶ συνάρξαι, ὡς Κικέρωνα μὲν τὴν ἀρχὴν διοικήσοντα, πρεσβύτερόν τε καὶ ἐμπειρότερον ὄντα, αὐτὸς δὲ τὴν ἐπωνυμίαν καρπωσόμενος μόνην, ἐς ἀπόθεσιν τῶν ὅπλων εὐπρεπῆ, οὗ δὴ καὶ πρῴην ἕνεκα τὸν θρίαμβον αἰτῆσαι. Κικέρων μὲν δὴ τούτοις ἐπαρθεὶς διὰ φιλαρχίαν, ἔλεγεν, αἰσθέσθαι σπονδῶν ἐν τοῖς ἔξω στρατηγοῖς ὑπονοουμένων· καὶ συνεβούλευε, θεραπεῦσαι τὸν ἄνδρα ὑβρισμένον καὶ στρατοῦ ἔτι ἄρχοντα πολλοῦ, ἀνασχέσθαι τε παρ' ἡλικίαν ἄρχοντος ἐν τῇ πόλει μᾶλλον ἢ μηνίοντος ἐν ὅπλοις· ὡς δ' ἄν τι μὴ πράξειε παρὰ τὸ τῇ βουλῇ συμφέρον, ἐκέλευεν, αὐτῷ συνελέσθαι τῶν τινα πρεσβυτέρων ἔμφρονα, τῆς ἐκείνου νεότητος ἐγκρατῆ παιδαγωγόν. Ἀλλὰ Κικέρωνα μὲν ἥ τε βουλὴ τῆς φιλαρχίας ἐγέλασε καὶ οἱ συγγενεῖς μάλιστα τῶν σφαγέων ἐνέστησαν, δεδιότες, μὴ αὐτοὺς ὁ Καῖσαρ τίσαιτο ὑπατεύων.* Memorabilem hanc rem, quam Appianus copiose et distincte enarrat, cum aliis ipse Drumannus Hist. Rom. Vol. I. p. 329 sqq. in dubium vocat ejusque fidei controversiam movet. Sed tantum abest, eam ut falsam et ab alterius utrius partis adversariis confictam esse arbitrer, ut senis illius ambitione et vanitate pariter atque honoris cupiditate et juvenis quamvis laesi prudentia dignissimam esse existimem. Primum haud dubie publicata est ab ipso Augusto in illis, quos de Vita sua edidit, Libris, ex quibus rem eamdem brevius hauserunt Plutarchus Vit. Ciceron. c. 46. et Dio Cass. Libr. XLVI. c. 42. Cf. Vellejus Pat. Libr. II. c. 62.

Quodsi Augustus summum illum magistratum, Consulatum, qui sibi ultionis ac pietatis caussa utilis perque necessarius esset, confestim per vim petivisset, utique fuisset, quod reprehenderetur; sed modestiorem viam quum ingressus esset, Ciceroni, patrono suo, honorificam et Senatui tolerabilem, non deerant ei, quibus se excusaret. Credibile igitur est, eum invidiae facti minuendae gratia illo in opere aequalibus ostendere studuisse, se non extemplo Consulatum vi petivisse, sed ab initio nihil intentatum reliquisse, quo simul in Senatum modestiam et erga Ciceronem suam fidem, pietatem gratique animi sensa manifestaret. Inde cuivis planum erat, eum vario mutabilique Senatus judicio et ipsius Ciceronis

infidelitate, quam verbis factisque jam declarari comperisset,[25]) coactum fuisse, ut, si vellet suae exercitusque saluti consulere, hacce via ac ratione Consulatum invaderet. Suspicionem meam de fonte loci apud Appianum magno opere adjuvant verba

IV. Plutarchi Vit. Brut. c. 27.: *Μέλλοντι δ' αὐτῷ διαβαίνειν εἰς τὴν Ἀσίαν ἧκεν ἀγγελία περὶ τῆς ἐν Ῥώμῃ μεταβολῆς. Ὁ γὰρ νέος Καῖσαρ ηὐξήθη μὲν ὑπὸ τῆς βουλῆς ἐπ' Ἀντώνιον· ἐκβαλὼν δὲ τῆς Ἰταλίας ἐκεῖνον, αὐτὸς ἤδη φοβερὸς ἦν, ὑπατείαν τε μνώμενος παρὰ νόμον καὶ στρατεύματα τρέφων μεγάλα, τῆς πόλεως οὐδὲν δεομένης. Ὁρῶν δὲ καὶ ταῦτα τὴν βουλὴν βαρυνομένην καὶ πρὸς τὸν Βροῦτον ἀφορῶσαν ἔξω καὶ ψηφιζομένην ἐκείνῳ καὶ βεβαιοῦσαν τὰς ἐπαρχίας ἔδεισε. Καὶ τὸν μὲν Ἀντώνιον πέμπων εἰς φιλίαν προὐκαλεῖτο, τὰς δὲ δυνάμεις τῇ πόλει περιστήσας ὑπατείαν ἔλαβεν, οὔπω πάνυ μειράκιον ὤν, ἀλλ' εἰκοστὸν ἄγων ἔτος, ὡς αὐτὸς ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν εἴρηκεν.* Postrema h. l. verba tametsi proxime ad aetatem, qua Consul factus est, spectant, tamen inde etiam liquet, in illis Commentariis de adepto Consulatu actum esse. Adde Plutarchi Cicer. c. 45.: *Ὡμολόγει δὲ καὶ Καῖσαρ αὐτός, ὡς δεδιὼς κατάλυσιν καὶ κινδυνεύων ἔρημος γενέσθαι, χρήσαιτο τῇ Κικέρωνος ἐν δέοντι φιλαρχίᾳ κ. τ. λ.*; et c. 46.: *Κικέρων ἐπαρθεὶς ὑπὸ νέου γέρων καὶ φενακισθεὶς καὶ συναρχαιρεσιάσας καὶ παρασχὼν αὐτῷ τὴν σύγκλητον, εὐθὺς μὲν ὑπὸ τῶν φίλων αἰτίαν εἶχεν, ὀλίγῳ δ' ὕστερον αὑτὸν ἀπολωλεκὼς ᾔσθετο καὶ τοῦ δήμου προϊέμενος τὴν ἐλευθερίαν.* Cicero igitur sua in juvenem clientem infidelitate et inconstantia caussam reipublicae prius perdidisse existimandus est quam eam iste juvenis deseruisset. Jam ejus animum alacrem et irae vindictaeque plenum incautius et incitatius a se abalienaverat, ita ut ille, quum senem M. Antonio proscribendum concederet, omnium invidia flagrans haberet, quibus scelesti ingratique animi crimen speciosis argumentis propellere a se posset.

Augustus creatus est Consul d. XIV. Kal. Sept. a. U. C. 711., aetatis annum agens vigesimum.[26]) Comitia habita sunt, interrege non prodito, a duobus Consularibus, quibus Q. Gallius, Praetor urbanus, mandaverat. Datus ei est Collega Q. Pedius, affinis ejus et cohaeres, quem sibi optaverat, auctore Appiano B. C. Libr. III. c. 94. cl. c. 22.[27]) Quamquam adepto illo magistratu elatus majores, ut par erat, spiritus assumpsisse videbatur, tamen suo

---

25) Recte Epitomat. Livii Libr. 119.: „Adversus C. Caesarem, qui solus e tribus ducibus supererat, parum gratus Senatus fuit: qui D. Bruto, obsidione Mutinensi a Caesare liberato, honore triumphi decreto, Caesaris militumque ejus mentionem non satis gratam habuit." Suetonius c. 12., qui ab Augusto propterea caussam optimatium sine cunctatione desertam esse ait, ingenue addit: „ad praetextum mutatae voluntatis dicta factaque quorumdam calumniatus: quasi alii se *Puerum*, alii *ornandum tollendumque* jactassent, nec aut sibi aut veteranis par gratia referretur:" ubi BCrusii diligentia caeterorum testimonia scriptorum adjecit, de quibus pulchre ac jucunde disputavit Drumannus Hist. Rom. Vol. I. §. 47. p. 319 sqq. Ambigue dictis istis Suetonius inprimis Ciceronem notavit, cui D. Brutus Imp. Cos. Des. scripserat Libr. XI. Epist. ad Divers. 20.: „novissime Labeo Segulius narravit, apud Caesarem se fuisse, multumque sermonem de te habitum esse: ipsum Caesarem nihil sane de te questum, nisi quod diceret, te dixisse, *laudandum adolescentem, ornandum, tollendum:* se non esse commissurum, ut tolli possit." Cicero, alias salinarum suarum paulo cupidior possessor, instante periculo jam perterritus Bruto respondet Libr. XI. ad Divers. Ep. 21. et in Labeonem Segulium, hominem nequissimum omnium, qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt, periratus invehitur. Ego faciendum esse arbitror cum Drumanno Hist. Rom. Vol. I. §. 47. p. 325. Tempus, quo illud acciderit, recte definit Vellej. Pat. Libr. II. c. 62. §. 6.

26) Ad aetatis annum vigesimum deerant ei dies quatuor et triginta. Alii aliter aetatem ejus definiunt: quos post Krausium ad Vellej. Pat. Libr. II. c. 65. §. 2. examinavit Drumannus Hist. Rom. Vol. I. p. 336. cl. Vol. IV. p. 246.

27) De *Q. Pedio* omnia diligentissime, ut solet, proposuit Drumannus Hist. R. Vol. III. p. 765. Legem Pediam ad Augustum tamquam auctorem referunt Appianus B. C. Libr. III. c. 95. Dio Cass. XLVI. c. 48. Liv. Epitom. 120., videlicet legis inventor quidem Augustus erat, sed Q. Pedius eamdem tulit, ut illi minor conflaretur invidia. Sic idem Senatuscon-

animo moderatus et clementiae famam et opinionem sectatus suis adversariis pepercit et quosdam tantum, quibus Consul pepercerat, Triumvir demum proscripsit. Sed tamen pietati in avunculum satisfacturus consilium ulciscendi ejus percussores praeparavit et Q. Pedium Collegam, alieni hominem arbitrii imbecillumque, impulit, ut Legem sive Privilegium de Quaestione habenda in eos promulgaret, quorum opera Julius Caesar occisus esset.[28]) Haec est famigeratissima ista Lex Pedia, in qua ferenda Augustus voluit videri potiorem partem et auctoritatem esse Q. Pedii quam suam. Consul factus sensim, intercedente M. Lepido, in gratiam redire coepit cum M. Antonio; sed antiquatis demum per eumdem Q. Pedium Senatus consultis, quibus M. Antonius et M. Lepidus cum suis exercitibus patriae hostes fuerant judicati, inter utrumque aliquod Epistolarum commercium et quaedam consiliorum communio nasci coepit: id quod testari videtur Appianus B. C. Libr. III. c. 96. et c. 97. Id demum factum est, posteaquam Augustus Urbe egressus et cum legionibus suis, uti prae se ferebat, contra Antonium profectus fuit. Nam Consul Romae non nisi breve per tempus praesens moratus est.

Sed perexiguo huic temporis spatio Appianus aliquod impotentiae et crudelitatis factum expressis verbis adscribit: quod facinus, quo velut triumviralis ejus crudelitas portendebatur, memoriae prodit etiam Suetonius idque fusius atque atrocius. Addit alia iracunde ejus facta aliunde nobis non cognita, quae odium ei conflaverint, eaque cuncta ejus Triumviratu accidisse scribit. Uterque igitur rerum scriptor non tam rebus quam tempore inter se discedunt. Operae pretium est primum audire Suetonium, qui cum manifeste alios quam Augustum secutus sit auctores, sincerior atque incorruptior hac in re testis est habendus. Is exposita Augusti in Triumviratu acerbitate et Junii Saturnini[29]) assensu communita, cujus quam ipsum poenituerit T. Vinii Philopoemenis[30]) historia doceat, medio c. 27. pergit:

V. „In eadem hac potestate multiplici flagravit invidia. Nam et *Pinarium*, Equitem Romanum, quum concionante se admissa turba paganorum, apud milites subscribere quaedam animadvertisset, curiosum ac speculatorem ratus, coram confodi imperavit: et *Tedium Afrum*, Consulem designatum,[31]) quia factum quoddam suum maligno sermone carpsisset, tantis conter-

---

sulta antiquavit tacito suo ipsius nomine et jussu: vid. Dio Cass. Libr. XLVI. c. 52. ibique v. Fabricius N. 257. Q. Pedius enim non tam Augusti in Consulatu collega fuit quam potius satelles et legatus: a Dione Cass. Libr. XLVI. c. 46. vocatur *ὕπαρχος Καίσαρος*.

28) Privilegium potius quam Legem appellandam esse censet doctissimus Drumannus Hist. Rom. Vol. I. p. 388., qui cum ea tribunitiam P. Clodii rogationem et legem Pompejam de vi comparat.

29) *Junium Saturninum* incertae aetatis scriptoribus apponit G. J. Vossius de H. L. Libr. III. p. 221. Opp. IV. Intelligi nequit addicentibus quidem Codicibus Mstis *Julius Saturninus*, qui Hadriani tempore vixit, Suetonii aequalis, quem Burmannus huc traxit. Non est credibile, Suetonium ad aequalis Historici auctoritatem provocasse, quae nullius hac in re esse posset ponderis. Procul dubio antiquior est et fortasse ex iis, quos Tacitus An. Libr. I. c. 1. designat. cf Krausius de Font. Sueton. p. 39. N. 30.

30) Recte h. l. Intpp., inprimis Oudendorpius, dederunt *T. Vinium Philopoemenem*, quae nomina etiam ap. Appian. B. C. Libr. IV. c. 44. reponenda ac vulg. *Ἰούνιον*, *Ἰουνίου* et *Φιλήμων* exterminanda esse inter omnes fere convenit. Rem copiose exornatam Augusti mente memoriae tradit Dio Cass. Libr. XLVII. c. 7., ubi Fabricius N. 24. comprobata hac conjectura nos de gente *Vinia* ablegat ad Ch. S. Liebe Gotham Numar. p. 418. Proscriptus hic T. Vinius Oudendorpio videtur esse avus maternus T. Vinii Rufini Consulis cum Galba a. U. C. 822. s. p. Chr. n. 69. cf. Ruperti ad Tacit. Hist. Libr. I. c. 1. Vol. III. p. 4.

31) Hunc *Pinarium* non fuisse nepotem Juliae, quae erat C. Caesaris Dictatoris soror major, multo minus *L. Pinarium* Augusti cohaeredem, e contextu liquet: vid. Drumann. Hist. Rom. Vol. III. p. 761. et BCrusius ad h. l., qui recte adj. *Equitem Romanum* urget. Major etiam obscuritas premit *Tedium Afrum*. Controversum est nomen gentile, quod Romanis prorsus ignotum fuisse ait Oudendorpius. At gentem *Tediam* evincit Tacitus An. Libr. I. c. 10., ubi *Q. Tedius* quidam juxta *Vedium Pollionem* inter luxuriosos Augusti fa-

ruit minis, ut is se praecipitaverit. Et *Q. Gallium*, Praetorem, in officio salutationis tabellas duplices veste tectas tenentem, suspicatus gladium occulere, nec quicquam statim, ne aliud inveniretur, ausus inquirere, paulo post per Centuriones et milites raptum e tribunali, servilem in modum torsit; ac fatentem nihil jussit occidi, prius oculis ejus sua manu effossis: quem tamen scribit colloquio petito insidiatum sibi, conjectumque a se in custodiam, deinde Urbe interdicta dimissum, naufragio vel latronum insidiis perisse." 32)

Numquam ego hunc Suetonii locum legere potui quin in toto c. 27. consuetum ei disponendi narrandique ordinem aegre desiderarem mirabilemque rerum ἀσυστασίαν improbarem. Tranquillus enim a principio Capitis acerbam istam Augusti pertinaciam, qua Proscriptionem inceptam exercebat suosque collegas antecedebat, inter alia eo notat et describit, quod, neglecta omni pietatis necessitudine officiique religione, etiam Thoranium tutorem suum, eumdemque collegam patris sui Octavii in aedilitate proscripserat, 33) idque, quam dirus, peracta jam Proscriptione, quamque in ea persequenda pertinax fuerit, testimonio quodam confirmare studet. Simul vero ad eum excusandum affert, quantopere ipsum hujus rationis serius poenituerit et humaniter facto admissam antea culpam redemerit. Haec in tanta, quanta uti alias assolet, brevitate ad describendum Augusti

---

miliares memoratur. Homo tamen ignotus, cujus nomen variis conjecturis ab Intpp. varie tentatum, ut videre licet in Rupertii Adnot. Vol. I. p. 32. Lipsius et Ryckius eum nominant *Sext. Tedium Afrum:* qua auctoritate, se nescire fatetur Oudendorpius. Asconius Pedianus ad Cicer. Milon. p. 33. Or. memorat *Sex. Tedium* Senatorem, qui sublatum P. Clodii cadaver lectica sua Romam ferri jussit. Num forte hunc mente habuerint Lipsius et Ryckius, nescio. At a Suetonio etiam vocatur *Consul designatus:* quibus Comitiis? et per quem? Fuitne inter eos, quos Dictator in bellum Parthicum profecturus praedestinaverat Consules? Haec cum ignorantissimis ignoro et transierunt omnes Interpp. sicco pede hunc Consulem designatum. Caeterum Pinarius et Tedius Afer non proscripti sunt, sed Augusti iracundia, suspicione et minis mortem invenerunt!

32) Apud Suetonium ex Libr. Msstis et Editt. *Q. Gallium*, non *Gallum* legendum esse recte jam admonuit Casaubonus; sed ap. Cicer. Verr. Libr. III. c. 65. §. 152. ex Codd. *C. Gallum* revocavit Zumptius p. 573. cf. Glandorp. Onom. p. 573. M. Gallius Q. F. memoratur in Cic. ad Att. Libr. XI. Ep. 20. §. 2., qui num idem sit, cujus mentio fiat ad Att. Libr. X. ep. 15. §. 4. quamvis res et tempora conveniant, non ausim affirmare. Fortasse is frater erat *Q. Gallii*, quem Praetorium a M. Calidio ambitus reum postulatum Cicero ante Consulatum a. U. C. 690. defendisse dicitur: vid. Pighii Annal. Vol. III. p. 318. Orationis hujus Fragmenta collecta dedit Nobbius ap. Orellium Vol. IV. P. 2. p. 454. v. Cicer. Brut. c. 80. §. 277. *Quintus* et *Marcus Gallii*, quos Suetonius et Appianus memorant, probabili conjectura putantur esse ejus filii, quos Caelius in Epistola ad Ciceronem Libr. VIII. ep. 4. §. 1. innuat: „M. Calidium ab repulsa postulatum a Galliis duobus." Praenomen docet *Quintum* fuisse natu majorem filium. Uterque fuerat Caesarianus; *Marcus* vero Antonio adhaesit fuitque in ejus castris. Propter hanc societatem perstringitur a Cicer. Phil. XIII. c. 12.: „praetorii Philadelphus Annius et innocens Gallius" vel ut Ursini Codex habet, M. Gallius. Quo anno fuerit Praetor, ignoratur: ei delatam esse praeturam ab Jul. Caesare, suspicatur Garatonius ad Cicer. l. c. in edit. Wernsdorfii T. II. p. 502. Antonii amicus κατ' ἀντίφρασιν appellatur *innocens*, ut Annius audit φιλάδελφος. In Appiano *Q. Gallius* designatur ἀδελφὸς Μάρκου Γαλλίου συνόντος Ἀντωνίῳ. In medio relinquam, idemne sit, de quo Suetonius Tiber. c. 6.: „Post reditum in Urbem a M. Gallio Senatore testamento adoptatus, hereditate adita, mox nomine abstinuit: quod Gallius adversarum Augusto partium fuerat." Aetas quadrat! *Quintus Gallius* fuit praetor a. U. C. 711. atque Augusto operam studiumque praestiterat in Comitiis. Apud Suetonium ex Cod. Memm. lectione *effusos* emendavit Heinsius *effusis:* cui conjecturae assensum praebent Oudend. et Wolf., quia veri similius sit, Augustum prae vehementi ira Q. Gallio manus illisione potius excussisse, quam ferro aliove instrumento eruisse, quod significat lectio *effossis*. Apte confertur Sueton. Tib. c. 53. Sed *oculum* s. *oculos effodere* illisione manuum magis est praecipitis irae, quam meditatae saevitiae, quae in Augustum Consulem nondum cadit. Res enim, ut bene Paldamus, accidit in primo Augusti Consulatu.

33) Nomen „*Toranius*" varie exaratum invenitur. Uti ap. Romanos *Turius*, *Torius*, *Taurius* et *Thorius* exhibentur iisque diversae gentes et familiae distinguuntur: vid. Schneiderum ad Varron. d. R. R. Libr. II. c. 1. Vol. II. p. 396., ita ubique etiam *Torannius*, *Turranius*, *Turannius* et *Thorannius* variant: vid., praeter Garaton. ad Cicer. Phil. III. c. 10. Tom. II. p. 46. Wdf., Harduini Index Plinii et ad N. H. Libr. III. c. 1. *Torannius* constanter est Glandorpio Onom. p. 844 sq. Graeci haec nomina cum adspiratione dederunt; sic non tantum Θόριος ap. Appian. B. C. Libr. I. c. 27. ibique Schweigh. et Θοράνιος ap. Dionem Libr. LIII. c. 27.; sed etiam Plutarchus Sertor. c. 12. legatum Metelli nominat scribitque Θωράνιον, quem Thorium vocat Florus Libr. III. c. 22, 7. ibique Duker. Vera scriptura difficulter ad liquidum perduci poterit. Videsis infra N. 44.

Triumviratum sufficiebant! Jam sine nexu commodo attexuntur haec verba: „In eadem hac potestate multiplici flagravit invidia.“ Quis hoc miretur, prodita tutoris sui vita, ut Ciceronis vitam taceam? Ecquid tandem opus erat novis crudelitatis exemplis, praesertim eis, quae sua natura juvenilis potius impotentiae atque iracundiae, quam triumviralis atrocitatis et, quae proscribere soleat, potestatis documenta dici haberique possunt? Suetonius supra c. 26. narraverat, quo modo Augustus Consulatum invasisset, ac quoties et quot quemque menses diesque gessisset quove adisset loco diligenter notaverat; sed qua ratione primum omnium Consulatum juvenis vix vicenarius administravisset, ne verbo quidem admonuerat. Hoc me, modeste fateor, vehementer offendit et dicam, quid suspicer. Non multum abest, quin totum hoc segmentum, quod prudens descripsi integrum, olim c. 26. post Cornelii centurionis responsum lectum esse suspicer eamque *ἀσυνεσίαν* minime ipsi Suetonio, sed librariorum stupori et oscitantiae imputandam esse arbitrer. Judicium esto penes doctiores! His omnibus hic sublatis et c. 26. postliminii jure repositis omnia inter se apte cohaerent ac concinna sunt! De primo Consulatu recte scribi poterat: „*in eadem hac potestate*“ i. e. in Consulatu, in quo gerendo oportet decetque aliorum vitae et saluti consuli, Augustus in multiplicem incurrebat invidiam cum propter alia temere facta, tum inprimis propter praecipitis facinora irae, qua se abripi passus est. Ne longus sim, alia nunc omittam, quibus haec qualiscumque suspicio et loci trajectio communiri exornarique queat; unum urgeri licet consensum Appiani, necem Q. Gallii Praetoris Augusti Consulatui assignantis. Is tanto pluris faciendus est testis, quanto manifestius est eum Augusti Libros de Vita sua, non nominato h. l. auctore, consuluisse. Idem in enarrando hoc facto illustre exemplum praebet, quam studiose ille Princeps facta crudelia et deformia, quorum ipsum postea puderet, isto in opere coloraverit, speciosis involucris tecta posteritati tradiderit et sic historiam, veritatis lucem, vitiaverit! Nam Appianus B. C. Libr. III. c. 95. de judicio, quod, inspectante Augusto, de Jul. Caesaris percussoribus caeterisque ejus facinoris sociis et amicis factum sit exponens ita pergit: *Ἔδοξε δὲ ταῖσδε ταῖς ἡμέραις Κόϊντος Γάλλιος, ἀδελφὸς Μάρκου Γαλλίου συνόντος Ἀντωνίῳ, τὴν πολιτικὴν στρατηγίαν ἄρχων, αἰτῆσαι παρὰ Καίσαρος τὴν στρατηγίαν τῆς Λιβύης, καὶ αὐτῷ ἐντυχὼν*[34] *ἐπιβουλεῦσαι τῷ Καίσαρι. καὶ αὐτοῦ τὴν μὲν στρατηγίαν περιεῖλον οἱ σύναρχοι, τὴν δ᾽οἰκίαν διήρπασεν ὁ δῆμος, ἡ δὲ βουλὴ κατεγίγνωσκε θάνατον. ὁ δὲ Καῖσαρ ἐς τὸν ἀδελφὸν ἐκέλευσε χωρεῖν καὶ δοκεῖ νεὼς ἐπιβὰς οὐδαμοῦ ἔτι φανῆναι.* En atrocissimi facinoris narrationem, callido deformatam artificio, quam Appianus fidem Augusti amplexus repraesentat, ita tamen, uti recte monuit Schweighäuserus Vol. III. p. 826., ut haud satis in liquido eam rem esse significet. Drumannus Hist. Rom. Vol. I. p. 341. quamvis Appiani narrationem secutus sit, tamen rem totam in dubium vocat.[35])

---

34) Recepi conjecturam BCrusii ad Sueton. Aug. c. 24. pro Vulg. *οὕτω τυχών*, pro qua jam Schweighäuserus maluit *οὕτως ἐντυχών*, ut exprimerentur Suetoniana: *colloquio petito insidiatum esse.*

35) Drumannus l. c. N. 44. allegato Appiani loco scripsit: „*So wenig man Octavians eigenem Berichte glauben wird, dass er durch Schiffbruch oder Seeräuber umgekommen sei, so unwahrscheinlich ist es, dass er ihn vorher auf das Grausamste foltern und misshandeln liess. Sueton. Oct. 27. Von dieser Seite wollte er sich jetzt noch nicht zeigen.*“

§. 5.

Tres illi viri primum coram congressi sub finem fere mensis Novembris a. U. C. 711. cruentum illud foedus, Triumviratum constituendae reipublicae, inierunt eumque vel inimicitiarum et ultionis cupiditate incitati vel rerum temporumque necessitudine coacti humanis veluti *ἑκατόμβαις* auspicati sunt.[36]) Inprimis dico Proscriptionem, qua in universum Augusti imperio ejusque juvenili aetati ingens ac vix delebilis infamiae et crudelitatis macula adusta est. Hanc ut serius si non deleret, certe minueret, omnem operam dedisse censendus est in illis Libris, quos de Vita sua composuit. Huic operi multa accepta debet Appianus, qui in exponenda Proscriptione diligentissimus ac copiosissimus est, B. C. Libr. IV. c. 1—51. Sic mihi rem accuratius reputanti dubium non est quin Appianus, quidquid de Triumviratu refert, quod a caeteris scriptoribus discrepet, id omne sumptum exponat ex Augusti *ὑπομνήμασιν*. Afferam unum idque speciosum exemplum. Sic ex illo fonte hausta esse contendo, quae

VI. Appianus B. C. Libr. IV. c. 2. unus omnium ac solus tradit: *Καῖσαρ μὲν καὶ Ἀντώνιος ἐς φιλίαν ἀπ' ἔχθρας συνήεσαν ἀμφὶ Μουτίνην πόλιν ἐς νησῖδα τοῦ Λαβινίου ποταμοῦ βραχεῖάν τε καὶ ὑπτίαν, ἔχων ἑκάτερος ὁπλιτῶν τέλη πέντε. Καὶ τάδε ἀλλήλοις ἀντικαθιστάντες, ἐχώρουν σὺν τριακοσίοις ἑκάτερος ἐπὶ τὰς τοῦ ποταμίου γεφύρας. Λέπιδος δ' αὐτὸς προελθὼν διηρεύνα τὴν νῆσον καὶ τῇ χλαμύδι κατέσειεν ἥκειν ἑκάτερον. Οἱ δὲ, ἐπὶ τῶν γεφυρῶν τοὺς τριακοσίους μετὰ τῶν φίλων ἀπολιπόντες, ἐς τὸ μέσον ᾔεσαν ἐν περιόπτῳ καὶ συνήδρευον οἱ τρεῖς, Καίσαρος ἐν μέσῳ διὰ τὴν ἀρχὴν προκαθίσαντος. Δύο δὲ ἡμέρας ἕωθεν ἐς ἑσπέραν συνιόντες, τάδε ἔκριναν κ. τ. λ.*

Plerique Viri Docti hic Appianum gravis insimulant erroris, eumque pariter fere hallucinatum censent, ac Florum Libr. IV. c. 6. §. 3.: „Apud Confluentes inter Perusiam et Bononiam jungunt manus et exercitus inter se consalutant.“[37]) Etsi Codices Appiani Mssti nihil lacunae aut corruptelae hic ostendunt, tamen omnes fere Viri Docti pro *Mutina* nominari maluerunt *Bononiam*. In hujus enim urbis vicinia quaerendum esse Lavinium fluvium et insulam, in qua Triumviri conspirassent, primus, quod sciam, omnium probatum ivit Phil. Cluverius in Ital. Antiq. Libr. I. c. 28. p. 287. sqq. et qui eum secutus est Chr. Cellarius N. Or. Ant. Lib. II. c. 9. 83. Vol. I. p. 537. cum aliis, quos inter nominandi sunt Dukerus ad Flori l. c. Vol. I. p. 757. ed. Lips., Fabricius ad Dion. Cass. Libr. XLVI. c. 55. N. 265., Schweighäuser. ad Appian. Vol. III. p. 827. et Sickler. Geog. Antiq. P. I. p. 297. His cautius circumspectiusque de Appiani fide et veritate judicium fecerunt Mannertus Geog. Antiq. Vol. IX. 1. p. 228. et Drumannus Hist. Rom. Vol. I. p. 359., quibus equidem ita suffragor, ut hujus rei notitiam apud unum Appianum fide dignissimam praeferendam judicem. Caeteri quidem scriptores veteres unanimi

---

36) Pighius Tom. III. p. 474. ex Fragm. Collot., quod hodie videre est in Orellii Inscription. P. II. p. 245., ponit initium Triumviratus ex ante diem quintum Kalendas Decembres i. e. 27. Novembr., scilicet primis tabulis Proscriptorum propositis.

37) „Hallucinatur, inquit Graevius ad h. l., hic Florus. Confluentes hi plus quam nonaginta millia passuum absunt a Perusia, quod et Gerh. Vossius animadvertit ad Vellej. II. 65. Rectius Appianus et Dio inter Bononiam et Mutinam.“ In aliq. Editt. Flori „*Inter Mutinam et Bononiam*“ invenit Dukerus, quod emendatoribus deberi recte monet. Eodem auctore scripsi *inter se.* Idem quaerendum censet, an *Petrusia,* quam pro *Perusia* substituit Caes. Malvasia in Marm. Felsin. Libr. IV. c. 2., eo tempore hoc nomine nota fuerit. Idem cum aliis credit, Appianum hic parum accurate scripsisse.

consensu unoque ore memoriae produnt, Triumviros ad Bononiam urbem convenisse in insulam fluvii cujusdam, quem tamen nemo eorum nomine appellat. Sic Sueton. Aug. c. 96., a quo contractae ad Bononiam Triumvirorum copiae memorantur, nec fluvii neque insulae mentionem facit ullam. Plutarchus autem Vit. Cicer. c. 46. *ἐγίνοντο αἱ σύνοδοι μόνοις ἀπόῤῥητοι περὶ πόλιν Βονωνίαν ἐφ᾽ ἡμέρας τρεῖς, καὶ συνῄεσαν εἰς τόπον τινὰ πρόσω τῶν στρατοπέδων ποταμῷ περιῤῥεόμενον,* et idem in Vit. Anton. c. 19. *καὶ συνελθόντες οἱ τρεῖς εἰς νησῖδα ποταμῷ περιῤῥεομένην, ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας συνήδρευσαν,* denique Dio Cass. Libr. XLVI. c. 55. *συνῆλθον δὲ ἐς τοὺς λόγους οὐ μόνοι, ἀλλὰ στρατιώτας ἰσαρίθμους ἔχοντες, ἐν νησιδίῳ τινὶ τοῦ ποταμοῦ τοῦ παρὰ τὴν Βονωνίαν παραῤῥέοντος, ὥστε μηδένα ἄλλον μηδετέροις προςγένεσθαι.* Hic fluvius, Cluverii mente, nullus alius est quam Rhenus, de quo Plinius N. H. Libr. XVI. c. 36. §. 161. S.: „nullus sagittis aptior calamus, quam in Rheno Bononiensi amne", et Silius Ital. Libr. VIII. v. 599.: „parvique Bononia Rheni" 38), ubi *parvus* ob cognominem in Germania fluvium audit. Sua enim natura satis magnus est, certe major Lavinio, qui Bononiae dimidio propior quam Mutinae eodem in tractu fluit. Quare Cluverio certum videtur, ab antiquis illis scriptoribus Rhenum fl. significari ejusque indicari insulam, quae hodieque duo millia passuum a Bononia urbe disjuncta a Rheno circumfluatur. 39)

At vero huic opinioni, quam Cluverius multis persuasit, non pauca sunt quae adversa fronte opponi queant, et eversam Appiani fidem sustentent, in rebus praesertim geographicis conspicuam, in quibus quidem apud veteres geometrica recentiorum *ἀκρίβεια* neque est nec quaeri potest. Primum enim illa Rheni insula Triumviris neque situ opportuna neque rei destinatae accommodata videri poterat. Ad habendum secretum istud colloquium illi non poterant non quaerere ac deligere locum inter utriusque partis castra medium aequalique spatio semotum ab utriusque urbis vicinia hominumque frequentia. Jam M. Antonius et M. Lepidus sua castra habebant ad Mutinam; contra Augustus sua posuerat ad Bononiam, ita ut illos viros aetate et meritis graves, oportuisset longius e castris procedere ac velut obviam ire Augusto juveni, quamvis ejus anni Consuli, ejusque castris nimium appropinquare. Id minime est veri simile et, ut videmus, Plutarchi verbis contrarium: *συνῄεσαν εἰς τόπον τινὰ πρόσω τῶν στρατοπέδων.* Igitur multo commodiorem locum situ praebere eis potuit Lavinius, fluvius aliquanto remotior a Bononia quam Rhenus. Neque, ut Cluverius argutatur, major latiorque requirebatur ad illud colloquium insula, quam alveo suo capere potuisset Lavinius exiguus! Nam parva quoque insula parvo circumflua amne satis ampla fuit et ad trium colloquium virorum idonea! Eadem ex utraque ripa jungi poterat pontibus, in quibus relicti fuisse dicuntur trecenti milites cum amicis, quorum nemo sermonem Triumvirorum auribus percepisse atque intellexisse fertur. Non est quod hinc conjecturam faciamus de insulae magnitudine! Triumviri enim, ut ex ipsa rei natura sequebatur, submissa voce collocuti sunt: nam de eis Dio Cass. Libr. XLVI. c. 55. ait: *καὶ διαλεξάμενοί*

---

38) Ruperti ad h. l. scripsit nescio qua auctoritate, Bononiam inter fluvios Lavinium (h. *Savena*) et Rhenum (h. *Reno*) sitam fuisse. Caeterum idem insulam Triumvirorum quaerit cum aliis in Rheno. Recentiorum maxime Italorum de hoc amne ejusque insula, quam vel Rubiconi tribuebant, somnia percenset Drumannus Hist. Rom. Vol. I. p. 360. N. 5. et 7.

39) „Illa Rheni insula, inquit Cluverius, transversa secat viam Aemiliam; e meridie in septemtriones porrecta, longitudine V. circiter millium, latitudine mille passuum. In qua duo hodie conspiciuntur vici." Qui Bononiam amplexi defendunt, frustra provocant ad Inscriptionem in agro Bononiensi repertam, apud Reines. Insc. Ant. Cl. II. N. 67.; quam Appiano recentiorem videri, admonuit jam Reinesius p. 285.

τινα ἡσυχῆ, τὸ μὲν σύμπαν ἐπί τε τῇ δυναστείᾳ, καὶ κατὰ τῶν ἐχθρῶν ξυνώμοσαν. Quodsi hodie nulla in Lavinio invenitur insula illi aequiparanda, id nemini mirum erit, qui perpenderit, quam multis variisque mutationibus per seculorum decursum subjectus sit fluviorum alveus, in illa praesertim regione, ut Drumannus Hist. Rom. Vol. I. p. 360. N. 8. docuit.

Nihil igitur est quod Appiani in his fidem leviorem faciat; nemo veterum scriptorum alium fluvium nomine affert, quo ille erroris manifesti convincatur; imo Dionis verba, Triumviros convenisse *ἐν νησιδίῳ τινὶ τοῦ ποταμοῦ τοῦ παρὰ Βονωνίαν παραῤῥέοντος* ad Lavinium fluvium aeque atque ad Rhenum referri possunt. Num forte putamus, Appianum memoria lapsum haec scripsisse? Quid tandem ei in mentem venit Lavinius, fluvius tam parvus tamque ignobilis? Cur majorem illum et clariorem, Rhenum, Bononiensem amnem, praetermisit? Utut est, in confessis omnium habendum erit, eum ob oculos habuisse scriptorem, quo satis certo auctore stare posset. Atque hunc auctorem suspicor fuisse Augustum. Is in Libris de Vita sua non potuerat non amnem, in quem convenerant, nominatim afferre, eumque fluvium designaverat Mutinae quam Bononiae propinquiorem. Haec qualiscumque de auctore conjectura momenti quid accipit, quia Appianus hic alia quaedam eaque singularia habet, quae aliunde non facile cognosse poterat. Augustus, quae erat ejus vanitas et honoris cupiditas, procul dubio in illis Libris retulerat, sibi admodum juveni medium concessum fuisse in illo consessu locum *διὰ τὴν ἀρχήν* i. e. Consulatum. Porro Augustus, puto, ibidem narraverat, se cum collegis per biduum consultasse; Plutarchus tres dies memorat, quorum caussam et rationem reddere studet Drumannus Hist. Rom. Vol. I. p. 361. N. 12. [40]) Appianus biduum suum acceptum refert Augusti Commentariis, quorum fidem ceteris praeferendam duxit. Denique totus ab eisdem pendet in expositione eorum, quae Triumviri ad constituendam novam hanc potestatem decrevisse narrantur. [41])

Triumviratus, in parva Lavinii fluvii insula Mutinam inter et Bononiam initus, fuit foedissima imperii vitaeque Augusti pars, cujus posthac ipsum vehementer poenituerit. Ad quam excusandam multa quidem imputari poterant juvenili ejus animo irritabili et irarum aestui multifariam exasperato adversariorum dolis et insidiis. Etiam plurima adscribi poterant laudabili ex veterum religione pietati et studio ulciscendi caedem Patris, cujus Manibus has velut inferias offerre suum esse putabat. Sed veri etiam est simillimum, eum in *τοῖς ὑπομνήμασι*, quae ipse solus Triumvirorum superstes et sospes hanc potestatem suamque agendi rationem defensurus composuerat, multorum turpiter factorum fontes et atrocitatum haud paucarum caussas ex collegarum societate ac voluntate repetivisse earumque praecipuam culpam ad eos transtulisse. Neque fortasse injuria! Nemini enim pensitanti Collegarum aetatem, ingenii animique vires et vitae publicae necessitates dubium erit, quin Triumvirorum princeps et caput fuerit M. Antonius, utqui vitae annis, corporis animique dotibus rerumque usu et experientia inter eos eminuerit et justiore ulciscendi inimicos cupiditate ardere visus sit, quam M. Lepidus, homo iners omnisque expers virtutis. [42])

---

40) Nisi forte praestat statuere, Plutarchum mystico quodam significatu posuisse numerum ternarium. Tres viri consultant tres per dies! Numero Deus impare gaudet: vid. praeter J. H. Vossium ad Virgil. Ecl. VIII, 73. p. 426. Böttiger in libr. Kunst-Mythologie II. p. 405.

41) Appianus Triumviratum designat B. C. Libr. IV. c. 2. *καινὴν ἀρχὴν ἐς διόρθωσιν τῶν ἐμφυλίων*, et c. 7. *καινὴν ἀρχὴν ἐπὶ καταστάσει τῶν παρόντων.*

42) Breviter nec male de Triumviris Florus Libr. IV. c. 6. §. 2.: „Diversa omnium vota. Incendit Lepidum divitia-

Sicut enim mihi persuasum est, Antonium fuisse inventorem novae potestatis, quam, ne antiquare videretur Senatus Consultum se Consule scriptum, non Dictaturae sed Triumviratus nomine insigniret ac distingueret; ita mihi perquam credibile est, eumdem fuisse omnium primum auctorem et suasorem, ut Sullanae tempestatis malum instaurarent ac communes inimicos caede et bonorum publicatione e medio tollerent. Assensus est e vestigio Lepidus, atque Augustus, opinor, tantum abfuit, ut funestum Proscriptionis consilium perhorresceret et aversaretur, ut inpraesentiarum tale remedium comparandis pecuniis, quae in bellum contra Brutum et Cassium usui forent, pernecessarium et privatae Collegarum ultioni eorumque cupiditati accommodatissimum agnosceret.[43]) Quapropter non facile crediderim ei in Libris de Vita scribenti et affirmanti, se invitum et repugnantem Collegis cessisse et aliquamdiu restitisse, ne qua fieret proscriptio, teste Sueton. c. 27. At quum inter proscribendos primus ab Antonio nominatus esset Cicero, assentiente Lepido, animum ejus, credo, illius nomen scrupulo et dubitatione pupugit et misericordia percussit. A vero non abhorret, quod ipse praedicaverat, noluisse eum ab initio concedere proscriptionem summi oratoris, cujus vitae etiam Julius Caesar, quantumvis laesus ab eo et irritatus, pepercerat. Hunc imitaturus aliquamdiu, ut puto, restitit et animus ejus demum expugnatus devictusque est, postquam inhumani Collegae affines suos cognatosque, Antonius L. Caesarem avunculum et Lepidus L. Paulum fratrem, in dotem et invitamentum sceleris adversus Ciceronem proscripserant. Cicero igitur, repugnante quidem Caesare, sed frustra adversus duos, ut Vellej. Libr. II. c. 66. scripsit, primis statim tabulis proscriptus est. Hoc caeso quum mox videret Collegas fieri in multorum personam per gratiam et preces exorabiles, indignatus et fraude eorum exacerbatus proscriptionem inceptam utroque acerbius exercuit, ut refert Suetonius c. 27. Ita procul dubio ipse scriptum reliquerat *ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν!* Ex Antonii mente non tantum metu futuri periculi potentissimus in civitate quisque, sed etiam ditissimus quisque proscribendus erat, quo facilius sibi sumptus, quibus sibi vacuo aerario ad bellum opus esset, quovis modo compararent. Itaque Augustus, quum C. Thoranius, ejus tutor qui fuerat, divitiarum caussa ab Antonio proscriberetur, non intercessit et multam sibi peperit invidiam. Rem paullo obscuriorem ex ejus Commentariis, ut videtur, haustam bis commemorat

VII. Appianus B. C. Libr. IV. c. 12.: *Ἦν δὲ καὶ Θωράνιος ἐν τοῖς προγεγραμμένοις, λεγόμενος ὑπό τινων ἐπιτροπεῦσαι Καίσαρος,*[44]) et c. 18.: *Θουράνιος δὲ, οὐ στρατηγῶν μὲν ἔτι,*

---

rum cupido, quarum spes ex turbatione Reipublicae: Antonium ultionis de his, qui se hostem judicassent: Caesarem inultus pater et Manibus ejus graves Cassius et Brutus agitabant." Praeponitur a Floro aliisque scriptoribus Lepidus nequaquam ob dignitatem majoresque virtutes ac merita, sed propter aetatem M. Antonio, cui Augustus, aetate omnium minimus, ut dignitate, ita consilio et calliditate haud inferior erat. Antonii velut principatum in Triumviratu agnoscit etiam Plinius N. H. Libr. VII. c. 45. §. 148. scilicet Augusti *ὑπομνήματα* secutus. Sic Dio Cassius haud veritus iniquitatem, primas partes in triumvirali furore ac diritate M. Antonio assighat.

43) De belli illius apparatu et sumptibus vide Appiani B. C. Libr. IV. c. 31. et quae disseruit Drumannus Hist. Rom. Vol. I. p. 381 sqq.

44) Sic Schweighäuserus nomen tutoris scripsit, quod in Cod. Aug. *Θωράννιος* exaratum erat: vid. supra N. 33. Item *C. Thoranius*, Quaestor Varinii, scribitur in antiquissima scheda, in qua repertum est Sallustii Histor. Fragm. Incert. N. 166. Vol. I. p. 254. ed. Gerlach. cl. Vol. III. p. 139. Quo allato Orellius in Onomast. Tull. p. 584. haec: „Hunc C. Thoranium quaestorem a Q. Caecilii Metelli legato, quem Plutarchus Sert. c. 12. *Θωράνιον*, sed Florus 3, 22. *Thorium* vocat, et Thoranio mangone, quem Sueton. Oct. 69. commemorat, haud dubie diversum, posthac Octaviani tutorem fuisse, a Triumviris proscriptum, a filio C. Thoranio, triumvirum partes secuto, iis proditum atque eorum jussu interfectum (a. u. c. 712.) Bimardus et Brossius recte existimaverunt." Haec si vera sunt, haud paucis Scriptorum locis haec nominis scriptura adhibenda erit. Sic, ut hoc utar, ap. Cicer. Phil. III. c. 10. suspicor eumdem intelligendum esse C. Thoranium

ἀλλ' ἐστρατηγηκὼς, πατὴρ δὲ νεανίου τὰ μὲν ἄλλα ἀκολάστου, δυναστεύοντος δὲ παρ' Ἀντωνίῳ, τοὺς λοχαγοὺς ἠξίου τὴν σφαγὴν ἐπισχεῖν οἱ πρὸς ὀλίγον, ἕστε αὐτὸν ὁ υἱὸς αἰτήσαιτο παρ' Ἀντωνίου. Οἱ δὲ ἐπιγελάσαντες, ἤτησεν, εἶπον, ἀλλ' ἐπὶ θάτερα. καὶ συνεὶς ὁ πρεσβύτης, ἕτερον αὐτίκα βραχύτατον ἤτει διάστημα, μέχρι οὗ τὴν θυγατέρα ἴδοι· ἰδὼν δὲ, ἐκέλευε μὴ μετασχεῖν τῶν πατρῴων, μὴ κἀκείνην ὁ ἀδελφὸς αἰτήσαιτο παρ' Ἀντωνίου. Συνέβη δὲ καὶ τῷδε, τὴν οὐσίαν ἐς αἰσχρὰ δαπανῆσαι, καὶ κλοπῆς ἁλόντι φυγεῖν ἐκ καταδίκης. 45)

In his sane sunt aliqua, quae sensu et consilio paene cassa, divinando vix expedias, nisi ab Appiano ea deducta ex Augusti Commentariis esse statuas. Nominis scripturam, *C. Thoranium*, quam Orellius praeferebat, vid. Not. 33. et 44. confirmant Appianus et Orosius Libr. VI. c. 18. 46) Nam idem nomen quin etiam ap. Appian. c. 18. reponatur non dubitare nos sinit Valerius Max. Libr. IX. c. 8, 5., qui rem eamdem ex eodem fortasse fonte haustam suo more enarravit et exornavit. Nicolaus Damasc. de Vit. August. c. 2. de pluribus loquitur tutoribus: *Καταστάντες δ' ἐπίτροποι ταῦτα (χρήματα) διεφόρησαν· ὁ δὲ τῶν πρὸς αὐτοὺς δικαίων ἀποστὰς τοῖς περιλειφθεῖσιν ἠρκεῖτο.* In his num fuerit C. Thoranius, ignoratur, ac paene vereor, ne haec a Nicolao conficta sint in laudem Augusti, clementissimi pupilli, qui posthac eo, quod isti patrimonii decoctores reliquum fecerant, contentus esse maluisset, quam jure eos et judice persequi! Mirum me semper habuere Appiani vv. *λεγόμενος ὑπό τινων ἐπιτροπεῦσαι Καίσαρος*, quasi ejus tutela tum res incerta fuisset et paene vulgi ore ac memoria excidisset! Non minus me, quoties legebam, offenderunt ejusdem vv. *οὐ στρατηγῶν μὲν ἔτι, ἀλλ' ἐστρατηγηκὼς κ. τ. λ.* Proprie haec accepit Pighius, qui eum Praetorem fuisse suspicatur a. U. C. 709. s. 710. V. Tom. III. p. 357. et 465. Ego secus sentio: qui enim cum C. Octavio, Augusti patre, fuerat Aedilis, eum probabile est ante a. U. C. 710. etiam fuisse Praetorem. Ab Orosio nominatur *vir praetorius*. Fuitne testamento patris Augusti tutelae electus, an *Praetorianus* seu *Praetorius* qui dicebatur? Vide Heineccii Antiq. Jurispr. I. 21, 5. ibiq. Mühlenbr. p. 187 sqq. Quid, si inde error natus propagatusque est? Sed manum de tabula! Nolo enim amplius divinando vanis indulgere conjecturis. Veri similiora sunt haec: C. Thoranius, qui tutor Augusti fuerat, tum adhuc erat homo summa integritate summaque innocentia,

---

s. Toranium, tutorem Augusti, quem Cicero laudat utpote dissentientem ab Antonio et negantem habere provinciam. Praenomen *Manium*, quod vulgo hic praeponitur, Codd. assensu exterminavit Klotzius edidique *C. Turranius*. Sed haec nominis scriptura valde incerta est: vide Intpp. in Edit. Wernsd. T. II. p. 48 sq.

45) Schweighäuserus retinuit c. 18. *Θουράνιος*, licet Candid. in edit. Venet. *Thoranius* vertisset atque idem homo, qui supra c. 12., jam intellectus esset a Glandorp. Onom. p. 844. et Freinshem. Suppl. Livii CXX. c. 59. Ille ambigit eis accedere, quia Appianus ne verbulo quidem innuerit, eumdem esse hunc. At hoc in tanta brevitate non opus erat. Ab Appiano c. 12. supra memoratus erat Thoranius, quo ostenderet, amicos ac necessarios a Triumviris esse proscriptos *ἐς θάμβος καὶ δυσελπιστίαν, μηδένα ῥύσασθαι προσδοκᾶν.* Augustus ne tutori quidem suo pepercit! Eumdem c. 18. repetit inter Praetores alios et Praetorios, qui pariter filiorum scelere et nequitia maturiorem vitae exitum invenerant et qui auctore caedis quam ipsa caede miseriores fuerant. Denique Schweighäuserus misso, qui ipsi succurrerat, loco Cicer. Phil. III. c. 10., ingenue confessus scripsit: „Obstare quidem rursus videri potest, quod ap. Valerium Max. IX. 11, 5. eadem res, quae hic narratur, ad *C. Toranium* refertur. Verum in Codd. nonnull. Valerii pro *Toranius, Turanius* legi docet editor Torrenius; et illa varietas in praenomine viri, cujus semel tantum cum ap. Ciceronem tum ap. Valerium mentio fit, non tanti videtur, ut conturbare nos magnopere debeat."

46) Orosii verba haec sunt p. 466. (Mogunt. 1615.): „Inde cum ad urbem accessissent ac rumor de futura proscriptione ortus esset, C. Thoranius vir praetorius nihil tale metuens, incursu militum domi suae interfectus" etc. Orosius tempore errat; C. Thoranium enim non primo Triumvirorum furore, sed posthac demum a. U. C. 712. in. proscriptum et obtruncatum esse puto.

sed opulentus admodum et jam senex: apud Appianum enim *πρεσβύτης* audit. Hunc propter divitias proscripsit Antonius, concedente Augusto,[47]) cui soli adeo, ut vidimus, imputatum est facinus, quod magnam ei concitavit invidiam et quoddam impietatis crimen adversus hominem bene de se meritum! Verum adjuverat utrumque Triumvirum in perpetrando hoc scelere ejus filius, *νεανίας τὰ μὲν ἄλλα ἀκόλαστος, δυναστεύων δὲ παρ' Ἀντωνίῳ,* ut ait Appianus, ejusque preces, quibus patris caedes et nex maturata est. Ecquis dubitet, hanc rem ab Augusto *ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν* ita enarratam esse, ut facti invidiam a se propelleret ejusque culpam filii improbitati impingeret? Inde vero Appianum profecisse existimo.

§. 6.

Corrasam undique et a quovis hominum ordinumque genere vi et caedibus correptam belli gerendi pecuniam Augustus flagitavit, ut M. Antonius secum divideret, antequam paludati Urbe exirent. Diviserunt etiam exercitum profecturi ambo in Macedoniam ad bellum Bruto et Cassio faciendum, permissa interim M. Lepido Urbis custodia et cura.[48]) Frustra Augustus speraverat futurum esse, ut a se Siciliam praetervehente Sext. Pompejus debellaretur, certe fracta ejus classe impediretur, quo minus Romam frumento commeatuque prohiberet Italiaeque oram infestaret. Properavit cum suis legionibus sequi Antonium, sed morbo implicitus Dyrrachii aliquamdiu subsistere debuit. Illum decem diebus post ad Philippos assecutus est *οὔπω μὲν ἐῤῥωμένος ἐς μάχην, φορείῳ δὲ ἐπὶ τὰς συντάξεις τοῦ στρατοῦ κομιζόμενος,* ut ait Appianus B. C. Libr. IV. c. 108. Quae verba cave accipias de copiis in aciem eductis; sed de Augusto eas intra vallum lustrante et lectica ordines circumvehente esse intelligenda, planum fit ex Plutarch. Brut. c. 38. 39. Nam

VIII. Plutarchus Anton. c. 22. de ipsa ad Philippos pugna memoriae tradit: *Ὡς μέντοι διαβάντες ἥψαντο πολέμου καὶ παρεστρατοπέδευσαν τοῖς πολεμίοις, Ἀντωνίου μὲν ἐπιτεταγμένου Κασσίῳ, Βρούτῳ δὲ Καίσαρος, οὐδὲν ἔργον ἐφάνη μέγα τοῦ Καίσαρος, ἀλλ' Ἀντώνιος ἦν ὁ νικῶν πάντα καὶ κατορθῶν. τῇ μέν γε προτέρᾳ μάχῃ Καῖσαρ ὑπὸ Βρούτου κατὰ κράτος ἡττηθεὶς ἀπέβαλε τὸ στρατόπεδον, καὶ μικρὸν ἔφθη τοὺς διώκοντας ὑπεκφυγών· ὡς δ' αὐτὸς ἐν τοῖς ὑπομνήμασι γέγραφε, τῶν φίλων τινὸς ὄναρ ἰδόντος, ἀνεχώρησε πρὸ τῆς μάχης.*

Planius haec Suetonius c. 13.: „Philippense quoque bellum, quanquam invalidus et aeger, duplici proelio transegit: quorum priore castris exutus vix ad Antonii cornu fuga eva-

47) Cf. Drumannus Hist. Rom. Vol. I. p. 367. ubi Not. 50. de hoc C. Thoranio: *Octavian verhinderte seine Ermordung nicht, aus Gefälligkeit gegen Antonius, welcher von dem eigenen Sohne des Toran. gewonnen war.* cl. l. c. p. 376. Idem V. D. Vol. IV. p. 248. de Augusto scripsit: *Sein Vormund C. Toranius war mit seinem Vater Aedil und dann Prätor gewesen; im Jahr 43 wurde er geächtet und ermordet, nicht etwa zur Strafe für eine unredliche Verwaltung des Vermögens, deren kein glaubwürdiger Schriftsteller ihn beschuldigt, — nur Nicol. Damasc. c. 2. spricht von Untreue, um Augustus zu rechtfertigen, — sondern auf Anstiften seines eigenen ungerathenen Sohnes, welcher als Günstling des Antonius Einfluss hatte; aber den ehemaligen Mündel traf dennoch bittrer Tadel, weil er ihn aufopferte, um ähnliche Gegendienste zu erkaufen.*

48) Consules hujus anni ab Jul. Caesare destinati fuerant D. Junius Brutus et L. Munatius Plancus: ille cum interea ab Antonio obtruncatus esset, Triumvirorum arbitrio in ejus locum successit M. Aemilius Lepidus, qui cum L. Planco Consulatum administraret et Triumvir Italiam tueretur, dum Antonius et Augustus consociatis armis M. Bruto et Cassio bellum facerent. cf. Pighii Annal. Tom. III. p. 480.

serat.“ Quae Plutarchus l. 6. ipsius Augusti testimonio affirmaverit, ea tantum ad ejus priore in pugna absentiam castrorumque amissionem spectare, liquet ex Plutarchi Brut. c. 41.: *καὶ Καῖσαρ μὲν, ὡς αὐτὸς ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν ἱστορεῖ, τῶν φίλων τινὸς, Ἀρτωρίου Μάρκου, καθ' ὕπνον ἰδόντος ὄψιν κελεύουσαν ἐκστῆναι Καίσαρα, καὶ μετελθεῖν ἐκ τοῦ χάρακος, ἔφθασε μικρὸν ὑπεκκομισθεὶς, ἔδοξέ τε τεθνάναι· τὸ γὰρ φορεῖον κενὸν ἀκοντίοις καὶ ὑσσοῖς βάλλοντες διήλασαν.* Consentit Suetonius c. 91.: „Philippensi acie quamvis statuisset non egredi tabernaculo propter valetudinem; egressus est tamen amici somnio monitus: cessitque res prospere, quando captis castris lectica ejus, quasi ibi cubans remansisset, concursu hostium confossa atque lacerata est.“ 49) Huic narrationi, quam etiam a Suetonio ex Augusti Commentariis desumptam esse puto, fidem facit iisdem usus fontibus Vellejus Paterc. Libr. II. c. 70. §. 1.: „Cornu, cui Brutus praeerat, impulsis hostibus castra Caesaris cepit. Nam ipse Caesar, etiamsi infirmissimus valetudine erat, obibat munia ducis, oratus etiam ab Artorio medico, ne in castris remaneret, manifestae denuntiatione quietis territo.“ 50) Dubium autem mihi est, num eodem ex fonte hauserit Valerius Maxim. Libr. I. c. 7, 1.: „Ejus (Augusti) medico Artorio somnum capienti nocte, quam dies insecutus est, quo in campis Philippicis Romani inter se exercitus concurrerunt, Minervae species oborta praecepit, ut illum gravi morbo implicitum moneret, ne propter adversam valetudinem proximo praelio non interesset. Quod cum Caesar audisset, lectica se in aciem deferri jussit: ubi dum supra vires corporis pro adipiscenda victoria excubat, castra ejus a Bruto capta sunt.“ Valerius rem suo more amplificavit atque extollendi Augusti gratia ambitiose exornavit. Hunc enim, quamvis invalidum, gnavum in hoc praelio strenuumque repraesentare voluit haud veritus, ne quid absoni absurdique fingeret. Cujusmodi non tam illud est quod Artorii monitu seu precibus tabernaculo egressus castra vitasse, quam quod audito illius somnio lectica in mediam aciem certamenque delatus esse et pro adipiscenda victoria excubuisse dicatur. 51)

---

49) Recepi lectionem *tabernaculo*, commendante Oudendorpio, quem secuti sunt BCrusius et Paldamus. Complures Codd. et Editt. usque ad Burmann. habent *tabernaculum*; sed vide Reisigii Praelect. de L. L. §. 388. p. 696. sq.

50) De *M. Artorio* medico veterum scriptorum locos diligenter indicavit Fabricius ad Dion. Cass. XLVII. p. 520. (c. 41. N. 209. Strz.) Smyrnenses ejus memoriae hunc titulum posuerunt: *Μάρκον Ἀρτώριον Ἀσκληπιάδην θεοῦ Καίσαρος σεβαστοῦ ἰατρὸν ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος τῶν Σμυρναίων ἐτίμησαν ἥρωα πολυμαθίας χάριν.* Ea Inscriptio singulari libello a Car. Patino illustrata est (Patav. 1687. 4.) et repetita a Sc. Maffejo Mus. Veron. T. I. p. 55. Ad hunc ipsum Artorium R. Chandlerus Inscript. p. 57. refert lapidem, a se Athenis repertum, cum hoc titulo: *ὁ δῆμος Μάρκον Ἀρτώριον εὐεργεσίας καὶ εὐνοίας ἕνεκα*: qui tamen titulus, cum nullum habeat medici indicium, alii videtur dedicatus. Alius M. Artorius et a medico diversus invenitur ap. Gruter. p. 130. 1. et Murator. p. 258. 1. Haec fere Ruhnkenius ad Vellej. Pat. Tom. I. p. 178. Frotsch. quibus adde quae Burmannus ad Suet. Aug. c. 91. habet. Haud pauci VV. DD., quos Fabricius ad Dion. Cass. l. c. nominavit, eum cum Antonio Musa, famigeratissimo Augusti medico, confuderunt. Sed ille hoc antiquior: nam teste Eusebio Ol. 187. 4. p. 154.: „Artorius Medicus Augusti post Actiacam victoriam naufragio periit.“ Plerique recentiores artis medicae scriptores, qui quidem mihi innotuere, eum silentio transmittunt utpote ignobiliorem, eumque cum Fabricio faciunt Asclepiadae Prusensis (128 — 56. a. Chr.) discipulum C. Sprengelius T. II. p. 27. et nuperrime H. Haeserus T. I. §. 71. Ejus nomen, quod videtur Latinae esse originis, cum minime sapiat Graecum nec servilis aut libertinae conditionis hominem, dubium ambiguumque reddit, verine nominis fuerit Medicus. Ab aliis scriptoribus appellatur *medicus*, ab aliis, quia in cohorte Augusti fuerit, *τῶν φίλων τις*, *amicus* ejusdem. Utrumque nomen verum esse posse neque alterum altero in Editt. permutandum esse, recte admonuerunt Intpp. ad Sueton. J. C. c. 4. Apposite laudatur Tacit. An. Libr. IV. c. 3.: „Eudemus amicus et medicus Liviae specie artis frequens secretis.“

51) Praeterea in Valerii Max. loco manifesta operae imitatricis vestigia mihi deprehendere videor ap. Dion. Cass. Libr. XLVII. c. 41.: *ὁ δ' ἰατρὸς ὁ συνὼν τῷ Καίσαρι ἐνόμισεν οἱ τὴν Ἀθηνᾶν προστάσσειν, ἔκ τε τῆς σκηνῆς αὐτὸν, καίτοι καὶ τότε ἀῤῥωστοῦντα, ἐξαγαγεῖν καὶ ἐς τὴν παράταξιν καταστῆσαι, ὑφ' οὗπερ καὶ ἐσώθη*, et inprimis ap. Lactantium

Brevissimus omnium hac de re, sed, ut ego opinor, Augusti consilio et menti proximus censendus est Appianus, qui B. C. Libr. IV. c. 110. de priore ad Philippos praelio haec: *καὶ τρέψαντες ἐδίωκον, μέχρι καὶ τὸ στρατόπεδον ἐξεῖλον, ὃ κοινὸν ἦν Ἀντωνίῳ τε καὶ Καίσαρι. Καίσαρος αὐτοῦ δι' ἐνύπνιον ἔνδον οὐκ ὄντος, ἀλλὰ φυλαξαμένου τὴν ἡμέραν, ὡς αὐτὸς ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν ἔγραψεν.* Multum abest, ut cum Casaubono ad Sueton. c. 91. Appianum hac in re obscurae brevitatis reum faciam; ut prorsus assentiar Schweighäusero Vol. III. p. 849. recte monenti, posse hujus praelii narrationem, quam Plutarchus et Dio habeant, ex Appiano passim illustrari supplerique. Ego enim in eam propendeo sententiam, qua Appianum in belli Philippensis narratione totum pependisse arbitrer ab Augusto. Hunc autem suspicor in ea parte *τῶν ὑπομνημάτων*, in qua de illo bello egerat, consulto priorem pugnam brevius modo exposuisse, posteriorem autem aliquanto copiosius tractasse. In priore praelio multa ei improspere cesserant, multa cum aliorum iniquis sermonibus, tum inprimis M. Antonii malevolis obtrectationibus atque ignaviae et timiditatis criminationibus patuerant: vid. supra §. 4. p. 208. Quamquam in plerisque morbum posset caussari, tamen fortasse satius tutiusque duxit, alia prorsus omittere altoque tegere silentio et alia, quae sibi suoque exercitui minus honorifica fuissent, verborum lenociniis mitigare et elevare. In hac pugna M. Antonii virtus eminuerat, contra ipse eam infirmus adhuc invalidusque evitaverat tabernaculo egressus et lecticam in castris relinquens fuga et paludis latebra vitam servaverat: quod factum merito inter ejus infelicitates retulit Plinius N. H. Libr. VII. c. 45. §. 148.[52]) At idem infortunium Augustus, quantum ex Appiani silentio colligi licet, *ἐν τοῖς ὑπομνήμασι* prorsus obticuerat utpote variis malevolentiae interpretationibus et opprobriis obnoxium.

Huc refero etiam superiorem Appiani locum, qui obscurae brevitatis accusatus ceteris scriptoribus quodam modo repugnat. Prudens fortasse Augustus ibi tacuerat nomen consiliumque Artorii medici sibi soli vindicaturus somnium, quo pugna abesse et castra vitare jussus esset. Verum in posteriore praelio, quod utrique Triumviro cum uno Bruto erat, uberior suppetebat laudis materia. Uterque ex ea discesserat victor; Augustus legionibus suis initium palmamque victoriae attribuere poterat; ipse ducis munia strenue obierat et ipso pugnae die *ἐς μέσην νύκτα πονηθεὶς, ἀνεχώρησε διὰ τὴν νόσον, Νορβανῷ φυλάσσειν παραδοὺς τὸ στρατόπεδον.* Haec Appianus B. C. Libr. IV. c. 122—130.; haec Augustus sui defendendi caussa memoriae prodiderat. Quo enim tempore scribebat Commentarios, Antonius mortuus erat nec facile militum quisquam superstes, qui Principem *αὐτοψίας* testimonio erroris et ementitae laudis posset coarguere. Neque magis mirabimur, Augustum brevi ante mortem sibi soli hanc victoriam adscripsisse: vid. Monum. Ancyr. Tab. I. v. 9. Chish. p. 172.[53])

Inst. Libr. II. c. 7. §. 22. p. 274. B.: „medico Artorio Minervae species obversata est, monens, ne propter corporis imbecillitatem castris se contineret Caesar. Itaque in aciem lectica perlatus est: et eodem die a Bruto castra capta sunt." Rem eamdem attigere Florus Libr. IV. c. 7. §. 9. Tertullianus de Anim. c. 46. et Zonaras Libr. X. c. 19., quos umquam Augusti *τὰ ὑπομνήματα* legisse negaverim. Cf. Drumanni Hist. Rom. Vol. II. p. 140. N. 67.

52) Hunc locum Plinii iterum tractabo infra Excurs. I. et Agrippae et Maecenatis testimonium examinabo.

53) Idem mendacium, quo Augusti historia vitiata est, Numis propagatum fertur: vid. Morelli Thes. Tab. XLV. N. 6. Tom. I. p. 422.

§. 7.

Pugnatum est apud Philippos exeunte autumno a. U. C. 712. s. 42. a. Chr., ut ex Plutarch. Brut. c. 47. Anton. c. 23. et Appian. B. C. Libr. IV. c. 122., aliisque evidenter ostendit H. Norisius Cen. Pis. Dissert. II. c. 6. p. 133 sqq. Adepta victoria, cujus palmam communis omnium consensus M. Antonio potissimum deferebat, Augustus tam parum moderate usus est, ut in splendidissimum quemque captivum non sine verborum contumelia saeviret, ut Suetonius c. 13. refert et aliquot exemplis demonstrat.[54]) Deinde partitis denuo provinciis separatisque inter se imperatorum officiis quum M. Antonius Orientem ordinandum, Augustus veteranos in Italiam reducendos et in municipalibus XVIII. urbium agris collocandos recepisset: ὁ δὲ γὰρ αὐτὸς εἵλετο διὰ τὴν ἀῤῥωστίαν, ut addit Appianus B. C. Libr. V. c. 3.: ille transacta Athenis hieme, appetente vere in Asiam navigavit, τὰς πρὸς ἕω πάσας ἐπαρχίας ἀργυρολογήσων, ut Plutarch. Anton. c. 23. ait; hic autem in itinere, quo confestim Romam repetebat, Brundisii periculosiori morbo affectus decubuit ibique diutius haesit, ita ut, disseminatis Romae variis hominum rumusculis, adeo mors ejus percrebresceret: vid. Appianus B. C. Libr. V. c. 12. cl. Dio Cass. Libr. XLVIII. c. 3. Proximo demum anno, quo P. Servilius Vatia Isauricus et L. Antonius Consulatum susceperant, Augustus ovans Urbem ingressus est: vid. Sueton. c. 22. ibique Intpp.

Res, quae hoc anno gestae sint, summatim attingit Vellejus Pat. Libr. II. c. 74. sed ita, ut cujus hic gentis Juliae adulator tacite amplexus fuerit scriptoris fidem, cuivis compareat. Sed idem argumentum usus iisdem fontibus non modo diligentius sed etiam multo locupletius ceteris scriptoribus stylo exsecutus est Appianus B. C. Libr. V. c. 14—49.[55])

Augusto describenti milites in colonias agrosque dividenti sub finem autumni huj. anni denuo incubuit bellum civile, intra triennium tertium, quod Perusinum nominatur a Sueton. c. 9., progressum illud tenuibus ab dissidiis ac perbreve quidem, sed et periculosum multoque odio in ipsum redundans. Nam ille, conquerentibus possessoribus, agris se pelli et venire in civilium bellorum praedam, veteranis contra moleste ferentibus, se non pro meritis donari, in magnos discriminum fluctus immersus neque Italorum neque militum gratiam tenere potuit, ποτὲ μὲν ὡς φιλόδημος, ποτὲ δὲ ὡς φιλοστρατιώτης ἐγκαλούμενος, ut ait Dio Cass. XLVIII. c. 8.

Primaria discordiarum tumultuumque caussa existimanda est Fulvia, M. Antonii Triumviri conjux, virilis animi femina, cui in hac veluti tragoedia primae partes sine controversia tribuendae sunt. Injuria autem secundarum in ea partium esse judicatur L. Antonius, Triumviri frater et ejus anni Consul, quem plerique Fulviae administrum et satellitem fuisse dicunt.[56])

---

54) Hujus eum immanitatis posthac poenituisse praeteritamque culpam redimere voluisse, credere nos jubet Libr. X. Fragmentum p. 206. Eamdem humanitatem, qua omnibus supplicibus civibus pepercerit, etiam senex jactat: vid. Monum. Ancyr. Tab. I. v. 12. p. 172. Chish.

55) Magnam fecimus jacturam amissis Livii Libris 125. et 126., quae Dionis Cass. Libr. XLVIII. c. 4—16. belli Perusini manca admodum enarratione minime sarcitur. Florum Libr. IV. c. 5. et Eutropium Libr. VII. c. 2., Orosium Libr. VI. c. 18. et Zonar. Libr. X. c. 21. non est quod testes allegem. Quam ob causam Appianum potissimum utpote ducem in explicanda hujus belli historia subtiliter secutus est Drumannus Hist. Rom. Vol. 1. p. 395 sqq. et p. 404 sqq.

56) Id colligitur ex triumpho, quem L. Antonius Kalend. Jan. de Inalpinis gentibus velut victis a se egit, et quem, τέως μὲν ἡ Φουλουΐα ἀντέλεγεν, οὐδεὶς οἱ συνεχώρησεν, ut ait Dio Cass. Libr. XLVIII. c. 4. Qua in re ego vanitatem quamdam et ambitionem L. Antonii magis agnoverim, quam animum, qui alienae mulieris arbitrio obnoxius fuerit.

Vellejus primo eum ponit loco honoris caussa, quippe Consulem. Et ut concedam patriae amorem et fratris honorem, quem prae se ferebat, simulatum ab eo esse et obtentui sumptum, tamen adduci nequeo, ut credam, illum Fulviae ambitioni et furori mancipatum non nisi exsecutum esse servili animo artes fraudesque, quibus ista Augustum irretiret. Neque ego cum Vellejo eumdem L. Antonium dixerim virtutum fratris prorsus expertem, quem cum res ad bellum spectarent, omnibus tentatis in parando bello impigrum et prudentem, in defendenda Perusia, fortem, audacem et famis laborumque patientem fratris ad instar videmus, inque ea tradenda honestum adeoque suorum sociorum studiosum fuisse legimus. Verum tamen praeter Fulviam praecipuus seditionum concitor bellique auctor non dubium mihi videtur quin habendus sit *Manius*, M. Antonii Triumviri in Italia ἐπίτροπος.[57]) Homo iste nequam et clandestinarum fallaciarum machinator taeterrimus Fulviae in hanc tantam discordiarum materiam velut funesta fax adhaesit ejusque furorem zelotypiae stimulans igniculis tandem bellum civile incendit, quod L. Antonius, uti Consulem oportebat, rerum munerisque ratione coactus gerendum suscepit.[58]) Illum igitur *Manium*, quem aliunde non novimus, inter scriptores, qui quidem nobis supersunt, solus omnium commemorat Appianus et varias ejus contra Augustum machinas distincte ac cum cura describit. Iste tamen homo quisquis fuit haud indignus Augusto visus est neque ineptus, quem aeque ac Fulviam Epigrammatum aculeis perstringeret in eumque atram bilem simul evomeret: id quod nequaquam ab eo factum fuisse credo, nisi magna ejus opera in irritanda Fulvia sibi cognita perspectaque fuisset. Inde autem facilis est conjectura ac paene certa, Augustum etiam in Commentariis de Vita sua accurate de *Manio* egisse facemque veluti praetulisse Appiano. Augustus sine dubio in illum plurimum culpae belli admodum sibi invidiosi contulerat.

Ex eodem autem fonte quam saepe Appianus suos hortos irrigarit, etiam ea docent, quae de capta Perusia memoriae prae ceteris tradit. Primum laus, qua studiose quaesita Augusti ducis industria et fortitudo in hujus urbis obsidione praedicatur, neglecta fere M. Agrippae et Q. Salvidieni opera et virtute, prodit auctorem sui suaeque laudis cupidiorem, quem *κατὰ πόδα* sequatur Appianus. Deinde L. Antonium, qui non triplici illo obsidentium exercitu, sed pereuntium multitudinem miseratus ingenti fame ad deditionem compulsus est, admirabili clementia ab Augusto salutatum et tractatum esse narrat. Illum oratione satis longa inducit loquentem cum victore, hunc facit brevius ei respondentem iisque oratiunculis

---

57) De hoc *Manio* videsis quae collegi supra Libr. II. §. 3. N. 7. et 9. Pauca hic addere lubet de ejus nomine, cui frustra quaesivi quo auctore *Lucii* praenomen praefixerit Glandorp. Onom. p. 556. Fortasse *Manius* notissimum est istud praenomen, quo servi ὑποκοριστικῶς nominari et vocitari solerent: v. c. apud Caton. d. R. R. c. CXLI. 1. ibique Schneider. Vol. I. P. 2. p. 179.; ap. M. Varron. in Fragm. Sat. Menipp. s. *Bimargus* Vol. II. p. 265. Bip. Quid quod integra M. Varronis Satyra Menipp. inscripta fuit *Manius*. Sicuti autem praenomina *Lucius*, *Publius*, *Servius* aliaque facta sunt gentis nomina: vid. Oudendorp. ad Jul. Caes. d. B. C. Libr. III. c. 1. et Garaton. ad Cic. pr. Mur. c. 28.; ita etiam *Manii* praenomen successu temporis videtur transiisse in gentile. Sic ex M. Varrone affert Plinius N. H. Libr. VI. c. 6. §. 75. S. *Manium Maximum*, Equitem Romanum, quem *κατ' ἀντίφρασιν Maximum* cognominatum esse suspicor, quia binûm modo cubitorum fuerit. Ceterum idem quum factum sit ap. poetas ὄνομα θετικὸν pro homine paupere et ignobili, ab alio quopiam Manio deducendum est: vid. Pers. Sat. VI. 56. ibique O. Jahn.

58) L. Antonii in Consulatu collega P. Servilius in hoc rerum actu nusquam, quod meminerim, commemoratur: quod nemini mirationem faciet cognito judicio Dionis Cass. Libr. XLVIII. c. 13.: *οὔτε γὰρ ὁ Λέπιδος ὁ τὴν φυλακὴν αὐτοῦ ἐπιτετραμμένος ἀντέπραξέ τι ὑπὸ τῆς ἐμφύτου νωθείας, οὔτε ὁ Σερουΐλιος ὁ ὕπατος, ἡσυχαίτερός πως ὤν.* Cuncta igitur, quae amborum Consulum fuissent munia, soli L. Antonio obeunda erant in hoc praesertim discrimine, quo a Marci fratris legatis derelictus frustra quidquam opis exspectare potuit. Itaque mihi Drumannus Hist. Rom. Vol. I. p. 408., id quod pace ejus dixerim, de eo duriusculum judicium facere videtur.

IX. B. C. Libr. V. c. 45. subjicit haec: *Ταῦτα μὲν ἔλεξαν ἀλλήλοις, ὡς ἐκ τῶν ὑπομνημάτων ἦν ἐς τὸ δυνατὸν τῆσδε τῆς φωνῆς μεταβαλεῖν τεκμαιρομένῳ τῆς γνώμης τῶν λελεγμένων.*

Quantum ex hoc loco, fontis indice, colligi licet, Augustus, Historicorum morem imitatus *ἐν τοῖς ὑπομνήμασι,* videtur L. Antonium secum loquentem seque ei respondentem induxisse. Quod ibi proposuit a se responsum num genuinum fuerit, sive ad primiceriam litteram descriptum sive memoria tantum custoditum, a nobis certius definiri posset, si constaret, eum jam tum in Triumviratu consueto suo more, de quo supra Libr. III. §. 5. dictum est, graviores sermones chartis mandatos de scripto recitasse eorumque archetypa servasse. Id autem addubito num ante senectutem memoriae suae diffisus, certe ante Principatum instituerit. Ac quo tandem pacto statuemus eum nactum esse primum sermonis Antoniani exemplar? Idcirco veri est similius ab Augusto ibi non nisi prima velut stamina istarum orationum ducta esse, et quantum reminiscendo posset, gravissimas litteris consignatas esse sententias, quae in hoc utriusque sermone quasi familiam duxissent. Hinc etiam planum est, qui fieri potuerit, ut Appianus, quamvis fidus interpres, in transferenda L. Antonii oratione liberius prolixiusque versatus arti magis quam veritati inservisse videatur, contra in convertendo Augusti responso studiosius verba presserit propriamque ejus sententiarum brevitatem et pondus concinnius exhibuerit: vid. supra Libr. III. §. 4. N. 32. Ridiculum enim est credere, L. Antonium in tanto rerum discrimine ac periculo tam perfecte tamque multa locutum esse.

Quaecumque igitur Appianus de Perusiae traditione nobis memoriae prodita reliquit, ea, si tractationem spectaveris, propemodum singula Augusti peculiarem indolem, vigorem prudentiamque mihi redolere videntur. Cuncta enim singularem spirant moderationem, raram irae et ultionis continentiam adeoque amabilem quamdam humanitatis mollitudinem,[59] quam ab Augusto in enarranda hac re affectatam simulatamque fuisse perquam probabile est. Quae cum ita sint, nullus dubito, quin cum alia, quae speciatim huc pertinent, ex ejus Commentariis de Vita assumpta sint, tum inprimis hoc, quod

X. Appianus B. C. Libr. V. c. 49. habet: *Τῆς δ' ἐπιούσης, ὁ μὲν Καῖσαρ ἐσπένδετο ἅπασιν. Ο δὲ στρατὸς οὐκ ἐπαύετο ἐπί τισι θορυβῶν ἕως ἀνηρέθησαν. Καὶ ἦσαν οἱ μάλιστα Καίσαρος ἐχθροὶ κ. τ. λ.*

Quae ut recte intelligamus, praecedentium ordinem rerum apud Appianum repetamus necesse est. Postridie quam L. Antonius cum Augusto locutus fuerat inque urbem Perusiam redierat datis pignoribus, primum missi sunt ad victorem exercitus veteranorum aeque ac tironum, qui intercedentibus Caesarianis, depositis armis, impunitatem impetrarunt. Deinde ex urbe arcessitus est L. Antonius cum nobilioribus ex Senatoribus et Equitibus Romanis. *Ἐπεὶ δὲ ἀφίκοντο,* inquit Appianus c. 48., *Λεύκιον μὲν ὁ Καῖσαρ ἑαυτῷ παρεστήσατο· τῶν δὲ ἄλλων τοὺς μὲν οἱ φίλοι Καίσαρος, τοὺς δὲ οἱ λοχαγοὶ διέλαβον, προδεδιδαγμένοι πάντες, ἐς τιμὴν ἀπάγειν ἅμα καὶ φυλακὴν ἄσημον.*[60]) En Augustum, hostium inimicorumque suorum

59) Huc pertinet illud spectaculum, quod prorsus ad miserationem compositum Appianus B. C. Libr. V. c. 46. et 47. refert. Totam remitemque oratiunculam, qua militibus affectu vere paterno respondet, ab Augusto fictam esse suspicor, qua suam erga milites magis extolleret humanitatem: vid. supra Libr. III. 3. B. 3.

60) L. Antonium omnes consentiunt scriptores ab Augusto

victorem, quo nihil est moderatius nihilque clementius! Porro eodem die Perusinis ipsis veniam donavit omnibus *ἄνευ βουλῆς* i. e. sine Duumviris et Decurionibus: vid. Norisius Cenot. Pisan. Dissert. I. c. 3. p. 44.; *οἱ δὲ βουλευταὶ τότε μὲν φύλαξι παρεδόθησαν, μετ' οὐ πολὺ δὲ ἀνῃρέθησαν,* ut simpliciter ait Appianus c. 48. Illis tamen Perusinis orare veniam et excusare se conantibus una voce occurrisse fertur: *Moriendum esse*, ut, silente Appiano, aliorum fidem amplexus narrat Suetonius c. 15. Vid. infra Append. VI. Denique eodem die Perusia per Cestium istum Macedonicum, non satis sanae mentis hominem, videtur esse incensa. Quo facto Augustus, praeter opinionem quippe spe praedae delusus et urbis direptione, quam militibus promiserat, vix dubitari potest quin vehementer exasperatus fuerit. Jam *τῆς ἐπιούσης*, sequente i. e. tertio die iterum producti esse traduntur illi Senatores et Equites Romani: his Augustus veniam donaturus erat, sed a tumultuantibus militibus contra ejus voluntatem magno numero trucidati sunt, ut Appianus narrat.

Haec dubitari nequit quin ex Augusti Commentariis assumpta sint, uti jam recte admonuit Schweighäuserus ad h. l. Vol. III. p. 866. Eamdem facti depravationem nescio dicam an mendacium primum propagavit Vellejus Patere. Libr. II. c. 74. §. 4.: „In Perusinos magis ira militum, quam voluntate saevitum ducis." At Suetonius, veri studiosior, audita et altera parte c. 15. narrat, capta Perusia, in plurimos animadversum esse, et alios auctores secutus refert: „Scribunt quidam, trecentos ex dediticiis electos utriusque ordinis ad aram Divo Julio exstructam Idibus Martiis hostiarum more mactatos." Quocum facit Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 14.: „*Καὶ αὐτὸς μὲν* (i. e. L. Antonius) *ἄλλοι τέ τινες ἄδειαν εὕροντο, οἱ δὲ δὴ πλείους τῶν τε βουλευτῶν καὶ τῶν ἱππέων ἐφθάρησαν. καὶ λόγος γε ἔχει, ὅτι οὐδ' ἁπλῶς τοῦτο ἔπαθον, ἀλλ' ἐπὶ τὸν βωμὸν τὸν τῷ Καίσαρι τῷ προτέρῳ ὡσιωμένον ἀχθέντες ἱππεῖς τριακόσιοι, καὶ βουλευταὶ ἄλλοι τε καὶ ὁ Καννούτιος ὁ Τιβέριος, (ὅς ποτε ἐν τῇ δημαρχίᾳ τὸ πλῆθος τῷ Καίσαρι τῷ Ὀκταουϊανῷ ἤθροισεν) ἐτύθησαν.*"[61]) Haec toto coelo discrepant ab Appiani traditione, quam Augustus callide commentus chartis mandaverat. Cum enim ipsum facinus, cujus eum serius poenituisse videtur, neque negari nedum oblivione deleri posset, saevitiae infamiam a se amoliturus, detestabilis caussam caedis a tumultuantium militum ira et furore derivavit in eosque omnem culpam avertit.

In tanta sane testium, qui nobis supersunt, paucitate ad dijudicandum difficile est, quid verum falsumve sit. Plerique tamen, quos sciam, Viri Docti hac in re Suetonio et, quos citat, auctoribus potiorem fidem adjungendam esse censuerunt, ut J. G. Loebellius de Principatu Augusti in *Histor. Taschenb. v. Raumer, Jahrg. V.* 1834. *N. III. p.* 233. et Car. Hoeckius Hist. Rom. I. p. 250. At Drumannus Hist. Rom. Vol. I. p. 412. praeoptata Appiani fide, foedam istam rem ad vanos malevolorum rumores revocat eamque natam ornatamque esse mavult odio scriptorum quorumdam, ut Aquilii Nigri aliorumque, qui Augusto turpissima quaeque

indemnatum dimissum esse: cui ut parceret, prudentia suasit. Marci enim fratris gratia, quam virtutum Lucii admiratione motum eum esse, certum est. Mox eum in Hispaniam cum exercitu ablegavit *σὺν τιμῇ καὶ διὰ τῶν ὑποστρατήγων ἐφύλασσεν ἀφανῶς*, ut narrat Appianus B. C. Libr. V. c. 54.

61) Praeeunte BCrusio ad Sueton. Aug. c. 15., recepi pro vulg. *τετρακόσιοι* Cod. Med. lectionem *τριακόσιοι*, ut cum Suetonio consentiret Dio Cassius, iisdem procul dubio fontibus usus. Si qui narrarunt mactatos esse *τετρακοσίους*, eos suspicor non nisi sacrificii diritatem adaugere voluisse. Ego enim jam in Vulg. numerum rotundum agnoverim. De *Tiberio Cannutio*, tribuno pl. a. U. C. 710. mentio injecta est jam supra Libr. I. §. 10. N. 87. Ne homini quidem pepercit Augustus bene de se nuper merito!

lubenter affinxissent.[62]) Id ut largiar factum esse in definiendo caesorum numero sacrificiique tempore, quod dicitur ipsis Idubus Martiis evenisse; tamen ego, omnibus diligenter circumspectis, rem minime ex vano haustam esse nec a more saeculi abhorrere arbitror. Mihi enim admodum credibile est, Augustum, felicem Perusiae victorem inopino urbis locupletis incendio, ut diximus, commotiorem, uno simul die plurimos Senatorum et Equitum, in quibus ipsius *ἐχθροὺς* fuisse expresse legimus, ad aram aliquam, quae Manibus Divi Julii exstructa esset, primo velut irarum aestu non gladio sed veluti victimas securi percuti jussisse.[63]) Numquam enim mihi persuaderi patiar, ut illos captivos Romam abductos et, animo Augusti jam sedatiore, aliquanto post Idubus Martiis in foro hostiarum more mactatos esse credam. Vide infra Append. VI.[64]) Quis enim absonum esse dicat, belli rebus ad Perusiam prospere gestis, in memoriam honoremque Julii Caesaris aram caespiticiam esse conditam ad eamque Manium expiandorum caussa in castris Perusinis hostes et patris et filii adversarios esse mactatos? Hoc flagitium, quo sane Augustus Sullae crudelitatem aequabat, at pietate eum superabat, tantum abest, ut alienum esse putem a Triumviri animo, qualem superiore anno cognovimus, ut id cum temporum rerumque rationibus excusatius, tum inprimis pietate adversus Divum Julium commendatius peregisse censendus sit. Tantum religio potuit suadere malorum, ait Lucretius Libr. I. v. 102.

§. 8.

Caesar Augustus *ἐν τοῖς ὑπομνήμασι,* quae non amplius Triumvir, sed Princeps *ἐς ἑαυτοῦ ἀπολογίαν* componebat, non tantum vitae publicae caussas, quibus motus civitatis res administraverat, aequalibus posterisque explicatas et quoad fieri posset, excusatas esse voluit, sed etiam vitae privatae domesticaeque, quatenus aliorum sermonibus et obtrectationibus infamata apud vulgus invidiam habuisset, rationes reddere et criminibus purgare studuit. Idcirco non modo puerilia, quae ipsi probro versa essent, tetigit, ut vidimus §. 3. N. 1. et 3., sed etiam si quae virili posthac vitae infamiae notam adspersissent, quovis modo extenuare enisus est. In his quin ponenda sint inprimis matrimonia non dubium est:[65]) dico prae ceteris divortium cum Scribonia et Liviae conjugium, quibus nihil et ipsi invidiosius et civitati perniciosius fuisse existimo. Huc spectat

62) *Aquilius Niger*, cujus nomen constans ap. Sueton. c. 11. scriptura confirmat, incertae aetatis scriptoribus adnumeratur a G. J. Vossio de Hist. Lat. L. III. c. 11. p. 256., cujus in scribendo nomine *παροράματα* castigavit A. Krause de Sueton. Font. p. 41. N. 44. De Augusti rebus eum scripsisse probabile est. Testimonio ejus innixus Suetonius memorat, alterum e consulibus, Hirtium, in pugnae tumultu ab ipso (i. Augusto) interemptum. Quod cum nobis abhorrere videatur a prudentia Augusti, ideo non est, quod Aquilium mendacii insimulemus et sublestioris fidei habeamus: alioqui Suetonio vix dignus esset visus, quem testem nominatim citaret. Non multum abest quin hunc etiam ponam in ingeniis decoris, quae libertate nondum adempta res Augusti ingenue descripserint. Cf. Tacit. Ann. Libr. I. c. 1. et supra N. 36.

63) Usus sum locutione Flori, licet me non fugiat, eum videri ex sui temporis more locutum esse: videsis quae Freinshemius et Dukerus disputarunt ad Libr. II. c. 5. §. 3.

64) Opinatio, qua illos captivos Romam abductos ibique Idubus Martiis in foro mactatos esse dicunt, mihi aliquando fraudi fuit de capta Perusia, quam hiberno adhuc tempore traditam esse et multo ante initium veris i. e. VII. Idus Febr. (Varro de R. R. Libr. I. c. 28.), manifestum fit ex Appiani B. C. Libr. V. c. 47. Narrat enim, Antonianos milites a Caesarianis tentoriis acceptos esse, *ἕως ὁ Καῖσαρ αὐτοῖς πόλεις τε ἐς χειμασίαν, καὶ τοὺς ἀπάξοντας ἐς τὰς πόλεις δοίη.* Mensem potius Januarium ut cogitemus, suadent ea quae narrat idem B. C. Libr. V. c. 34. et 35.

65) Operae pretium fuerit de *Scribonia* et *Livia* nonnulla, quae huc pertineant, brevitatis caussa conjunctim et cum cura exponere infra Excurs. II.

XI. Suetonius c. 62.: „Mox Scriboniam in matrimonium accepit, nuptam ante duobus consularibus et ex altero etiam matrem. Cum hac etiam divortium fecit, pertaesus, ut scribit, morum perversitatem ejus.“

Quo in loco Suetonius vv. *ut scribit* Commentarios Augusti designat, ambigente licet Schweigero de Font. Suet. p. 13., et ipsissimis, puto, ejus verbis usus est: vid. Fabricius ad Dion. Cass. Libr. XLVIII. c. 34. N. 165. Nondum sepultis belli Perusini discordiis, in praesenti rerum discrimine conditionem quaesivit et *Scriboniam* exeunte aestate a. U. C. 714. in matrimonium duxit non amore motus sed ratione, quo facilius, si quando opus esset, Sext. Pompejo reconciliaretur: vid. Dion. Cass. Libr. XLVIII. c. 16.: *ἔγημεν· εἴ πως ἔκ τε τῆς εὐεργεσίας καὶ ἐκ τῆς συγγενείας φίλον αὐτὸν ποιήσαιτο.* Ipse tum egit annum 23. eumque Scribonia videtur aetate aliquanto antecessisse. Sed has impares nuptias, captus amore et artibus Liviae, anno post dissolvit eodem die, quo, ut narrat Dio Cass. Libr. XLVIII. c. 34., *τὸν πώγωνα τότε πρῶτον ξυράμενος, αὐτός τε μεγάλως ἑώρτασε καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι δημοτελῆ ἑορτὴν παρέσχε. Καὶ ὁ μὲν καὶ ἔπειτα ἐπελειοῦτο τὸ γένειον, ὥσπερ οἱ ἄλλοι· ἤδη γὰρ καὶ τῆς Λιουΐας ἐρᾷν ἤρχετο καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὴν Σκριβωνίαν τεκοῦσάν οἱ θυγάτριον ἀπεπέμψατο αὐθημερόν*, h. e. IX. Kalend. Octobr. a. U. C. 715. s. 39. a. Chr., dimisit, quo die barbam posuit ac simul 24. aetatis annum explevit.[66])

Haec matrimonii dissolutio cum Scribonia, ex qua Juliam filiolam nuperrime susceperat, quis dubitet quin ingentem vulgi sive misericordiam sive indignationem moverit eique communem omnium reprehensionem pepererit, praesertim cum in ducenda Livia adeo properus fuisset, eam ut ne spatio quidem ab enitendum dato penatibus suis gravidam induceret: vid. Tacit. A. Libr. V. c. 1. Non unus M. Antonius, suam cum Cleopatra propudiosam consuetudinem et libidinem defensurus, haud dubie per epistolas ei objecerat festinatas Liviae nuptias et dimissam Scriboniam, quia non nisi nimiam potentiam Liviae pellicis liberius doluisset: vid. Sueton. c. 69. Utri igitur succenseamus, Augusto matrimonii fidem violanti an Scriboniae indignanti ac dolenti conjugis perfidiam et libidinem? utri perversitatem morum justius exprobremus? Quid, quod adeo mortuo Augusto fuerunt, qui domesticam ejus vitam moresque eo nomine arguerent, licet jam dudum in Commentariis se defendisset neque erubuisset, Scriboniam adhuc viventem et vitae honestae laude florentem falsa et ementita morum perversorum criminatione inquinare ejusque famam prostituere. Cuivis autem planum est, eum non tam morum ejus perversitatem, quam aetatem ejus pertaesum fuisse!

Non minus post mortem adhaesit maculae instar vitae Augusti privatae eique crimini dabantur abducta Neroni uxor et consulti per ludibrium pontifices, an concepto necdum edito partu rite nuberet, ut ait Tacitus An. Libr. I. c. 10. Hujus etiam facti infamiae in iisdem Commentariis honestatis ac liberalitatis speciem dare studuerat, ut testatur

---

66) Sicut Romani die tirocinii pueritiam, ita barba rasa eaque diis consecrata adolescentiam egressi in virilem aetatem transibant. Hunc festum laetumque diem plerumque circa annum aetatis vicesimum secundum celebrarunt: de hoc more egit Lipsius Excurs. B. ad Taciti Ann. Libr. XIV. c. 15. cui adde qui allegantur a Fabricio ad Dion. Cass. Libr. XLVIII. c. 34. N. 163. itemque ab Eckhelio D. N. P. II. Vol. VI. p. 31. et inprimis p. 76., ubi docet, Augustum etiam post annum U. C. 715. in Numis barbatum apparere veluti lugentem belli Siculi calamitates. Hanc ejus conjecturam probat Drumannus Hist. Rom. Vol. I. p. 428. N. 97. et Vol. IV. p. 286. N. 84.

XII. Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 44.: *Συνοικοῦσα δὲ ἤδη ἡ γυνὴ τῷ Καίσαρι, τίκτει Κλαύδιον Δροῦσον Νέρωνα. καὶ αὐτὸν ὁ Καῖσαρ καὶ ἀνείλετο καὶ τῷ πατρὶ ἔπεμψεν· αὐτὸ τοῦτο ἐς τὰ ὑπομνήματα ἐγγράψας, ὅτι Καῖσαρ τὸ γεννηθὲν Λιουΐᾳ τῇ ἑαυτοῦ γυναικὶ παιδίον Νέρωνι τῷ πατρὶ ἀπέδωκε. Καὶ ἐκεῖνος τελευτῶν οὐ πολλῷ ὕστερον, ἐπίτροπον καὶ τούτῳ καὶ τῷ Τιβερίῳ αὐτὸν τὸν Καίσαρα κατέλιπεν. Ὁ δ' οὖν ὅμιλος ἄλλα τε ἐπὶ τούτῳ πολλὰ διεθρύλλει καὶ τοῖς εὐτυχοῦσι τρίμηνα παιδία γεννᾶσθαι ἔλεγεν· ὥστε καὶ ἐς παροιμίαν τὸ ἔπος χωρῆσαι.*

Haec maximam partem spectant ad a. U. C. 716. s. 38. a. Chr., quo anno Augustus Claudio Neroni Liviam abduxit gravidam. Partum edidit Livia intra tertium, quo nupserat, mensem, fuitque, ut Suetonius Claud. c. 1. refert, suspicio, Drusum ex vitrico per adulterii consuetudinem procreatum esse. Ratio autem, cur Augustus in Commentariis prodiderit, Drusum modo natum a se patri redditum esse, in aprico est. Voluit sic occurrere suspicioni isti ac rumori de adulterio et famae suae consulere. Nec satis assequor, quomodo hic Dionis locus documento esse possit, vitam privatam ab Augusto valde libere descriptam esse, judice Wilmansio de Font. Dionis Cass. p. 21. Quodsi ab eo, ut suspicor, ibidem facta est mentio tutelae, in quam testamento patris vita defuncti uterque filius, Tiberius et Drusus, venerint, fortasse facto ostendere voluit, Liviam haud invitam Claudio Neroni non invito et repugnanti abductam esse. Tiberius, major Liviae filius, quum natus sit d. XVI. Kalend. Decembr. a. U. C. 712. et defunctum patrem puer novennis pro Rostris laudasse dicatur, sequitur, Claudium Neronem patrem obiisse a. U. C. 721. vid. Suetonius Tiber. c. 5. et 6.

Praeter matrimonia videtur Augusto Triumviro probrum attulisse societas et consuetudo hominum quorumdam, quibus infra suam dignitatem morumque honestatem familiarius uti censeretur. Quare se eo etiam nomine in Commentariis defendere et undecumque se excusare conatus est. Huc spectat

XIII. Suetonius Aug. c. 74.: „Valerius Messala tradit, neminem unquam libertinorum adhibitum ab eo coenae, excepto Mena, sed asserto in ingenuitatem, post proditam Sex. Pompeji classem. Ipse scribit, invitasse se quendam, in cujus villa maneret, qui speculator suus olim fuisset."

Suetonius h. l. probaturus, Augustum non sine magno ordinum hominumque dilectu convivatum esse, utitur testimonio *M. Valerii Messalae Corvini*, quem Tibulli fautorem, belli pacisque artibus clarissimum, et amicum Augusti fuisse novimus: vide quae collegit Krausius ad Vellej. Pat. Libr. II. c. 71. In ambiguo est, quo in libro id Messala tradiderit. G. J. Vossius d. Hist. Lat. Libr. I. c. 18. suspicatur, esse haec deprompta ex libro de Familiis Romanis, quem senex composuerit. Quae conjectura probabilior mihi videtur, quam quum, praeeunte Torrentio ad Sueton. l. c., Heerenius d. Font. Plutarch. p. 175. statuit, Messalam scripsisse Commentarios Historicos de bello inter Triumviros et Caesaris percussores gesto. Mera suspicio, quae aliunde firmari nequit. De *Mena s. Menodoro*, Pompeji Magni liberto et famoso partium desultore in bello Siculo, a me satis expositum est in Poett. Latin. Reliq. p. 443. Sex. Pompeji dux classem Augusto prodiderat a. U. C. 716. Ingenuitas autem apud Romanos nitebatur natalibus: ingenui i. e. liberis parentibus nati opponuntur et servis et libertinis, qui licet juste manumissi essent, tamen ingenuos cives non omni ex parte aequarunt: vide Zimmern Histor. Jur.

Rom. Tom. I. 2. p. 785. Hinc Messalae testimonium, quo Augustus excusetur, quantuli sit momenti intelligitur. Suetonii vv. *ipse scribit* sunt qui aliquam Augusti Epistolam indicari putent, ut Paldamus ad h. Sueton. l. et A. Krause de Font. Suet. p. 34.; Schweigerus p. 14. in medio relinquit, quem librum intelligat. Ego sine ulla dubitatione Torrentium et Fabricium p. 194. secutus ad Augusti Commentarios retuli. Rem enim ignominiosam s spectamus, ea rectius in Commentariis illis apologeticis, quam in aliqua Epistola commemorari poterat. *Speculatorem* intelligo unum e libertinis militibus, quos memorat Suetonius Aug. c. 25. Quinam milites fuerint speculatores, praeter J. Lipsium ad Tacit. An. Libr. IV. c. 41. et Hist. Libr. I. c. 24. et Oudendorpium ad Sueton. Calig. c. 44. Claud. 35. affatim explanavit Eckhelius D. N. P. II. Vol. VI. p. 53 sq. Augustus ne culparetur, quod speculatorem invitasset coenaeque adhibuisset, videtur addita caussa vituperationem a se amoliri voluisse.

Ex iisdem Commentariis haud dubie deducta sunt, quae habet

XIV. Plinius N. H. Libr. II. c. 7. §. 24.: „Divus Augustus laevum prodidit sibi calceum praepostere inductum, quo die seditione militari prope afflictus est.“

Eadem prope ad verbum descripta leguntur ap. Sueton. Aug. c. 92.: „Auspicia et omina quaedam pro certissimis observabat. Si mane sibi calceus perperam ac sinister pro dextero induceretur, ut dirum etc.“ ubi vel verborum similitudo eumdem redolet auctorem, Augustum, quem ceteroqui in hoc superstitionis genere non ultra vulgus sapivisse notum est: vid. Drumannus Hist. Rom. Vol. IV. p. 302. Hujus ominis mentionem injecerat fortasse enarrata altera utra militum seditione, quam memorat Appianus B. C. Libr. V. c. 16 sqq. et c. 128 sq.

§. 9.

Augustus, bello Siculo d. III. Non. Septembr. a. U. C. 718. s. 36. a. Chr. finito,[67]) et Sext. Pompejo in Asiam fugato, eodem simul anno M. Lepidum, Triumvirum, *ἀναιμακτί* omni potestate exuit et privatum Circejos relegavit. Quo facto dissutum subinde Triumvirale foedus penitus solutum in Duumviratum transiit, ita tamen ut, M. Antonio Alexandriae luxu et deliciis vitae obtorpescente, Romae penes unum fere Augustum totius imperii esset potestas. Nihil intentatum reliquit, ut rebus recte constituendis solus existimaretur promeritus esse de imperio Romano. Hinc anno proximo arma intulit exteris gentibus, quo longius suas legiones in armis occupatas detineret. Multo quidem labore, sed prospero successu cum Japydibus, Dalmatis et Pannoniis conflixit a. U. C. 7$^{19}/_{20}$. Illud bellum paulo obscurius, quod Suetonius Aug. c. 20. Dalmaticum vocat, ceteris copiosius scriptoribus exposuit Appianus in Libro de rebus Illyricis. Is autem quam multa accepta debeat *τοῖς ὑπομνήμασιν* Augusti cum multi alii jam viderunt,[68]) tum ipse haud obscure confessus est. Sic

---

67) Bellum Siculum post varias vices finitum est victoria M. Agrippae navali ad Messanam: vid. Appiani B. C. Libr. V. c. 118 sqq. Commissa est pugna III. Non. Sept., docente istud Kalendario Amiternino, quod ad hanc postremam de Sext. Pompejo victoriam refert Eckhelius D. N. P. II. Vol. VI. p. 71 sq.

68) De populis Illyricis, quibuscum Augustus Triumvir tum belligerabat, nos Schweighäuserus Appian. Vol. III. p. 671. conferre jubet Dion. Cass. Libr. XLIX. c. 34. et Florum Libr. IV. c. 12. sed inprimis illorum populorum historiae, quoad per testium paucitatem et obscuritatem fieri posset, lucem afferre connisus est, prolato potissimum Appiano, Drumannus, qui Hist. Rom. Vol. IV. p. 241. N. 8. adnotavit: *Bei seiner Erzählung liegen die Nachrichten des Augustus zum Grunde.*

XV. Appianus Illyric. c. 14.: Τὰ μὲν δὴ πάλαι τοσαῦτα περὶ Ἰλλυριῶν καὶ Παιόνων ἔσχον εὑρεῖν. Ἐν δὲ τοῖς ὑπομνήμασι τοῦ δευτέρου Καίσαρος, τοῦ κληθέντος Σεβαστοῦ, παλαιότερον μὲν οὐδὲν οὐδ᾽ ἐν τοῖσδε περὶ Παιόνων εὗρον.

Paeones sunt Pannonii, ut ibidem Appianus monet: Παίονες μὲν ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων λεγόμενοι καὶ Ῥωμαϊστὶ Παννόνιοι. Hos aliosque Illyrici populos Romanis jam ante Augustum subjectos fuisse et paruisse, constare quidem fatetur Appianus c. 15. et pergit: καὶ ὅπως μὲν, οὐκ ἔγνων. Οὐ γὰρ ἀλλοτρίας πράξεις ὁ Σεβαστὸς, ἀλλὰ τὰς ἑαυτοῦ συνέγραφεν. Is quam magnifice quamque ambitiose de rebus a se ibi gestis exposuerit, indicant Appiani verba c. 16.: Ὁ δὲ Σεβαστὸς πάντα ἐχειρώσατο ἐντελῶς καὶ ἐν παραβολῇ τῆς ἀπραξίας Ἀντωνίου, κατελογίσατο τῇ βουλῇ, τὴν Ἰταλίαν ἡμερῶσαι δυςμάχων ἐθνῶν. In hoc bello se fortem sane gnavumque gesserat ducem, praesertim in *Metuli* urbis oppugnatione, ut ex ipsius Augusti narratione retulit Appianus c. 20. Illa urbs, caput Japydum, magno periculosoque certamine capta, uberrimam ei animi strenui et ferocis laudem praebuerat, quam procul dubio ad minuendum ignaviae et timiditatis crimen in suis de Vita Commentariis studiose extulerat. In ea enim ipse dux e turri propere descendens, ἐκ τοῦ πύργου καταθορών, cunctantes suos increpans, correpto clypeo in pontem cursu se proripuit, ἐπὶ τὴν γέφυραν ἵετο δρόμῳ, sed pontis ruina ἐπλήγη μὲν τὸ σκέλος τὸ δεξιὸν καὶ τοὺς βραχίονας ἄμφω. In praedicando hoc fortiter facto omnes alii consentiunt scriptores, quos collegit Fabricius ad Dion. Cass. Libr. XLIX. c. 35. N. 156. et 157. Stz. Et Plinius N. H. Libr. VII. c. 45. in rebus Augusti adversis recenset Pannonicis bellis ruinam e turri. Livius Libr. 131., cujus libri jacturam vehementer deploremus necesse est, memoriae tradiderat, Japydas et Dalmatas et Pannonios a Caesare Augusto subactos fuisse. Quantum debuerit M. Agrippae, suo in hoc bello comiti, plane ignoratur, quandoquidem plerique scriptores ipsum Augustum, paulo cupidiorem rerum a se gestarum auctorem, secuti sunt.

Prospera belli Illyrici administratio dici non potest quanta Augusto attulerit gloriae ac potestatis incrementa, et quam commoda fuerit populi ad nova arma civilia, quae gliscentibus cum M. Antonio discordiis serius ocius eruptura essent, animorum παρασκευή et militum uni duci Augusto confidentium προπαιδευτική. Non vacat quaerere, silentibus praesertim expressis veterum scriptorum testimoniis, quomodo quave arte Augustus in Libris de Vita sua annorum, qui ante pugnam Actiacam elapsi fuerant, decursum stylo persecutus sit resque a se publice gestas enarraverit. Id tamen veri simile est et suadet illius operis consilium, Augustum in eo illud potissimum spectasse, ut, se suisque in civitatem meritis splendide elatis, M. Antonii laudes obtrectaret, eum majorem in contemptum adduceret eique gravius apud populum odium famosa Cleopatrae consuetudine ac veluti sponsalibus, quae imperio Romano interitum minitarentur, quibuscumque posset criminibus conflaret.

Neque dubium est quin in exponenda pugna ad Actium et victoria, qua vitae suae triumvirali quasi colophonem addidit, ambitiosior laudisque suae cupidior rerum enarrator fuerit. Huc pertinet, quod habet

XVI. Servius ad Virgil. Aen. Libr. VIII. v. 696.: „Et Augustus in Commemoratione Vitae suae refert: Antonium jussisse, ut legiones suae apud Cleopatram excubarent ejusque nutu et jussu parerent.“

Hic locus non in omnibus Servii Codicibus comparet neque a quo et unde sit appictus,

constat. Adjectus est ad illustranda Virgilii vv.: „*Regina in mediis patrio vocat agmina sistro.*“ Novum enim istud bellum imminuendae invidiae caussa non tam Antonio, quam Cleopatrae, reginae barbarae, plurimorum Romanorum assensu indictum est. Hocce modo Augustus non sua ipsius quam imperii tuendi caussa denuo ad arma capienda descendere putabatur. Turpe autem et Antonio ignominiosum erat, quod a duce Romano legiones Romanae jussae fuerant cum contaminato grege turpium morbo virorum excubare apud Cleopatram reginam, eique dicto audientes esse! Quantum odii inde redundare in Antonium debuerit, in aprico est. Caeterum procul dubio legimus h. l. ipsissima Augusti verba, quae antiquitatis colorem referunt; is avunculi majoris consuetudinem aemulatus (vid. Libr. IV. §. 2. N. 8.) hanc etiam Dativi formam promiscue usurpasse censetur a Reisigio Praelect. de L. L. §. 71. p. 101.

Inter rerum Romanarum scriptores, qui supersunt, praeter pauca ista, quae de sinus Ambracii situ et ambitu Strabo Libr. VII. c. 7. §. 6. habet, de ipsa pugna fusius egerunt Plutarchus Ant. c. 66 sqq. et Dio Cass. Libr. L. c. 32 sqq. Uterque, inprimis Plutarchus, quin hac in re etiam Commentarios Augusti de Vita sua consuluerit, nemini cuiquam facile dubium esse potest; sed quid quantumque quisque illi operi debeat acceptumque ferat, sine certo testis indicio ad divinandum difficile est neque inde quidquam proficias ad tollendum dissensum, quo alii auctores ejusdem rei discrepant. Ita mihi paene certum est, Augusti Commentariis convenienter scripsisse et illius menti et consilio propius narrasse

XVII. Vellejum Paterc. Libr. II. c. 85. §. 2. Kr.: „Dextrum navium Julianarum cornu M. Lurio commissum, laevum Arruntio, Agrippae omne classici certaminis arbitrium; Caesar ei parti destinatus, in quam a fortuna vocaretur, ubique aderat.“

Nemo praestiterit hujus narrationis fidem diversam a Plutarch. Ant. c. 65. Probabilius autem est, illam profectam esse ab Augusto: quippe universi certaminis regimen dignius visum est persona et majestate Principis, qui res suas ambitiose exornatas aequalium posterorumque memoriae traditurus esset. Quam parum autem hoc in opere tribuerit Augustus veritati et fidei historicae, cum alias jam vidimus, tum luculentum vanitatis documentum exhibet.

XVIII. Plutarchus Ant. c. 68.: „*Ἐν Ἀκτίῳ δὲ πολὺν ὁ στόλος ἀντισχὼν Καίσαρι χρόνον, καὶ μέγιστον βλαβεὶς ὑπὸ τοῦ κλύδωνος ὑψηλοῦ κατὰ πρῶραν ἱσταμένου, μόλις ὥρας δεκάτης ἀπεῖπε. Καὶ νεκροὶ μὲν οὐ πλείους ἐγένοντο πεντακισχιλίων, ἑάλωσαν δὲ τριακόσιαι νῆες, ὡς αὐτὸς ἀνέγραψε Καῖσαρ.*“

Haec Plutarchus sine ulla dubitatione hausit ex Commentariis Augusti. Incertus est numerus. Quis pro certo affirmet, quinque millia militum Antonianorum cecidisse? Veri simile est, hunc caesorum hostium numerum ab Augusto victore minime imminutum referri! Idem vero ibidem narraverat, trecentas naves in ipso certamine captas ad se rediisse: quem numerum merito suspectes et improbabilem dicas. Videlicet tot navibus hostium captis, aut victoria magis opima et splendidior facta oratione depingebatur aut talia non sunt ad vivum resecanda. Quae enim numero rotundo indefinite poni poterant, ea non exigenda esse planum est ad historicam *ἀκρίβειαν*, quam omnino Augustus in hac vitae suae rerumque gestarum *ἀπολογίᾳ* parum curasse existimandus est.

§. 10.

Praeterea unus, quod sciam, et primus Fabricius ad eosdem Augusti Libros de Vita sua referendos esse statuit trium Medicorum Romanorum testimonia, qui certas quasdam medicamentorum formulas ex ejusdem Principis verbis et praeceptis composuisse dicuntur, atque eos, inverso temporis et aetatis ordine, profert Plinium Valerianum, Scribonium Largum et Apulejum. Is, quem postremo loco nominat, putatur esse Apulejus Celsus Centuripinus Siculus, quem suum praeceptorem vocat Scribonius Largus c. 43. p. 94. ed. Rhodius Patav. 1655. 4. ita ut eum sub Augusto et Tiberio floruisse colligas. Vulgo tribuitur ei Liber de herbis sive de nominibus et

virtutibus herbarum ibique c. 128. de herba Basilica simpliciter adnotat, ea usum esse Imperatorem Augustum. At iste Liber suppositicius est mediique aevi fetus censetur: vid. Fabricius in B. L. Libr. III. c. 2. Tom. III. p. 42 sq. et Sprengel Hist. Med. Tom. II. p. 71 sq. Porro ab eodem Fabricio testis producitur Apuleji Celsi discipulus, Scribonius Largus, Designatianus, qui Imperatoris Claudii medicus ejusque in Britanniam comes a. U. C. 796. s. 43. p. Chr. fuerat. Ille inclaruit Libro de medicamentorum compositione (vid. Sprengel Hist. Med. T. II. p. 47.), ibique c. 4. p. 31. et c. 41. p. 97. ad Augusti exemplum provocat neque tamen ejus opus, unde sua sumpserit, nominatim allegat. Quapropter nolui huc transscribere Apuleji Celsi et Scribonii Largi testimonia, licet nemo inficias eat, ab utroque Medico per aetatem τὰ ὑπομνήματα Augusti legi ac consuli potuisse. Id majore jure dubites de Plinio Valeriano, quem Comensem ante Constantini Magni tempora vixisse et ex Plinii Naturali Historia maximam partem sua compilasse perhibent: vid. Fabricius in B. L. Libr. II. c. 13. T. II. p. 247. Ern. Nam attribuitur ei opus Librorum V. de re medica, ex cujus Libr. I. c. 18. haec excerpta dedit Fabricius:

„Ad caligines oculorum et ad vitia vetustissima, et ad scabritudines et obscuritatem, et ad eos qui jam prope nihil vident, et quibus medicamentorum praesidia nulla inveniri possunt. Hoc remedium expertum usitabis, et efficies ut videant clarissime, sine omni vetusto vitio. Piperis albi denarios duos, croci duos, balsami duos, fellis vituli seu vulturis sive pulli pugnacis duos, mellis Attici uncias duas, vini veteris boni cyathos tres, succi foeniculi unum, et ita compones. Piper et crocum teres diligentissime, ut bene leve sit, deinde vinum admiscebis et succum foeniculi per partes dimidias, et quicquid superaverit iterum fundes: quum ita feceris, iterum teres bene, deinde si quid vini aut succi superaverit, adjicies et teres diutissime, quumque totum medicamentum tritum et levigatum fuerit, ut collyrium, oportet transponi illud in pyxide Cyprina, et repositum servabis. Quumque volueris uti, ex eo unges et invenies esse potentissimum remedium, quo multi luminibus de obscuritate restituti sunt. Haec compositio ex Commentariis Caesaris Augusti descripta est, qua et libentissime utebatur et omnibus illam laudabat. Si cui autem acrior esse videatur, collyrium lene admisceat, et non nocebit."

Plinius Valerianus igitur Augusti Commentarios expresse nominat, unde hoc remedium descripserit, ideoque eum Fabricius primo loco inter tres illos Medicos videtur posuisse. Sed multa sunt, quae hocce testimonium in dubium vocent incertumque reddant. Ac primum quidem Plinius iste, non aequalis sed serae aetatis Medicus, quam sublestae fidei quamque parvae auctoritatis sit testis, nemo non intelligit. Deinde apud nullum, quod sciam, scriptorem traditum legimus, Augustum umquam ex oculis laborasse, ita ut huic morbo praecipuam ab eo curam impensam esse veri simile sit. Denique satis quidem constat, Augustum a teneris infirmum et valetudinarium, in curanda valetudine, quam, ut vidimus, saepe graviter affectam expertus est, nimis diligentem et cautum vixisse, ut tradit Suetonius c. 81. et 82.; sed haec malim de senili ejus aetate intelligi, quam de ea vitae parte, quam in illis Libris de Vita sua complexus est. In his credibile est eum singulos morbos, quibus frequenter succumberet, speciatim non commemorasse, nisi qui impedimento fuissent, ne cuncta et Triumviri et Principis munia ipse praesens obire posset. Neque etiam, si vera conjecimus §. 2., illius operis consilium exigebat, ut ejusmodi res, quae ad privatam domesticamve vitam pertinerent, tum putide tamque minutatim exponerentur. Talis autem in enumerandis medicamentis accuratio minus habet offensionis in Epistolis familiaribus, quas ob oculos habuisse videtur Plinius Nat. Hist. Libr. XXI. c. 3. §. 6. cf. supra Libr. IV. §. 1. N. 1.

Quae cum ita sint, vehementer dubito, num quis sibi persuaderi patiatur, istam oculis medendi formulam a Plinio Valeriano Medico in Commentariis Caesaris Augusti inventam et ex iis descriptam esse. Etsi igitur de mala hujus testimonii fide et νοθείᾳ mihi persuasissimum est, id tamen a Fabricio receptum nolui omittere, ne quid diligentiae Fabricianae in meo libro desideraretur.

EXCURSUS I.

IN QUO

QUAERITUR, MAECENAS ET AGRIPPA NUM QUID DE SUIS AUGUSTIQUE

TEMPORIBUS SCRIPSERINT.

Suspicati sumus supra §. 2., ab Augusto tredecim illos de Vita sua Libros inscriptos fuisse Maecenati et Agrippae, quo majorem rebus a se narratis fidem faceret, easque amici utriusque *αὐτοψίᾳ* quasi confirmaret. Jam communis fere omnium est opinio, utrumque etiam aliquid de suis temporibus rebusque Augusti composuisse scriptumque ad posteritatem transmisisse. Verum enim vero res perobscura est et admodum controversa, quamvis recentiores quidam ab utroque Commentarios de Augusto exaratos et a Plinio et Dione Cassio consultos esse opinentur.

Ac primum quidem Maecenati Historiam Caesaris Augusti adscribit G. J. Vossius de Hist. Lat. Libr. I. c. 20. innixus potissimum loco Horatii Libr. II. od. 12. v. 9. sqq.:

Tuque pedestribus
Dices historiis praelia Caesaris,
Maecenas, melius ductaque per vias
Regum colla minacium.

Nam Servius ad Virgil. Georg. II. v. 42. seu quisquis illius panni est auctor, non satis planum est, num probaturus, Maecenatem litterarum peritum etiam plura carmina composuisse, hunc Flacci locum eo consilio adhibuerit, ut historicum solutae orationis opus intellectum voluerit. Certe Servii testimonium impeditius est idque obscurius, quam ut de illius operis nomine, argumento et ambitu certi quid vel divinando definiri queat: id quod confessi sunt praeter Vossium Meibomius de Maecen. c. 25. §. 12. et Frandsenius in Maecen. p. 168.

Neque multum lucis lucramur ex Horatiano loco, in quo mihi videor deprehendere verborum quamdam *ἀμφιβολίαν* studiose quaesitam. Bene quidem Orellius ad h. l. monet, Horatium inter scriptores Latinos, qui quidem supersunt, primum dixisse *pedestres historias* ad Graecorum similitudinem, *πεζὸν λόγον*: vid. Vigerus de Idiot. III. 6. 10., ubi jam Hoogeveenus p. 106. ed. H. apte laudavit Platon. Sophist. p. 237. A. c. 24. p. 130. St.: *Παρμενίδης δὲ ὁ μέγας — παισὶν ἡμῖν οὖσιν ἀρχόμενός τε καὶ διὰ τέλους τοῦτο ἀπεμαρτύρατο, πεζῇ τε ὧδε ἑκάστοτε λέγων καὶ μετὰ μέτρων.* Notissimum est, Parmenidem orationis solutae scriptis pariter ac versibus philosophatum esse. Similiter Plato a Quintiliano Inst. Or. Libr. X. c. I. §. 81. dicitur *multum supra prosam orationem, et quam pedestrem Graeci vocant, surgere.* Inde apparet, orationem pedestrem surgere supra prosae orationis simplicitatem. Translatione enim sumpta a socco et cothurno *λόγος πεζὸς* est sermo, cui, licet metro vinctus et pede certo differat a sermone quotidiano, nec acer spiritus nec vis inest, ut cum Poeta Venusino loquar. Hinc idem Satiras suas appellat *Musam pedestrem* Libr. II. Sat. 6. v. 18. ibiq. Heindorf. Deinde *sermone pedestri dolere* A. P. v. 95. est simplici, submisso dicendi genere sine ulla sublimitate dolere, non excluso tamen metro, cui sermo illigatus sit. At cum h. l. *pedestres historiae* manifesto opponantur argumentis carminum heroicorum, quae praecedentibus significantur, cogitabis de nuda prosae orationis simplicitate et intelliges historias *δίχα μέτρου καὶ καταλογάδην αὐτῷ γεγραμμένας*: vid. Hesychius s. h. v. et quae disseruit Santenius ad Terentian. Maur. v. 1633. p. 171 sq. L. Nihilo tamen secius de historiis usurpavit v. *dicere* pro *scribere, describere,* quod proprie de carminibus gravioris plerumque argumenti frequentatur, ut poeta ipse statim v. 14. et Libr. II. ep. I. v. 252. Jam licet idem verbum de soluta quoque oratione adhibeatur ab aliis, v. c. a Livio Libr. V. c. 29.: *„Majora jam hinc bella dicentur"*, et a Pomp. Mela Prooem. §. 1. (vid. ibi Tzschucke Vol. III. 1. p. 3.); tamen Horatius h. l. de Maecenatis opere historico v. *dicere* videtur *εἰρωνικῶς* posuisse, tecte simul risurus patroni sui genus scribendi et stilum. Ille

enim quantulascumque ingenii sui vires consuevit in brevioribus lusibus et nugis poeticis consumere, quam grandius quoddam historicum aggredi opus idque summa cum cura expolire. Id tantum ex Horatii verbis planum fit atque evidens, Maecenatem eo, quo poeta hanc Odam composuerit, tempore agitasse animo consilium scribendi res Augusti gestas ac triumphos.[1]) Hanc autem Odam scriptam esse a. U. C. 725. suspicatus sum in Poet. Lat. Rel. p. 462 sqq., cui conjecturae Car. Frankium in Fast. Hor. p. 182. calculum suum adjecisse laetor. Neque profecto mihi videtur improbabile, Maecenati post triplicem Augusti triumphum in fine bellorum civilium exsultanti et de pace praesente temporumque felicitate sibi ac civitati congratulanti in mentem venire potuisse, historiam rerum ab Augusto gestarum prosa oratione componere. Illud consilium, sive sponte ac subito natum sive injunctum sibi a Principe,[2]) dubitari non potest quin Poetae innotuerit haud dubie a patrono secum familiariter communicatum: alioquin incommoda prorsus adeoque insulsa fuisset ἀποστροφή: Tu, Maecenas, prosa oratione triumphos Augusti melius describes, sc. quam ego versibus, utqui ludendis amoribus magis idoneus sim, uti sequentibus innuit. Apprime hoc convenit simulatae Horatii modestiae et arti, qua ut alias negotium celebrandi Augusti detrectare solet. Suaviter autem Poeta blanditur patrono suo, lepide auguratus, melius ab eo prosa oratione descriptum iri Augusti res quam a se versibus. Neque tamen his indicat Maecenatem posse, dummodo velit, praeclare historico stilo illud exsequi: non spectatur hic ejus facultas neque poetica neque historica, sed unice voluntas captumque consilium, quod probe sciebat Poeta quam alienum esset ab ejus ingenio et studiis. Neque enim is erat Maecenas, qui, quale illud futurum esset opus vastum ac salebrosum abundante quidem otio aggrederetur et justa cum cura absolveret. Denique Poeta nulli religioni sibi duxit evulgare illud patroni consilium, aeque minus subveritus ejus stomachum et indignationem atque Asinii Pollionis, cujus simile ferme propositum publicaverat Libr. II. Od. I. omniumque attentionem splendidius excitaverat. Ac si quid Maecenatem offensurum fuisset, id omne Terentiae mentione et venusta descriptione abunde redemisset.

Quae cum ita sint, ex Horatii loco nihil aliud discimus, nisi Maecenati aliquando propositum fuisse eumque, subridente Poeta, volvisse animo consilium, res ab Augusto in bellis praeclare gestas historice stilo persequendi. Neque tamen inde sequitur, ut putemus, eum tale opus vere contexuisse et ad umbilicum perduxisse. Nemo etiam veterum Scriptorum et Grammaticorum ejusmodi opus Maecenatis historicum affert, et pauca illa fragmenta, quae vulgo huc referuntur, ita sunt comparata, ut huic opinioni adversentur potius, quam faveant. Sic G. J. Vossius inde sumpta esse putat, quae relata legimus apud Plinium N. H. Libr. IX. c. 8. §. 24.: *„Divo Augusto principe Lucrinum lacum invectus, pauperis cujusdam puerum, ex Bajano Puteolos in ludum literarium itantem, cum meridiano immorans appellatum eum Simonis nomine, saepius fragmentis panis, quem ob id ferebat, allexisset, miro amore dilexit. Pigeret referre, ni res Maecenatis et Fabiani et Flavii Alfii multorumque esset literis mandata.“* Eamdem de hoc Delphino rem, fonte unde hauserint non nominato, narrant Gellius N. A. Libr. VII. c. 10. et Solinus c. 18. Meibomius c. 25. §. 14 inde colligit, Maecenatem scripsisse *de Animalibus:* cui conjecturae perinde nullam fidem adjungendam esse puto, ac G. J. Vossio adstipulandum aliisque opinantibus (v. c. Krausio p. 43. N. 3. et Wilmansio p. 20.), eam rem depromptam esse ex Maecenatis Historia de Augusti gestis. Non enim exputo, quo tandem pacto haec de Delphino res, quae nihil ad Augustum pertinebat, nisi quod sub principatu ejus acciderat, locum in illa Historia idoneum potuerit invenire. Huic narratiunculae lectu jucundae maluerim locum dari in ejus *Dialogis*, quorum secundum affert Charisius Libr. I. p. 119. P. p. 14. L. Paulo certius testimonium, quo probetur, Maecenatem aliquid de vita rebusque Augusti scriptum reliquisse, reperitur apud Plinium H. N. Libr. VII. c. 45. §. 148., quem locum jam supra §. 6. attigi. Ibi inter adversos casus vitae, quibus Augusti felicitas interpellata fuerit, referuntur etiam priore *„Philippensi praelio morbus, fuga, et triduo in palude aegroti et (ut fatentur Agrippa et Maecenas) aqua subter cutem fusa turgidi latebra.“* Cf. Salmasius ad Solinum c. I. p. 17. Hunc Plinii locum inter locupletissimos operis Maecenatiani de Augusto testes ponit Meibomius c. 25. §. 13., itemque Sylv. Lürsenius de Templ. et Biblioth. Apoll. Palat. p. 141., vanissime opinatus, repositum illud opus videri fuisse in Bibliotheca Palatina, ut quae optimis quibusque poesis et historiae monumentis referta fuerit. Verum tamen, etsi ego non sum ignarus, Maecenatem multa et varia exarasse opuscula, tamen qui vitae mollitie moribusque discinctis diffueret, suo ingenio otioque ita usus esse videtur, ut ligata aeque ac soluta scriptione animi causa non nisi modica luderet, studiorumque deliciis vacaret ac, quae suo in genere

---

1) Equidem prorsus facio cum Car. Passovio de Vit. Horat. p. XLV., qui de Maecenatis ingenio et scriptis subtiliter et recte judicat et N. 180. ita de eo scribit: *„Dagegen scheint es nicht zweifelhaft zu sein, dass er den Gedanken fasste, eine Römische Geschichte, oder wenigstens eine Geschichte der Zeit des Augustus zu entwerfen.* Horaz Od. II. 12, 9—12. Cf. Plinius H. N. VII. 45.“

2) Non est incredibile neque a vero abhorret, ipsum Augustum, quae esset ejus ambitio gloriaeque cupiditas, priusquam ipse ad *τὰ ὑπομνήματα* componenda se accingeret, Maecenati amico auctorem suasoremque exstitisse, ut de suis temporibus rebusque gestis scriberet. Non disconvenit hoc chronologiae et veteri inter utrumque amicitiae. Neque illi in hac historia magnopere curandum fuit, ut verax fidusque compareret rerum enarrator nec nisi vera memoriae traderentur. Qui autem ab eo Vitam Augusti scriptam esse cogitant, in magno versantur errore; v. Eberhardus *Ueber d. Zust. d. sch. Wissensch. b. d. R.* §. 40. ibique Kordes p. 230.

singularia essent et memorabilia, curiose consectaretur; contra quaevis majoris molis ac sudoris opera fugeret. Qua de caussa numquam adduci potero, ut ab eo Historiam de Augusto ejusque rebus compositam absolutamque esse credam. Neque tamen est quod, quae Plinius de Augusti hydropisi memorat, ideo in dubium vocemus. Ista in palude latebra neque per se improbabilis est neque inaudita carensque exemplis clarorum ducum, ut Harduinus ad h. l. docuit. Eamdem veri similem reddit Appianus, qui paludis magnae et Philippis ad mare versus subjectae aliarumque in castrorum vicinia paludum mentionem facit B. C. Libr. IV. c. 105—109. At Maecenatis de hoc Augusti morbo testimonium a Plinio inventum esse cum Orellio suspicor potius in aliqua Epistolarum ejus quam in singulari Historia sive Vita Augusti, quas numquam ab eo scriptas esse arbitror.

Idem Plinius de morbo Augusti hydropico profert sine fontis, quem consuluerit, indicio testimonium M. Agrippae, quem et ipsum de Vita illius Principis singulari libello egisse dicunt: cf. Frandsenius in Agrippa p. 201. At is non tam de Augusti, quam de sua Vita Libros aliquot evulgasse fertur: quo nomine inter Historicos Latinos locum accepit a G. J. Vossio Libr. I. c. 18. Nam Philargyrius ad Virgil. Georg. II. v. 163. de portu Julio scripsit: *„Agrippa in secundo Vitae suae dicit excogitasse se, ut ex Lucrino lacu portum faceret. Verum hujus gloria Augusto cessit.“* In quo loco facile agnoscas ipsa Agrippae verba, si cum Wilmansio p. 20. statueris, Latina verba Graece reddita esse a Dione Cass. Libr. XLVIII. c. 19.: *ἔργον μεγαλοπρεπὲς καὶ ἐξενόησε καὶ ἐξεποίησεν ὁ Ἀγρίππας.* Idem Vir Doctus suspicatur, omnia, quae Dio Cassius ibidem c. 20. 28. et 49. de illo portu retulerit, ex eisdem Agrippae Libris sumpta esse. Eiusdem quoque fontis rivulos ap. Servium ad Virgil. Aen. VIII. v. 682. inveniri opinatur Frandsenius in Agripp. p. 124. cl. p. 200. Neutrum habeo quo negem nec quo affirmem reperio. Praestiterit autem huc referri locum Plinii N. H. Libr. XXXVI. c. 15. §. 122., quam singularem librum intelligere, in quo Agrippa aedilitatem suam commemoraverit ac descripserit. In eodem autem opere lectum esse, quod Plinius Agrippae testimonio confirmaverit, veri est simillimum.

Haec fere sunt, quae ad Agrippae Libros de Vita sua referenda esse puto. Ejus operis titulus qualicumque unius Philargyrii auctoritate nititur neque ejus mentionem ullus alius rerum Romanarum scriptor facit. Sed tamen licet acquiescamus in Philargyrii testimonio, quod nemini non, qui attenderit, mirum videatur necesse est. Ecquid umquam Agrippae peritia rerum navalium ejusque celebrata in lacum Lucrinum merita a quoquam sunt in controversiam deducta, eam laudem ut ipse sibi vindicare et quidquam de se rebusque gestis posteritatis memoriae commendare debuerit? Quid multa? Agrippa fortasse ad scribendum inductus est *τοῖς ὑπομνήμασιν* Augusti, in quibus, ut supra passim notavimus, socia ipsius opera parcius laudata ejusque merita malignius commemorata fuissent. Neque enim sine caussa a Philargyrio adjectum esse opinor: *„verum hujus gloria Augusto cessit“*. Quae conjectura si quam habet veritatis speciem, sequitur, ut Agrippam de Vita sua Augusto serius scripsisse statuamus. Certe improbabilis est Frandsenii opinio in Agripp. p. 120. cl. 125. credentis, Augusti *ὑπομνήματα*, mortuo demum Agrippa, exarata et evulgata fuisse. Suspicionis meae qualiscumque vis nequaquam imminuitur artissimae familiaritatis necessitudine, qua utrumque a teneris conjunctum fuisse vulgo praedicant. Ex quo enim Augustus rerum potitus esset tempore, hanc familiaritatem offensis quibusdam intervenientibus dubiam fieri coepisse et frigescere, notum est ex Sueton. Oct. c. 66. Videsis Frandsenii Agrippam p. 35. sqq.

EXCURSUS II.

DE

CAESARIS AUGUSTI

AMORIBUS ET MATRIMONIIS.

Mihi summatim hic exposituro de Augusti amoribus et matrimoniis, quorum electione et usu crebraque mutatione neque vitae suae saluti neque famae bene consuluisse existimandus est, non lubet cum cura dicere de multis variisque dedecoribus, quorum infamiam primá adolescentia subiisse dicitur. Quae si quis antiquitatem utramvis noverit, mirationem ei nullam faciet, neque ejusmodi contumeliis, quibus optimorum quorumque et maximorum virorum adolescentiam et famam dehonestarunt, multum tribuet. Sic famam Julii Caesaris, ut hoc utar, gravi et perenni opprobrio Nicomedis contubernium laesisse traditur a Suetonio I. C. c. 46. Pariter Augustus nomine impudicitiae [1]) infamatus est a multis, auctore Suetonio c. 68., eumque adoptionem avunculi majoris stupro meruisse M. Antonius maledictis crepabat, depromptis, ut Cicero recte ait, ex recordatione impudicitiae et stuprorum suorum: vid. Philipp. III. c. 6. Nolim tamen ea in re plenam fidem haberi pudicitiae et sanctitatis laudi, quam ibidem Orator huic adolescenti impertit, nedum testimonio Nicolai Damasceni de Vita Aug. c. 15. Ac quamvis lubenter concedam Suetonio c. 71. affirmanti, nullum sive crimen sive maledictum facilius ab ipso refutatum esse, quam infamiam impudicitiae, qua adolescentiae integritas inquinata fuisset; tamen hanc laudem ad provectiorem vitam potissimum restringendam esse censeo, qua infirmi corporis cura aucta fuerit et longioris, quam exspectari poterat, vitae studium creverit, quod Princeps factus habebat sibi commendatissimum: vid. Sueton. c. 81. et c. 82. Verum gravius illud est, quod Suetonius c. 71. ingenue professus memoriae prodit: „Circa libidines haesit: postea quoque, ut ferunt, ad vitiandas virgines promptior, quae sibi undique, etiam ab uxore conquirerentur.“ Haec quo minus unice ad Augusti vitam Triumviralem ejusque sordes, quibus squalet, revocemus, obstant quodammodo sequentia, quae nos etiam de Principatu ejus cogitare jubeant. Sed tamen idem Suetonius adjectis verbis „*ut ferunt*“ candide fatetur, sequi se in his tradendis vulgi rumorum vel vanitatem vel malignitatem. Ejusmodi crimina libidinis sunt maximam, ut videtur, partem profecta a M. Antonio, homine libidinoso et adultero, uti ex Suetonio c. 69. intelligitur; sunt etiam nonnulla spurciora, quam quae omni ex parte fidem invenire queant. Gravissimum omnium vero illud est, quod Suetonius l. c. narrat: „Augustum adulteria quidem exercuisse, ne amici quidem negant; excusantes sane, non libidine, sed ratione commissa, quo facilius consilia adversariorum per cujusque mulieres exquireret.“ [2]) Referas huc quod supra Lib. I. §. 10. N. V. de Athenodoro narratum est. Verum tamen haec quoque propudia videntur potissimum ab Augusto Triumviro commissa esse. Neque eum immunem ab hoc scelere tutumque praestat disciplinae severitas, qua in alios adulteros animadvertisse fertur, uti Proculum ex acceptissimis libertis mori coegit compertum adulterare matronas, teste Suetonio c. 67. Similiter Julius Caesar libertum gratissimum ob adulteratam Equitis Romani uxorem, quamvis nullo querente, capitali affecit poena, ut idem Suetonius I. C. c. 48. narrat.

---

1) Nomen *impudicitiae* h. l. speciatim usurpatur de flagitioso contra naturam stupro marium, cui opponitur *libido*, quae de feminarum consuetudine, cui quis nefarie indulget, *κατ' ἐξοχὴν* dicitur: vid. Intpp. ad Sueton. I. C. c. 46. Aug. c. 68. et ad Sallust. Cat. c. 12. Ceterum, qui de his Augusti dedecoribus vitae a Suetonio proferuntur testes, eos haud immerito suspectos habet Krausius de Font. Suet. p. 38.

2) BCrusius ad h. l. Suetonii pulchre admonuit: „illam rationem fuisse scelestiorem ipsa libidine, quam excusarent amici, sed Augustum utique fuisse eum, qui ne peccare quidem sine arte et dolo posset.“ Propudiosam hanc Venerem alienam videri ab Augusto et sine dubio contumeliosis inimicorum sermonibus si non confictam, certe auctam esse magis credunt, quam demonstrant Drumannus in Hist. Rom. Vol. IV. p. 296. et inprimis Hoeckius in Hist. R. P. I. p. 420. N. 6.

Sed his missis hic animum nostrum inprimis advertunt matrimonia, quae difficile est ad decernendum contraxeritne levius, an dimiserit citius inhonestiusque tenuerit. In universum Augustus primis vitae publicae annis negotiorum gravitate districtus non videtur rei maritali multum operae dare voluisse. Quare vix opus est ut hic commemoretur *Servilia*, P. Servilii Isaurici, Cos. a. U. 706., filia, quam ab Julio Caesare ex Hispania reverso ei desponsam videri a. U. C. 709. (s. 45. a. Chr.) dixi Libr. I. §. 6. Eam autem per sollemne nuptiarum ad se numquam deduxit, ut discimus ex Suetonio c. 62. Nam quo firmius cum M. Antonio post primam discordiam, inito Triumviratu, copularetur, Augusto nuptum data est *Clodia* seu *Claudia*, M. Antonii privigna et Fulviae ex P. Clodio, Ciceronis inimico, filia. Facta est ea affinitas expostulantibus utriusque Triumviri militibus, ut produnt Vellejus Paterc. Libr. II. c. 65. §. 2. et Sueton. c. 62. cl. Plutarch. Anton. c. 20. Veri similius Dio Cass. Libr. XLVI. c. 56., quem Zonaras Libr. X. c. 16. descripsit, nescio quo auctore addit, illud matrimonium, impellente M. Antonio, non detrectatum esse ab Augusto, quamvis aliam jam sibi despondisset i. e. Serviliam, cum arbitraretur, eam affinitatem non majori impedimento sibi futuram esse, quo minus praeconcepta animo consilia contra Antonium exsequeretur, quam Julio Caesari obstitisset similis cum Pompejo M. necessitudo. Augustus igitur, teste Suetonio c. 62., *Claudiam* duxit uxorem vixdum nubilem i. e. vix maturam viro. [3]) Quod quam verum sit, liquidum fit ex eis, quae disserui *de Cassio Parmens.* Excurs. V. p. 341. Poterat enim illa Claudia, quam natam esse a. U. C. 701. ponamus licet, tum sub finem anni U. C. 711. (s. 43. a. Chr.) nondum undecimum annum aetatis egressa esse. Itaque pacta tantum illa et sponsa videtur fuisse Augusto, qui fortasse eam, finito cum Bruto et Cassio bello, se in matrimonium ducturum esse promiserat. Ut ut est, nullae umquam nuptiae memorantur. Nam exorta a. U. C. 713. init. simultate cum Fulvia socru propter agrorum divisionem, Augustus Claudiam dimisit intactam adhuc et virginem, ut Suetonius ait. Praeterea Dio Cass. Libr. XLVIII. c. 5. adnotavit, sponsum sacramento affirmasse, se eam illibatam secum habuisse, nihilque eum curasse, fidesne sibi haberetur, an vero existimaretur id diu ante secum statuisse. Quae si vera sunt, intelligitur, quam invitus oblatam sibi hanc conditionem acceperit quantaque cum levitate et contemptione eam simulato quasi matrimonio dimiserit.

Nondum sepultis, uti jam Libr. V. §. 10. admonui, belli Perusini discordiis, quum Augustus suspicatus esset, Sext. Pompejum cum M. Antonio per Juliam, hujus matrem, legatosque agere eique ambitiose favere, conjunctas utriusque vires extimescens, apud animum suum constituit, justum legitimumque inire matrimonium, quo alterum ab altero sejuncturus Sext. Pompejum cum missa ei Mucia matre, tum maxime affinitate aliqua conjunctiorem sibi redderet amicum et viam pararet pacis si vellet cum eo faciundae. Propterea per aestatem a. U. C. 714. (s. 40. a. Chr.) Maecenati, ut Appianus B. C. Libr. V. c. 53. narrat, per litteras mandavit, ut cum Scribonia de nuptiis earumque conditionibus transigeret. Illa Scribonia fuit soror (ἀδελφή) L. Scribonii Libonis, cujus filiam Sext. Pompejus in matrimonio habebat. [4]) Qui Scriboniae frater nominatur ab Appiano, L. Scribonius Libo re cognita perhibetur suis auctor suasorque exstitisse, ut Scribonia soror sine cunctatione Augusto nuberet. Is tum natus erat circiter annos XXIII. nec cuiquam rebus temporibusque perpensis dubium esse potest, quin Scribonia eum aliquot annis antecesserit et grandior fuerit. Nam illa jam nupta fuerat, ut Suetonius ait, duobus Consularibus, quorum prior quis fuerit, nusquam traditum legimus ideoque difficillimum est expiscatu, mortuusne ille fuerit an cum ea divortium fecerit. Multa hariolantur Suetonii Intpp., quorum opinationes hic excutere non est operae pretium. Mihi posterior fuisse videtur P. Cornelius Scipio quidam, ex quo etiam filii ac filiae mater facta est. Filium ejus fuisse putant P. Cornelium Scipionem, quem Fasti Consulares fuisse indicant Consulem cum L. Domitio Ahenobarbo a. U. C. 738. Varr. (s. 16. a. Chr.); filia ejus fuit Cornelia illa, quam praematura morte defunctam esse novimus auctore Propertio, qui ejus nomine et suscepta mortuae persona praeclaram Libr. IV. Elegiam 11. composuit ejusque conjugi inscripsit. [5]) Quo tempore Augustus Scriboniam in matrimonium expetiit, ea videtur fuisse illius Scipionis vidua: [6]) anno postquam eam uxorem duxerat, ei nata est Julia filia a. U. C. 715. Nihilo tamen secius illam

---

3) Veteres Romani pubertatem utriusque sexus terminatam esse voluerunt non solum vitae annis, sed etiam habitu corporis, praesertim in masculis. Puer, qui jam generare poterat, puber erat. Antiquitatis vestigia secuti ICti jam inde ab Augusti tempore constituerunt, ut masculi, completo aetatis anno XIV., puberes et virgines anno expleto XII. nubiles et viripotentes censerentur. Ita per leges praefinitum est: rem diligenter expositam invenies ab Heineccio Antiq. R. Synt. Libr. I. Tit. 22. §. 1. sqq. ibid. Mühlenbr. et inprimis a Schillingio in libr.: *Lehrbuch für Instit. u. Gesch. des R. Privatr. Bd. II. p. 132* sqq.

4) De *Scriboniae* parentibus, cognatis et natalibus nihil certi constat: nam stemma Scriboniorum perquam obscurum est, ut fatetur Lipsius Excurs. E. ad Taciti Ann. libr. II. c. 27. Conf. quos ibidem Ruperti congessit Vol. I. p. 177. et Perizon. de Num. consul. in Dissertat. VII. Syll. p. 558. Lugdun. Bat. 1740. et meas Lectt. Venus. p. 85. sq. De L. Scribonio Libone, Sext. Pompeji socero, quem diversum esse putant, vid. Drumannus Hist. Rom. Vol. IV. p. 591. not. 60.

5) Hanc Elegiam Propertii omnium novissimam esse statuit Hertzberg. Quaest. Prop. libr. I. c. 5. p. 30. et libr. III. c. 3. p. 228. Haec Cornelia nupta fuit L. Aemilio Paulo, Consulari et Censorio, cujus historiam post Perizonium l. c. p. 553. sqq. diligenter exposuit Drumannus in Hist. Rom. Vol. I. p. 10 sq.

6) Scriboniam dixi tum fuisse viduam Scipionis, quem mortuum esse suspicor mera, fateor, ductus conjectura, sed veri simillima. Dicitur ante Augustum duobus consularibus

non multo post facto divortio dimisit pertaesus morum perversitatem ejus, ut ipse scriptum reliquit: vid. Libr. V. §. 8. Verum enim vero persecuti historiae vestigia quamvis tenuia admodum probabili conjectura statuere possumus, Scriboniam fuisse mulierem ut majoribus claram ita honestam moribus, excelso praeditam animo et bonam matrem familias. Nam ut ne memorem duo matrimonia, quae cum viris Consularibus deinceps inita peregerat, vitae ejus laudem et virtutem luculenter docet ejus filia, Cornelia illa, quam Propertius suo Epicedio immortalitati tradidit.[7]) Mirifice autem sese nobis commendat fide et constantia amoris in Juliam filiam: eam enim relegatam comitata est ac voluntaria exsilii permansit comes, ut ait Vellejus Pat. Libr. II. c. 100. §. 5. cl. Dio Cass. Libr. LV. c. 10. Qui quidem maternus amor tanto pluris faciendus est, cum Julia infans nutrita in sinu matris majores annos eosque nubiles in domo patris transegisse, sub paternis laribus impudicae et dissolutae vitae venena imbibisse et per domesticam novercae disciplinam a majorum virtute et castimonia degenerasse videatur.[8]) Nihil culpae ex posteriore Juliae vita ad Scriboniam matrem redit: imo haec quoque filia testis est satis diserta, quam diligens ac prudens illa fuerit mater in educandis liberis quamque amantissima suorum, utquae, licet ipsa despicatui habita et rejecta, ultro tamen infelicis filiae miserta maluerit cum ea vitam trahere miseram in solitudine insulae, quam in aulae principalis splendore luxuriari. Neque Scriboniae non habendum est honori et decori, quod legimus ap. Sueton. de Illustr. Grammat. c. 19.[9]), unde colligi licet, non prorsus eam literarum expertem fuisse nec sprevisse doctrinae studia.*)

---

fuisse nupta; et Maecenas velut pronubus de nuptiis transigere jussus est cum ipsa Scribonia, non cum ejus marito! Non intelligo igitur Eckhelium D. N. P. II. Vol. V. p. 128. scribentem: „At Scriboniam marito abductam duxit ipse Octavianus" etc. qui nos ablegat ad Sueton. Aug. c. 62. Quid, quod Hertzbergius in Quaest. Propr. Libr. I. c. 5. p. 30. adnotavit: „Corneliae enim matrem Scriboniam —, quam Scipioni ereptam Augustus in matrimonium duxisset" etc. Sed Suetonius, quem Eckhelius laudat, ea de re ne γρῦ quidem. Livia Neroni marito abducta est ab Augusto, sed Scribonia, Libone ejus fratre potissimum suadente, in matrimonium illi collocata.

7) Tota illa Elegia Propertii digna est, quae de hac Cornelia legatur. Cum Poeta vs. 65. Corneliam loquentem inducat: „*Vidimus et fratrem sellam geminasse curulem, Consule quo facto tempore rapta soror,*" annum fatalem Corneliae assignant VV. DD. a. U. C. 738., quo fratrem ejus P. Cornelium Scipionem Consulatu functum esse putant. Eadem Cornelia alloquitur matrem ap. Propertium v. 55.: „*Nec te, dulce caput, mater Scribonia, laesi: In me mutatum quid nisi fata velis?*" Esse autem hanc Scriboniam eamdem, quam Augustus in matrimonio habuerat, dubitare nos non sinunt ap. Propertium v. 57. sqq.: „*Maternis laudor lacrymis, Urbisque querelis, Defensa et gemitu Caesaris ossa mea. Ille sua nata dignam vixisse sororem Increpat, et lacrymas vidimus ire Deo:*" ubi obscurum esse nequit quin nata Caesaris Augusti sit Julia, quam ex Scribonia tulerat a. U. C. 715. Quidam sine idonea caussa e v. 58. colligunt, Corneliae famam aliquando commaculatam fuisse obliquis malevolisque rumoribus, ideoque vanissime cogitant de funebri Caesaris Augusti oratione: vid. Libr. III. §. 2.

8) Procul dubio Julia recens nata Scriboniam matrem ab Augusto repudiatam primo secuta et, quamdiu infans erat, ab ea videtur nutrita et educata esse, ut moris tum erat in divortiis: vid. Zimmern *Gesch. d. Römisch. Privatr.* P. II. 1. §. 143. p. 524. Ea autem cum adolevisset, videtur ab Augusto patre et Livia noverca in domesticam disciplinam recepta esse: quod quidem evenisse suspicor eo circiter tempore, quo privignos suos, Tiberium et Drusum, post patris mortem a. U. C. 721. in tutelam acceptos suis penatibus apud se alere et educare coeperit. Ita Augustus, quae erat ejus liberorum caritas, novercalem Liviae uxoris animum prudenter hoc veluti temperamento moderari, illosque iisdem praeceptis in una institutione formari voluit. At longe secus evenit: pudica et casta ad Augustum venit Julia; sed paterna domus ei exstitit pudoris expultrix et Liviae novercae disciplina fuit ei corruptrix morum castorum!

9) Suetonii verba haec sunt: „Scribonius Aphrodisius, Orbilii servus atque discipulus, mox a Scribonia, Libonis filia, quae prior Augusti uxor fuerat, redemptus et manumissus, docuit, quo Verrius tempore, cujus etiam libris *de orthographia* rescripsit, non sine insectatione studiorum morumque ejus." Quo in loco memoratu dignum est, quod a Suetonio *Scribonia* dicitur *prior Augusti uxor* et ejus uxoribus excluditur *Claudia*, cujus matrimonium ab eo simulatum modo esse supra suspicatus sum. Posteriorem uxorem significat Liviam, eamque extremam fuisse omnes consentiunt.

*) Haec Weichertus. Qui quum die XXIII. m. Julii a. MDCCCXLIV. in hoc Excursu perpoliendo occupatus hanc de Scribonia disputationem absolvisset, subito inter scribendum apoplexia correptus animam efflavit, finem vitae nactus sibi commodissimum, qualem semper exoptaverat, immaturum huic libro. Cujus Volumen prius, quod hoc ipso Excursu terminare ille constituerat, ne mutilum esset, reliquam hujus Excursus partem ex commentariis ipsius, in quibus et hic Excursus et reliqua totius operis pars adumbrata inveniebatur, subjecimus. Qua in re etsi ea diligentia versati sumus, quam postulabat pietas in defuncti manes, tamen magnopere cum lectoribus dolemus, quod non ipsi auctori per fata licuit quod exorsus erat pertexere: qui qua erat doctrina et disserendi elegantia haec omnia multo subtilius et luculentius erat pertractaturus.

Facto cum Scribonia a. d. IX. Cal. Octobr. a. U. C. 715. (39. a. Chr.) divortio (vid. Dio Cass. 48, 34.), C. Augustus *statim*, ut ait Suetonius Oct. c. 62., *Liviam Drusillam matrimonio Tiberii Neronis, et quidem praegnantem, abduxit dilexitque et probavit unice ac perseveranter.* Quo in loco voc. *statim* non premendum est, si fides est Dioni Cass. 48, 43., qui nuptias cum Livia factas initio anni U. C. 716. (38. a. Chr.) assignat, quocum consentit Vellejus Pat. II. 79. 2., qui Augustum eam duxisse scribit, antequam ad bellum cum Sexto Pompejo proficisceretur.

Jam de Livia Drusilla ita disputare placet, ut a Taciti loco de ea illustri proficiscamur, eique reliqua, quae ad eam pertinere videantur, iis tantum praetermissis, quae ad alios hujus libri locos commodius rejiciantur, commentando attexamus. [10])

Tacitus Annal. libr. V. c. I. haec narrat: „Rubellio et Fufio coss., quorum utrique Geminus cognomentum erat, Julia Augusta mortem obiit aetate extrema, nobilitatis per Claudiam familiam et adoptione Liviorum Juliorumque clarissimae. Primum ei matrimonium et liberi fuere cum Tiberio Nerone, qui bello Perusino profugus pace inter Sex. Pompejum ac triumviros pacta in Urbem rediit. Exin Caesar cupidine formae aufert marito, incertum an invitam, adeo properus, ut ne spatio quidem ad enitendum dato penatibus suis gravidam induxerit. Nullam posthac subolem edidit: sed sanguini Augusti per conjunctionem Agrippinae et Germanici annexa communes pronepotes habuit. Sanctitate domus priscum ad morem, comis ultra quam antiquis feminis probatum, mater impotens, uxor facilis, et cum artibus mariti, simulatione filii bene composita. Funus ejus modicum, testamentum diu irritum fuit. Laudata est pro rostris a C. Caesare pronepote, qui mox rerum potitus est."

Consulatus C. Rubellii et C. Fufii, quibus coss. Livia obiit, incidit in a. U. C. 782. (an. 29. post Chr.). Is annus fuit sextus decimus imperii, quod Tiberius foedissimis matris machinationibus adeptus erat. De vitae annis, quos Livia expleverit, dissentiunt scriptores. Tacitus numerum annorum non definiens ait eam mortem obisse *aetate extrema;* Plinius N. H. libr. XIV., in quo de variis vini generibus narrat, c. VI. s. 8. §. 59. scribit: „Julia Augusta LXXXII. annos vitae Pucino vino retulit acceptos, non alio usa." Contra Dio Cass. 58, 2. eam LXXXVI. annos vixisse testatur. In quo utriusque scriptoris dissensu utrius auctoritatem amplectamur, vix dubitari licet. Apertum est enim Plinii, quem jam Lipsius ad Tac. l. l. e Dione corrigendum censuit, rationem falsam esse: ex qua statuendum esset, Liviam anno U. C. 700. (54. a. Chr.) natam Tiberium filium, quem XVI. Cal. Decembr. anni U. C. 712. (42. a. Chr.) peperisse certis auctoribus traditur (cf. Suet. Tib. c. 5.), anno aetatis XII. vel XIII. enixam esse. Quam ob rem jam Eckhelius l. l. p. 146. et Drumannus Gesch. Roms Tom. II. p. 184. Dionis Cassii rationem secuti sunt, ex qua Livia anno U. C. 697. (57. a. Chr.) nata [11]) Tiberium peperit anno aetatis XVI. et Augusto tum XXV. annos nato nupsit anno aetatis XX.

Livia, quam pro certo ponamus natam esse a. U. C. 697. (57. a. Chr.), orta erat ex gente Claudia [12]); *Drusillae* [13]) cognomen (cf. Suet. Oct. c. 62., Tib. c. 4., Dio Cass. 48, 15.) habebat ex familia Drusorum gentis Liviae. Nam pater ejus ex gente Claudia adoptione transierat in gentem Liviam (cf. Suet. Tib. c. 3.): quam post adoptionem appellatus est haud dubie pleno nomine *Livius Drusus Claudianus.* A scriptoribus nunc *Drusus Livius* (Vellej. II. 71. 3.), nunc *Livius Drusus* (Dio Cass. 48, 44.), nunc *Drusus Claudianus* (Vellej. II. 75. 3. et 94. I.) appellatur. Etiam simplici *Drusi* nomine memoratur in Ciceronis Epistolis; vide Orellii Onomast. Tull. P. II. p. 359. Cuius Drusi Claudiani de patre et naturali et adoptivo nihil certi constat; vid. Drumann. l. l. p. 183. ibiq. not. 89. Quae de vita et moribus patris Liviae cognita habemus paucissima, a Drumanno l. l. p. 183. (coll. T. VI. p. 33. extr.) et in Paulyi Real-Encycl. Tom. IV. p. 1114. sq. exposita sunt. Utrum ille Livia jam nata an nondum edita adoptatus sit in gentem Liviam, frustra quaesiveris; neque verba Taciti Ann. VI, 51.: *„quamquam mater* (Tiberii) *in Liviam et mox in Juliam familiam adoptionibus transierit,"* ita accipienda sunt, ut aut Liviam jam tum natam esse, quum pater in familiam Liviam transiret, aut Liviam demum, non patrem ejus, in familiam Liviam transisse, spreto Suetonii testimonio, statuamus. Vid.

---

10) De Livia Augusta exstat dissertatio haud indiligenter scripta, quae inscripta est: „De Livia Augusta praeside Dn. Jo. Davide Koelero — disputabit Stephanus Lotz Altdorfensis a. d. XX. Septembris MDCCXV." (24. pag. 4.) — Succincte vitam Liviae descripsit Eckhelius Doct. Num. Vol. VI. p. 146. sqq.; aliquanto subtilius et uberius haud pauca de eadem nuper exposita sunt ab Hoeckio *Röm. Geschichte vom Verfall der Republik etc.* Vol. I. partic. I. et II. compluribus locis, et a Viro Docto in *Paulyi Real-Encyclopaed.* Tom. IV. p. 1115. sqq.

11) Dies natalis ejus fuit a. d. IV. Cal. Octobr., vid. Letronnii Recherches pour servir à l'histoire de l'Égypte p. 171. et Recueil des inscriptions I. 85. qui libri conferri jubentur a V. D. in *Paulyi Encycl.* Tom. IV. p. 1115.

12) Vid. Sueton. Tiber. cap. 1—3. (coll. Drumann. l. l. T. II. p. 183.). Tacitus Ann. I. 4. de Tiberio, ejus filio, scribit: Tiberium Neronem maturum annis, spectatum bello, sed vetere atque insita *Claudiae familiae* superbia. coll. libr. V. c. 1.

13) Diminutivum est (a *Drusa* ductum, quae forma nusquam reperitur), ut Livilla, Lucilla, Domitilla, Orestilla, Quadrantilla al.

Ernest. ad Tac. l. l. Quum in numero eorum esset, qui a triumviris a. U. C. 711. (43. a. Chr.) proscriberentur et cum M. Bruto a. U. C. 712. (42. a. Chr.) ad Philippos staret, ibi ne tentata quidem hostis misericordia se ipse in tabernaculo interemit, ut narrant Vellejus II. 71. 3. et Dio Cass. 48, 44.

Mater Liviae fuit Aufidia, filia Aufidii Lurconis Fundani, qui Romae honoribus functus est, cf. Suet. Calig. c. 23. coll. Tiber. c. 5. Qui num idem sit Aufidius Lurco, qui a Cic. pro Flacc. c. 4., ad Attic. 1. 16. 13., Plin. N. H. X. 20. 23. §. 45. memoratur (vid. Orell. Onomast. P. II. p. 87.), quod visum est Glandorpio Onom. p. 138., difficile est affirmare. Caeterum Liviorum familia quamquam plebeia erat, tamen admodum floruit cum honoribus tum insignibus viris, ac maxime Salinatore Drusisque, ut ait Sueton. Tib. c. 3. Quapropter Tacitus l. l. merito subjecit: *nobilitatis per Claudiam familiam et adoptione Liviorum Juliorumque* (quibus mortuo demum Augusto inserta est Livia) *clarissimae.*

Livia vix XV. annos nata a. U. C. 711. (43. a. Chr.) exeunte vel a. 712. (42. a. Chr.) ineunte nupsit *Tiberio Claudio Neroni*, patrueli suo: in illud enim tempus nuptias Liviae et Neronis incidisse ex eo colligimus, quod Tiberius, qui primo genitus eorum filius fuit, a. d. XVI. Cal. Decembr. a. U. C. 712. (42. a. Chr.) natus est, ut certos auctores secutus narrat Suetonius Tib. c. 5. Ille Tib. Claudius Nero [14]) eximie laudatur a Cicerone in Epist. ad Fam. XIII, 64. ex Cilicia ad Silium Propr. a. U. C. 703. (51. a. Chr.) missa. Non multo post (a. U. C. 704.) idem in Asia egerat de matrimonio Tulliae cum Cicerone, qui quum ex omni nobilitate neminem pluris faceret, quam illum adolescentem, de ea re certos homines Romam ad uxorem et filiam miserat. Sed priusquam illi advenirent, sponsalia cum Dolabella jam facta erant praeter exspectationem patris, ut discimus ex Epistol. ad Attic. VI. 6. 1. cf. Drumann. l. l. Tom. VI. p. 698. sqq. Postea idem Nero, ut Suetonius Tib. c. 4. refert, quaestor C. Caesaris bello Alexandrino classi praepositus plurimum ad victoriam contulit a. U. C. 707. (47. a. Chr.); cf. auct. de bell. Alex. c. 25. et Dio Cass. 42, 40. extr. Quare (ut pergit Suet. l. l.) et Pontifex in locum P. Scipionis substitutus et ad deducendas in Galliam colonias, in quis Narbo et Arelate erant, missus est a Caesare a. U. C. 708. (46. a. Chr.). A Vellejo Pat. II. 75. 1. appellatur *magni vir animi doctissimique ingenii.* Et animi magnitudinem ostenderat non tam rebus bello gestis quam quod occiso C. Caesare, cui usque ad id tempus adhaeserat, in Cinnae praetoris sententiam transiit et de praemiis tyrannicidarum referendum censuit; vid. Suet. Tib. c. 4. et Appian. de b. civ. II. 121. Praeturam a. U. C. 713. (41. a. Chr.) functus est, quo anno L. Antonius consul erat. Praeterea Suetonius Tib. c. 4. de eo haec narrat: „Praetura deinde functus, quum exitu anni discordia inter Triumviros exorta esset, retentis ultra justum tempus insignibus, L. Antonium consulem, Triumviri fratrem, ad Perusiam secutus, deditione a ceteris facta, solus permansit in partibus, ac primo Praeneste, inde Neapolim evasit, servisque ad pileum frustra vocatis in Siciliam profugit. Sed indigne ferens nec statim se in conspectum Sex. Pompeji admissum et fascium usu prohibitum ad M. Antonium trajecit in Achajam". cf. Vellejus II. 75. 1. et Dio Cass. 48, 15. (Drumann. l. l. T. I. p. 413.)

In hac fuga, quae incidit in aestatem anni 714 (40. a. Chr.), perpetua mariti comes fuit Livia, sinu gestans Tiberium infantem tum bimum, cf. Vellej. II. 75. 3. et Dio Cass. 48, 15. Propter hanc parentum filiique fugam, quam a Vellejo l. l. §. 2. tragicis coloribus depictam esse ait Harduinus ad Plin. N. H. Libr. VII. c. 45., Tiberium Suetonius c. 6. habuisse scribit infantiam laboriosam et exercitam.

In M. Antonii castris aliquamdiu mansit Nero cum uxore et filio. Inde quo tempore Romam cum suis redierit, dissentiunt scriptores. Tacitus enim l. l. (V. 1.) et Vellejus II. 77. 3. cum pace demum inter Sex. Pompejum et Triumviros pacta (h. e. a. U. C. 715., a. Chr. 39.) in Urbem redisse narrant; contra Dio Cass. 48, 15. eum jam a. U. C. 714. (40. a. Chr.) cum M. Antonio in Italiam reversum ait, quocum consentit Suetonius Tib. c. 4. coll. c. 6.: quorum sententiam, repudiatis Velleji et Taciti testimoniis, veriorem existimat Drumannus l. l. Tom. I. p. 431. coll. p. 413.

Jam Nero Romam reversus uxorem Liviam Drusillam et tunc gravidam et ante jam apud se filium (Tiberium) enixam petenti Augusto (initio a. U. C. 716. s. 38. a. Chr.) concessit, ut narrat Suetonius Tib. c. 4. — Vellejus II. 94. 1. Liviam *despondente Ti. Nerone* Caesari nupsisse ait, eodemque *despondendi* vocabulo in re uxoria sollemni utitur idem libr. II. 79. 2., quo h. l. significatur maritus uxorem, quae filiae loco haberetur apud Romanos, alteri marito concessisse: quod factum est vel remancipando (ut putat Heineccius Antiqq. Rom. Synt. Append. I. c. 1. §. 47.) vel ita ut uxor, marito concedente, coemtionem cum Octaviano faceret (quae est sententia Walteri *Gesch. d. Röm. Rechts* Libr. III. c. 7. p. 543. sq.). Similiter ac Vellejus de eadem re scribit Dio Cass. 48, 44.: ἐξέδωκε δὲ αὐτὴν αὐτὸς ὁ ἀνήρ, ὥσπερ τις πατήρ. Tacitus rerum caussas animorumque motus apertius declarans scribit: „*exin Caesar cupidine formae aufert marito, incertum an invitam, adeo properus, ut ne spatio quidem ad enitendum dato penatibus suis gravidam induxerit.*" Idem pariter atque Suetonius Oct. c. 62. extr. etiam Ann. I. 10. utitur *abducendi* vocabulo, de quo loco vid. supra p. 227. sq. Paulo lenius Aurelius Victor in Epit. c. 1. §. 26. scripsit: „Liviam, *quasi marito conce-*

14) Vid. de eo Paulyi Real-Encycl. T. II. p. 424. nr. 68.

dente, sibi conjunxit.“ Octavianus ob festinatas cum Livia nuptias adversa fama laboravit et apud aequales et apud posteros, quam frustra in libris de vita sua amoliri studuit; vid. supra p. 226. sqq. Sic C. Caligula, ut Suetonius Calig. c. 25. refert, cum Liviam Orestillam, C. Pisoni nubentem, e convivio abduxisset, aperte irrisit Augustum, proximo die edicens, matrimonium sibi repertum exemplo Romuli [15]) et Augusti.

Tiberius quo tempore Livia Augusto nupsit trimus fuit, ut recte Vellejus II. 94. 1. scribit, et annum aetatis quartum egit. Et Livia quum penatibus Augusti inducebatur jam sextum mensem gravida intra tertium post nuptias mensem peperit filium, Neronem Claudium Drusum, fuitque suspicio, ex vitrico per adulterii consuetudinem procreatum. Statim certe vulgatus est versus: *Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία,* ut refert Sueton. Claud. c. 1. coll. Dion. Cass. 48, 44. extr. Hunc filium modo genitum sublatumque Octavianus misit patri, ut Dio Cass. refert 48, 44. ex ipsius Augusti Commentariis; vid. supra p. 228. Ex eo probabile est, Tiberium quoque apud patrem mansisse, et utrumque filium mortuo demum patre in domum vitrici receptum ibique educatum esse. Pater autem non multo post quam Livia abducta erat diem obiit; vid. Sueton. Tib. c. 4. extr., quocum facit Dio Cassius 48, 44.: *καὶ ἐκεῖνος* (pater Tiberii et Drusi) *τελευτῶν οὐ πολλῷ ὕστερον, ἐπίτροπον καὶ τούτῳ* (Druso) *καὶ τῷ Τιβερίῳ αὐτὸν τὸν Καίσαρα κατέλιπεν.* Quo anno Nero obierit in incerto relinquunt Suetonius et Dio Cass. l. l.; sed quum Suetonius Tib. c. 6. narret, Tiberium novem natum annos patrem defunctum pro Rostris laudasse, apparet annum illius fatalem fuisse a. U. C. 721 (33. a. Chr.). Juvenem eum decessisse vel ex eo patet, quod a Cicerone in Epist. anno 703. data (ad Fam. XIII. 64. 2.) *adolescens* appellatur.

Augustus ex Livia nihil liberorum tulit, quum maxime cuperet. Infans, qui conceptus erat, immaturus est editus, ut refert Sueton. Octav. c. 63. Cujus immaturi infantis, quem etiam Plinius N. H. VII. 13. §. 57. ignorat, nulla ratione habita Tacitus l. l. scribit: „*nullam posthac* (ex quo a priore marito discesserat) *sobolem edidit.*“ Vixit Augustus cum ea matrimonio conjunctus per LI. annos ab anni U. C. 716. (38. a Chr.) initio usque ad finem vitae suae a. U. C. 767. (14. p. Chr.) eique superstes fuit Livia vidua fere XV. annis. *Sanguini Augusti per conjunctionem Agrippinae et Germanici annexa* recte dicitur a Tacito Livia, quum Germanicus Druso ortus Liviae sanguis, et Agrippina, ex Julia Augusti sanguis, matrimonio se junxissent eoque conjugio efficerent, ut Augustus et Livia communes pronepotes haberent.

Livia quamdiu cum Augusto vivebat, non inserta est in gentem Juliam, sed id factum demum est Augusti testamento, ut discimus ex Sueton. Oct. c. 101. et Tacit. Annal. I. 8. [16]) Ab eo tempore Livia nomen accepit *Juliae* et *Augustae* vel etiam *Juliae Augustae*; vid. Dio Cass. 56, 46. coll. Lips. ad Tac. Ann. 1. 8. Sed aliquoties a scriptoribus per prolepsin vocatur *Julia*, de qua re complures admonuerunt, ut Casaubon. ad Suet. Oct. c. 101., Ruhnken. et Krausius ad Vellej. II. 71. 3., inprimis Eckhelius D. Num. Vol. VI. p. 147. sqq. Post mortem et consecrationem Augusti Livia illius *filia* et *sacerdos* nominatur a Vellejo II. 75. 3. ad quem locum adversus eos, qui parum honestum esse arbitrarentur, uxorem Liviam mariti Augusti filiam dici et *filiae* vocem correctionibus tentarent, ignorantes, apud Romanos quae adoptarentur filias adoptantium fieri, bene disputavit Ruhnkenius p. 187. ed. Lips. — *Sacerdos* Augusti facta est Livia ex senatus decreto, ut narrat Dio Cass. 56, 46.: *τότε δὲ ἀθανατίσαντες αὐτὸν καὶ θιασώτας οἱ καὶ ἱερὰ, ἱέρειάν τε τὴν Λιουΐαν, Ἰουλίαν τε τὴν καὶ Αὐγούστου ἤδη καλουμένην, ἀπέδειξαν,* ubi Fabricius not. 244. allegat Ovid. ex Pont. IV. 9. 107.: *Stant pariter natusque pius conjuxque sacerdos.* De aliis veterum testimoniis vid. Ruhnken. ad Vellej. II. 75. 3. Praeterea in numis, inprimis civitatium Graecarum, Livia vivente Augusto appellatur *Dea, Juno, Venus*; cf. Eckhel. D. Num. P. VI. p. 148. sq. Post mortem Augusti in numis coloniarum, inprimis Hispaniae et Africae, appellatur illa *Julia Augusta Genetrix Orbis, Mater Patriae, Vesta, Pietas, Diana, Ceres, Justitia, Salus, Πρόνοια,* cf. Eckhel. l. l. P. VI. p. 154. sqq. et Paulyi Real-Encycl. Tom. IV. p. 1117.

De Liviae corporis animique virtutibus Vellejus, iste Tiberii adulator, veritatis fidem non prorsus servavit, a quo illa appelletur Libr. II. 75. 3. *genere, probitate, forma Romanarum eminentissima,* et libr. II. 130. 5. *per omnia Deis quam hominibus similior femina, cuius potentiam nemo sensit, nisi aut levatione periculi aut accessione dignitatis.* Non minus honorificum de Liviae moribus judicium legimus apud Senecam in consol. ad Marciam cap. 4. extr. et Ovid. ex Pont. III. 1. 115—128.

De venustate quidem, qua Liviam omnes aetatis suae feminas supergressam esse Vellejus significat, non est quod dubitemus, quum etiam Tacitus Augustum *cupidine formae* eam marito abstulisse scribat et Ovidius Epist. ex Pont. Libr. III. 1. 117. eam Veneri venustate, majestate Junoni comparet. [17]) De generis no-

15) Romulus Hersiliam jam nuptam marito abduxisse fertur, cf. Plutarch. Romul. c. 14.

16) De ejusmodi adoptione per testamentum facta vid. Dirksenii Versuche zur Kritik und Ausleg. etc. p. 73. sqq.

17) Pulchritudinem Liviae etiam ex signo ejus apparere quod in Begeri Thes. Brandenburg. T. III. p. 338. conspicitur, monet Lotzius l. l. p. 21.

bilitate, quam Vellejus l. l. praedicat, satis dictum est supra; de reliquis redeamus ad Tacitum. Qui quum l. l. Liviam *sanctitate domus priscum ad morem* insignem fuisse dicit, pudicitiam ejus talem intelligit, qualis erat feminarum priscarum, et prisci moris castimoniam: quomodo *sanctus* et *sanctitas* saepissime usurpantur. Sed haec castitatis laus Liviae, quamdiu Neroni nupta erat, quum consuetudine Octaviani in adulterii suspicionem venisset (vid. supra p. 228. et Suet. Claud. c. 1.), non potest tribui nisi ex eo tempore, ex quo cum Augusto connubio juncta vivebat: ex quo castitatis laude jure meritoque ornatur. Nulla enim unquam ei consuetudo fuit cum aliis viris, nisi qui graves et honesti essent, ut nihil suspicionis subnasci posset marito, et privatim ac publice suae de morum gravitate et castitate famae consuluit: cujus rei testimonium legimus apud Macrobium Saturn. Libr. II. c. 5. p. 347. ed. Bip. Neque tamen sincero et candido erga maritum amore ducta castimoniae studuit, sed prudens mulier perspectum habuit Augusti animum suspicacem et varium, ac metuens, ne repudiata ab eo excideret imperio, cujus fructum et splendorem percipiebat, omnem dedit operam, ne quid suspicionis de fide et constantia sui erga illum amoris moveret. Ad hanc pudicitiae ejus laudem contestandam affert Tristanus de Num. Imper. T. I. p. 121. Horatii Odar. III. 14. 5.: *Unico gaudens mulier marito Prodeat justis operata Divis*, ubi vid. Orell.; Ovid. ex Pont. Libr. IV. 13. 29. sq.: *Esse pudicarum te Vestam, Livia, matrum, Ambiguum nato dignior, anne viro*, (coll. Ovid. ex Pont. III. 1. 115. sq.), Pedon. Albin. Consol. ad Liv. Aug. vs. 41. sq.: *Quid tibi nunc mores prosunt actumque pudice Omne aevum et tanto tam placuisse viro? Quidque pudicitia tantum inviolata bonorum, Ultima sit laudes inter ut illa tuas?* Impudenter autem adulatur Valerius Maximus Libr. VI. c. 1. Praef., qui ipsum Pudicitiae numen Juliae genialem torum assidua statione celebrare dicat. cf. Fabricius ad Dion. Cass. Libr. 58. c. 2. not. 21.

Deinde Livia a Tacito appellatur *comis ultra quam antiquis feminis probatum* et *uxor facilis*. Atque quam benigna illa et quam comi sermone et congressu cum aliis fuerit, tum marito, multa, quae narrata legimus, docent. Memorabilis inprimis de facilitate ejus erga maritum locus est Dionis Cass. Libr. 58. c. 2.: *πυθομένου τινὸς αὐτῆς, πῶς καὶ τί δρῶσα οὕτω τοῦ Αὐγούστου κατεκράτησεν, ἀπεκρίνατο, ὅτι αὐτή τε ἀκριβῶς σωφρονοῦσα καὶ πάντα τὰ δοκοῦντα αὐτῷ ἡδέως ποιοῦσα καὶ μήτε ἄλλο τι τῶν ἐκείνου πολυπραγμονοῦσα καὶ τὰ ἀφροδίσια αὐτοῦ ἀθύρματα μήτε διώκουσα μήτε αἰσθάνεσθαι προσποιουμένη.* quocum conferendus est locus Suetonii Octav. c. 71. Livia igitur, ut ipsa professa est, pudicitia, modestia, obsequio, indulgentia maritum cepit et hominem amore vecordem ita sibi devinxit, ut non sentientem in suam totum potestatem acciperet et suspicacem in alios et cautum sibi uni incautum redderet. Quid, quod per artes et blandimenta adeo valescere coepit, ut sensim postremis Augusti annis se ad superbiam et potentiam verteret. In summa enim, quam simulabat, modestia Livia fuit admodum ambitiosa atque in maxima, quam nusquam non prae se ferebat, comitate et facilitate mulier imperiosissima. Quapropter apud Tacitum Annal. I. 4. qui de successore Augusti disserunt conqueruntur: *accedere matrem muliebri impotentia.* Quod mirum non est, quum oriunda esset ex familia Claudia, cujus proprii fuerunt hi mores, ut satis notum est ex Sueton. Tiber. c. 2. extr., Tacit. Ann. I. 4., aliis.

Tum a Tacito ponderosa verborum brevitate Livia nominatur *mater impotens*: ubi in aprico est, eam ita appellari ratione filiorum habita, Tiberii et Drusi, quos impense amaret et pro quibus nihil non susciperet. *Impotens* enim, quod vocabulum de iis dicitur, quibus desunt vires aut corporis aut mentis aut animi ad libidines frenandas, h. l. non de nimia matris in Tiberium filium potentia vel arrogantia cum Walthero aliisque accipiendum est, sed est *φιλόστοργος* sive indulgens *στοργῇ* s. amori et studio filiorum, et inprimis h. l. dictum est de eo studio, quo filiis imperii successionem conciliare studebat. Hanc vocabuli vim jam Gronovius ad h. l. perspexit; idemque recte nos inprimis de Tiberio, filio natu majore, cogitare jubet, haec scribens: „indulgens *στοργῇ* et studio potentiae filii, cui adversus domum mariti et adversus rem publicam et adversus nepotem ex modestiore filio, omni bono maloque modo favit ac servivit.“ Quamquam enim primo quidem, quamdiu filius uterque adolescebat et vigebat et virtutibus bellique fortitudine clarescere incipiebat, Livia id egisse videtur, ut alterutri principatum pararet: tamen etiam tum Tiberium Druso videtur anteposuisse, quum Augustus Drusum praeferret sive ob mitius ingenium sive quod suum esse filium sciebat.[18]) cf. Suet. Claud. c. 1. extr. coll. Tib. c. 21. et Tacit. Ann. I. 10. extr. et Hoeck. l. l. I. 2. p. 13. sq. Et pro solo Tiberio omnibus viribus et artibus obscuris Livia niti coepit, quum Drusus in Germania praematura morte absumtus esset a. U. C. 745. (9. a. Chr.). cf. Interprett. ad Dion. Cass. Libr. 55. c. 1. Quod quidem consilium alterutrius filii sui ad principatum evehendi mulier callidissima et imperiosissima mature cepit captumque occulte et constanter tenuit et ut perficeret nihil fraudis scelerisque non molita est. Cuicunque enim praeter filios spem imperii adipiscendi esse suspicabatur, eum quam primum posset occulte per fraudem subvertit. Horum quidem scelerum quamquam

---

18) Animum Liviae Druso minus faventem declarare videtur moderatio luctus in Drusi morte: qui luctus quanquam a poetis et scriptoribus celebratur, modicus fuit, ita ut Seneca exemplum Liviae dolentis imitandum proponat Marciae, de consolat. ad Marc. c. 3. — Suspicari licet Drusum Tiberio a Livia posthabitum esse propter ingenium civile et a dominandi cupiditate alienum, quod apparet ex iis, quae de eo legimus apud Sueton. Tib. c. 50. et Claud. c. 1. et Tacit. Ann. I. c. 33. coll. II. 82.

non convicta tenetur, tamen rebus omnibus accurate consideratis facere non possumus quin statuamus haud inanes fuisse aequalium suspiciones, apud quos Livia infamia flagrabat et clandestinarum affinium suorum caedium magno consensu insimulabatur. De quibus rebus hic pro consilio pauca afferamus, praesertim quum egregie ab Hoeckio l. l. expositum sit.

Sic jam anno U. C. 731. (23. a. Chr.) fuerunt, qui caussam morbi mortisque M. Marcelli adolescentis illo anno mortui Liviae assignarent, quae aegre tulisset, illum adolescentem suis filiis ab Augusto praeferri et successorem destinatum esse, quod vulgo ferebatur, ut Dio Cass. Libr. 53. c. 33. coll. c. 30. narrat. Quanquam ipse Dio l. l. suspicioni illi non multum tribuit, quum annus ille et consequens tam foedi essent coeli intemperie, ut magna hominum multitudo morbis absumeretur. Eandem tamen suspicionem tecte significare et confirmare videntur quae de immoderato Octaviae luctu scripsit Seneca de consol. ad Marciam c. 2. §. 5.: „Oderat omnes matres, et in Liviam maxime furebat, quia videbatur ad illius filium transisse sibi promissa felicitas." Caeterum de M. Marcello vid. Hoeck. l. l. I. 1. p. 346. sqq.

Quidquid ejus rei est, nihil certe Livia morte M. Marcelli consecuta et in longius tempus dilata est. Etenim Augustus haud ita multo post (a. U. C. 733., 21. a. Chr.) M. Agrippam generum sibi assumpsit et in proximo sibi fastigio collocavit. cf. Hoeck. l. l. p. 348. sqq. Attamen Fortuna ipsa consilia Liviae perniciosa adjuvit, quum M. Agrippa immatura morte a. U. C. 742. (12. a. Chr.) obiret. cf. Hoeck. l. l. I. 2. p. 11. sq. Qua morte non tantum aemulus filiorum Liviae sublatus est, sed etiam nova spes allata est consilii facili negotio perficiendi. Quae spes Liviae posita erat in matrimonio Tiberii et Juliae, Agrippae viduae, quibus nuptiis conciliandis Tiberio animum Augusti et principatum conciliare posse sibi videbatur. Itaque Augustum quamvis invitum fallaciis suis pellexit, ut privignum illum generum legeret. cf. Suet. Oct. 63., Tib. c. 7., Dio Cass. Libr. 54. c. 31. et 35., Tacit. Ann. IV. 40. coll. Hoeck. l. l. p. 16. sq. Verum quum vel sic mox spem suam deceptam videret Livia, quum Augustus C. et L. Caesares honoribus ita augeret et ornaret, ut quid spectaret omnibus appareret, scelus scelere cumulare constituit, ut successionem filio tutam praestaret. Quo consilio illa malorum facinorum machinatrix primum Juliam, quam filiam unicam Augustus vehementer amabat, ut sola totum in potestate haberet Principem senem neve ab illa incepta perspicerentur et impedirentur, insidiosa calliditate aggressa est et subvertit. cf. Hoeck. l. l. I. 2. p. 34. sqq. et Weichert. de Cassio Parmensi Excurs. V. p. 359. sq. Obstabant adhuc matris impotentis machinationibus C. et L. Caesares et Agrippa Postumus, Juliae et M. Agrippae filii, qui quovis modo tollendi erant, ut praeter Tiberium nemo esset, qui successor ab Augusto eligi posset.[19]) Nec defuit Liviae consilium. Nam Augustus, ut Suetonius Octav. c. 65. scribit, „Gajum et Lucium in duodeviginti mensium spatio amisit ambos, Gajo in Lycia, Lucio Massiliae defunctis." Utrumque novercae Liviae dolo ablatum esse et veteres suspicati sunt (vid. Tacit. Ann. I. 3., Dio Cass. 55, 11., Zonar. p. 539. D. et Plin. N. H. VII. 45. §. 149.), et dubium non est iis, qui res et animum Liviae perspectum habent. cf. Hoeck. l. l. I. 2. p. 47—55. Denique nepos unicus, qui supererat, Agrippa Postumus, ne Tiberii successioni obstaret, Livia impellente in insulam Planasiam projectus et postea Augusto exstincto de medio sublatus est. cf. Tacit. Ann. I. 3. et 6., Suet. Tib. c. 22. Hoeck. l. l. p. 110. sq.

Quas ob res jure meritoque Livia, quae fraudibus sceleribusque effecisset, ut exstirpata Augusti sobole Tiberius civitati Princeps imponeretur, a Tacito Ann. I. 10. appellatur *gravis in rem publicam mater, gravis domui Caesarum noverca.*

Quum autem a Livia nullum facinus, nulla fraus abfuerit ab eaque impotenti in Tiberium studio dominandique cupiditate scelestissima quaeque suscepta sint, non abhorret ab ejus animo crimen mortis Augusti medicatis ficubus acceleratae, quod ei nonnulli impegerunt, ut narrant Dio Cass. 56. c. 30. coll. Libr. 55. c. 22. et Aurelius Victor, qui in Epit. c. 1. §. 29. scribit: „Annos septem et septuaginta ingressus (Augustus) Nolae morbo interiit. Quanquam alii scribunt, dolo Liviae exstinctum, metuentis, ne, quia privignae filium Agrippam, quem odio novercali in insulam relegaverat, reduci compererat, eo summam rerum adepto poenas daret." Quam de medicatis ficubus suspicionem etiam Tacitus Ann. I. 5. respicit eique fidem videtur adjungere. Fuerunt inter recentiores, qui fidem huic suspicioni denegarent, quod veneno grassari si voluisset mulier, id non in annum LXXVI. mariti distulisset. Quae ratiuncula non satisfacit ad refellendum, ut jam Wolfius ad h. l. monuit. Nam, ut ex Taciti l. l. apparet, metuebat Livia, ne Augustus, qui clam iter in Planasiam fecisset, Agrippam Postumum ex insula revocaret et successorem constitueret. Quod consilium priusquam perficeretur et Tiberius imperii adipiscendi spe excideret, acceleranda Liviae videbatur Augusti mors.

Quae fuerit Liviae necessitudo cum Augusto et Tiberio Tacitus more suo egregie paucis verbis significavit his: *cum artibus mariti, simulatione filii bene composita*: quae verba recte interpretatus est Waltherus: „Liviam talem fuisse, qualem esse oportuerit, ut consuetudinem cum marito artibus et calliditate pleno et cum filio abstrusae simulationis bene toleraret et sine offensa ageret, h. e. et ipsam callidam et simulationis gnaram fuisse." Quod ob ingenium haud inficete hanc proaviam suam Caligula *Ulixem stolatum* iden-

---

19) Germanicum enim adolescentulum ut depelleret verbis ac precibus ei contigit, cf. Tacit. Ann. IV. 57. extr.

tidem appellabat, ut refert Sueton. Calig. c. 23., quibus verbis mulierem valde astutam et callidam designabat.[20]) Livia calliditate et fallaciis et arte simulandi et dissimulandi maritum aequabat adeoque superabat ejusque artes suis artibus adjuvabat. Consilio fuit multo promptior, quam ipse conjux, haud raro haesitans et meticulosus, ac neque affectui suo neque alieno obnoxia ea etiam firmitate, quae raro in animo muliebri deprehenditur, itemque cum tempus ferebat, sermone comi et ingenio haud contemnendo. Quas quidem artes et ingenii dotes non mirum est quod in ipsum maritum, quem non candide amaret, vertebat, ubi suis consiliis repugnantem intelligeret eumque si aperte non poterat consequi quod peteret, occulte cuniculis oppugnabat. Fuit igitur Augusto uxor, quae, ut Plauti Mil. Glor. II. 2. 38. verbis utar, *domi habebat animum falsiloquum, falsificum, falsiiurium, domi dolos, domi delenifica facta, domi fallacias.*

Tiberii autem cupiditatem dominandi, quam, dum opus erat, pariter atque ille dissimulabat, ipsa aluit et auxit, sua dominandi cupiditate incitata. Sperabat enim futurum esse, ut filio rerum potito ad se major in administranda republica potentia rediret, quam vivo marito habuisset, quamquam etiam vivente Augusto extremis potissimum annis plurimum valuerat; cf. Dio Cass. Libr. 57. c. 12.: *ἐπί τε γὰρ τοῦ Αὐγούστου μέγιστον ἠδυνήθη*, coll. Suet. Tiber. c. 50. extr. Et statim post Augusti obitum Liviam se rebus gerendis arroganter immiscuisse, quum de honoribus Augusto habendis decerneretur, testatur Dio Cass. Libr. 56. c. 47.: *προσέθηκα δὲ τὸ τῆς Λιουΐας ὄνομα, ὅτι καὶ αὐτὴ τῶν πραγμάτων ὡς καὶ αὐταρχοῦσα ἀντεποιεῖτο.* Idem Libr. 57. c. 12. narrat epistolis Tiberii per aliquod tempus Liviae nomen adscriptum fuisse et litteras ad Tiberium datas etiam Liviae inscriptas esse eamque, praeterquam quod Curia et concionibus et castris abstineret, caetera omnia quasi ipsa imperium teneret egisse ipsamque se Tiberio imperium conciliasse professam esse ideoque non aequato imperio uti sed loco et dignitate priorem Tiberio esse voluisse. Cujus arrogantiae insigne exemplum apud Tacitum Annal. III. 64. est, ubi Livia quum anno nono imperantis Tiberii (a. 22. post Chr.) a. d. VIII. Cal. Maj. haud procul theatro Marcelli effigiem divo Augusto dicaret, Tiberii nomen suo postscripsisse narratur. Cujus rei fidem praestat inscriptio ipsa in Fastis Verrii Flacci servata; cf. Orell. Inscriptt. Vol. II. p. 388. et Eckhel. D. N. Vol. VI. p. 194.

Tiberius quidem satis mature consiliis matris imperiosae et honoribus ei decernendis occurrit et obstitit, anxius invidia et muliebre fastigium in deminutionem sui accipiens. Sed quum dominationem ipsam donum ejus accepisset, depellere eam frustra studuit et gravatus tandem ejus congressum pertaesusque arrogantiam fere triennio ante ejus mortem in Campaniam Capreasque secessit semelque omnino eam vivam revisit, neque postmodo aegrae adfuit neque defunctae exsequias concelebravit luctuque abstinuit impius filius, ut pluribus narrant Tacitus Ann. I. 14. IV. 57. V. 2., Sueton. Tib. c. 50. sq., Dio Cass. Libr. 57. c. 12. coll. Libr. 58. c. 2.

Quamvis autem Livia mulier esset ambitiosa et imperiosa, non dissimulandum tamen est, praedicari etiam sapientem ejus et apud maritum et apud Tiberium filium potentiae usum. Tantum enim abfuit, ut illa cuiquam noceret, ut quibuscunque posset prodesset. Quam ob rem praedicatur a Pedon. Albin. Cons. ad Liv. vs. 47.: *Nec nocuisse ulli et fortunam habuisse nocendi? Nec quemquam nervos extimuisse tuos?* Non dissimilem laudem ei impertivit Dio Cass. Libr. 58. c. 2. narrans mortuam eam perhonorificis a senatu decretis ornatam esse, quod multis ipsorum salutem attulisset, quod multorum liberos educasset, quod multos in elocandis filiabus adjuvisset. Quorum scriptorum auctoritate fides accedit Vellejo Pat. II. 130. 5. de eadem scribenti: *cuius potentiam nemo sensit, nisi aut levatione periculi aut accessione dignitatis.* Nec dubitari potest, quin Livia auctoritate sua saevam Tiberii naturam aliquamdiu coercuerit multisque afflictis exstiterit salutis effectrix: cujus rei testem gravissimum habemus Tacitum Ann. V, 3.: „incolumi Augusta erat adhuc perfugium, quia Tiberio inveteratum erga matrem obsequium, neque Sejanus audebat auctoritati parentis anteire," et Annal. VI. 51.: „idem (Tiberius) inter bona malaque mixtus incolumi matre." Idem testatur Suetonius Tib. c. 50., qui eum matris consiliis interdum usum esse scribit.

In fine cap. l. Tacitus subjungit haec: *Funus eius modicum, testamentum diu irritum fuit. Laudata est pro rostris a Gaio Caesare pronepote, qui mox rerum potitus est.*

De funere Liviae pluribus exposuit Dio Cass. Libr. 58. c. 2. Tiberius ut ipse neque exsequiis matris interfuit (Suet. Tib. c. 51.), neque mortem ejus luxit (Tac. Ann. V. 2), ita praeter funus publicum et imagines praeferendas et alia quaedam levia nullum ei honorem concessit. Condita est in Mausoleo Augusti. Senatus mulieribus in totum annum luctum indixit et praeter alia arcum exstruere decrevit. (cf. Dio Cass. l. l.) Sed Tiberius ut sub initiis imperii honores matris prohibuerat (cf. Tac. Ann. I. 14. Dio Cass. 57, 12.), ita etiam tum „honores memoriae ejus ab senatu large decretos quasi per modestiam imminuit, paucis admodum receptis, et addito, ne coelestis religio decerneretur; sic ipsam maluisse," ut Tacitus scribit Ann. V. 2. coll.

---

20) Hoschkius in *Analect. litterar.* p. 301. his verbis *matronam ignobilem* designari putat, sed repugnant ipsa Suetonii verba; nam Caligula proaviam *identidem* Ulixen stolatum appellabat, ignobilitatis *quadam ad senatum epistola* arguere ausus est.

Suet. Tib. c. 51. extr. et Dion. Cass. l. l. Ne arcum quidem exstrui passus est, sed callide senatum elusit, cf. Dio Cass. l. l. Coelestis religio, quam praesagiverat Ovidius Fastor. I. 536. sed filius ei inviderat, a Claudio nepote ei tributa est: qui consecrationis honor nulli ante eam feminae Romanae contigerat; cf. Suet. Claud. c. 11., Dio Cass. Libr. 60. c. 5. Vid. Eckhel. D. N. Vol. VI. p. 157. sqq.

Testamentum ejus Tiberius pro irrito habuit et suppressit; sed Caligula postmodo legata Juliae Augustae cum fide ac sine calumnia repraesentata persolvit; cf. Suet. Tib. c. 51., Calig. c. 16., Galba c. 5., Dio Cass. Libr. 59. c. 1. et 2.

Laudatam esse Liviam defunctam pro rostris a C. Caesare Caligula, pronepote tum praetextato, refert etiam Suetonius Calig. c. 10. Ab eodem postea Principe haec proavia sua opprobriis petita et temere ignobilitatis insimulata est, ut supra auctore Suetonio Calig. c. 23. monuimus.

Lipsiae, ex Officina Fr. Andraei.

Pag. 177. not. 15. Ellendtius in censura Meyeri Fragm. Oratt. Rom., quae legitur in Ephemerid. litt. Halens. 1843. Decembr. Nr. 101. p. 801. sqq., legendum esse monuit *de re Floreae,* ut oratio illa habita sit de re familiari Floreae cujusdam puellae.

Pag. 183. Non opponi Veranium Flaccum Annio Cimbro sed utrumque ab Augusto ob ἀρχαϊσμὸν vituperari monuit G. F. Grotefend: Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft 1843. Nr. 22. p. 175. sq.

Pag. 197. M. Ciceronem de consulatu suo scripsisse, ut se purgaret, mecum statuit Nobbius ad Cic. Fragment. IX. Vol. IV. P. 2. p. 491.

Pag. 200. not. 10. Delenda sunt verba *Cantabriam domitam.*

Pag. 201. et aliquoties male scriptum est *Wilmannsius* pro *Wilmans.*

Pag. 204. nr. 2. Adde Wilmansium de Dionis Cass. fontib. p. 22. sq.

Pag. 220. not. 50. De Artorio adde Heinrichium ad Juvenal. p. 127.

